EXPOSITIO Ss. MISSÆ

ATQUE RUBRICARUM

SEU

CATECHISMUS LITURGICUS.

JUXTA DICTATA

R. D. J. Mohren,

CANONICI AD S. CUNIBERTUM AC RITUUM MAGISTRI IN SEMINARIO ARCHIEPISCOPALI COLONIENSI, JUBILARII.

CURA

Maria del Monte.

DE MISSA, DE IPSIUS GENERIBUS, CAEREMONIIS TAM PRIVATÆ QUAM SOLEMNIS, CUM SINGURALI RESPECTU AD RITUS ECCLESIÆ COLONIENSIS PROPRIOS. ACCEDUNT PLURIMÆ DOGMATICÆ, MYSTICÆ, ASCETICÆ, ANAGOGICÆ, TROPOLOGICÆ SIGNIFICATIONES DESUMPTÆ EX AUTORIBUS LITURGICIS AC VARII APPENDICES — NOTAMINA EDITORIS.

AUGUSTÆ TREVIRORUM.

TYPIS ET SUMPTIBUS FRID. LINTZ.

MDCCCXLIV.

Protestatio.

Si quid inest in hoc opere quod ad propagandam majorem Dei gloriam ac animarum salutem utile sit, ac amabiliorem reddat Ecclesiam sponsam sanctam Dei, et efficiat ut Clerus majori cum merito coram Deo et fructu et dignitate splendeat in fidelium coetu, pio defuncto D. Mohren gratiae tribuendae sunt.

Si vero inveniantur his obsona, quae contra mentem Ecclesiae ejusque disciplinam repugnent, mihi sunt tribuenda, quae ego damno, improbo, detestor, omnia humillime judicio S. Matris Ecclesiae subjiciens, cujus

obedientissimus filius

Maria del Monte.

Mariae

Reginae sine labe conceptae Virgini Thaumaturgae semper augustae,

Primitias has,

In cujus honorem { nostra micant corda,
sanguis manat in venis,

Sub cujus tutela materna cum mihi

concreditis { vivere
mori } exopto.

Quae cuncta { bona donat,
mala domat.

Quae nos dignata est tam { providenter regere,
benigniter gubernare,
misericorditer adjuvare.

Cui { fuimus,
sumus,
erimus,
cuncta, me meaque singulariter devoveo, do, dedico in perpetuum,

indignissimus Tyro

Maria del Monte.

Dignare me laudare te, virgo sacrata,
Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ego Maria del Monte spondeo, voveo ac promitto et juro, me summorum pontificum Pauli V et Gregorii XV constitutiones publice ac privatim omnino pie sequi et asserere, beatissimam Mariam Virginem Dei genitricem sine ulla originalis peccati macula conceptam esse, donec aliter a sede apostolica definitum fuerit; sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia. Amen.

Proëmium.

Quam utile ac necessarium sit non solum ritus a sancta Ecclesia praescriptos exercere posse, sed etiam in his maxime mentem ecclesiae intelligere et significationes mysticas, dogmaticas, asceticas perscrutari, plurimis ex argumentis patet. Utile est tum ad exponenda tum ad propaganda fidei nostrae mysteria, necessarium ad conservandam divini ejusdem cultus majestatem, et ad distinguendos ab haereticis catholicos, uti exponit Conc. trident. sess. 22. cap. 5, „Cumque natura." Principalis finis hujus operis est itaque majorem attentionem, venerationem et majestatem divinis officiis conciliandam, et secundo ut hisce adminiculis Clerus vigeat in omnibus rebus, quas dignitas officii postulet et sibi ipsi majorem aestimationem et amorem in populo fideli conciliet, tertio denique ut *oblivioni* opus D. Mohren eripiatur, et ut cum Paschasio Roberto in commentar. in Matth. Bibl. Tom. XIV. p. 488 dicam: „Expositio mea vel quatenus per additamenta mea et excepta loca dicere licet, multorum est et doctorum, quos antiquior tulit aetas et firmavit veritatis autoritas."

Quis vestrum qui gavisus lectionibus sacrorum rituum venerabilis D. Joh. Mohren, ista sua Dictata non suscipiet laetabundo animo?

Vos Testes! quanta mira sollicitudine ritus investigando studuerit, sane attendistis causam, cur Dictatis non addiderit alia plura, tam in humilitate quam in obedientia ejus ponendam esse.

Tunc enim temporis translatae sedis antistes Aquisgranensis ritui coloniensi romanum substituendum mandavit; ne ergo error irreperet, desinit dictando et quidem proh dolor! ut eruditissimus vir qui super L annos sa-

cerdotes totius archidioecesis instruxit, nobis tam parum reliquerit.

Archidioecesis Coloniensis proprio Missali, Breviario, atque cantu gaudet, et etiam proprio ritu, cujus conservator D. Mohren in opere hoc jure merito appellatur.

Vos qui illum audiistis, sane perspexeritis, quanto perfuso animo, quanta spirituali hilaritate neo initiandis maxima cum industria petiit idoneitatem, ut sacra agenda scientia sufficienter praediti, illa nonnisi devote, rite, debite, decenter, utiliter et sancte juxta mentem s. Ecclesiae tractarent.

Plura tam significationem mysticam concernentia quam ad excitandum fervorem spiritus sacerdotalis addidi atque auxi.

Utinam hoc opus divinum irrigaret numen, ut in stillicidio suo laetificaret germinans sacerdotium utque omnes timore et tremore salutari perculsi, omnes caeremonias debite, rite et devote peragerent, ac caverent eas pro minimo habere, vituperare, vel negligere, vel omittere, vel suas assuetas substituere, ne anathematis et aeternae damnat onis periculum obirent.

Merito hominem vituperamus qui sine ulla ratione audaciter se confert in periculum proximum amittendi vitam temporalem, eo potius vituperio dignus est sacerdos, qui prout leve putat tantum formidabile grave onus humeris suis impositum.

Memores denique estote viri tumulati lectoris vestri in ejus tumulum: — parcite lacrymis, ast potius — spargite flores sacratos (Ss. missae sacrificia precesque) in aevum vernantes.

Vos qui mihi olim socii fuistis, mementote mei in ss. sacrificiis et in oratione vestra assidua coram Deo vestro et meo, sacrataque sine labe concepta Virgine.

Maria del Monte.

Allocutio ad Sacerdotes.

Attende tibi et vide cujus ministerium tibi traditum est...... Ecce sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus, vide nunc ut fideliter et devote in suo tempore sacrificium Deo offeras et te ipsum irreprehensibilem reddas.

Autor de Imitat 4 Cap. 5. No. 2.

Quod si, inquit Conc. Trid. Sess. 22. necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium . . . satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Quantum ad modum celebrandi exteriorem, hodie plures videre est errores et defectus (quod sanguineis lacrymis deplorandum est) contra Rubricas Missalis; ad quarum tamen scientiam Episcopus in Ordinatione Presbyterorum eos exhortatur his verbis; „Quia res quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos ut diligenter totius Missae ordinem atque Hostiae Consecrationem ac fractionem et Communionem ab aliis jam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad Celebrandum accedatis, et quas non observare non parvi momenti est.

Hinc defectus magis communes in Celebratione referuntur.

1. Qui levi ex causa Missam praetermittunt aut qui raro per annum celebrant. Hic neglectus multiplici bono obest; nam, ut ait auctor Imit. Christi, lib. 4. cap. 2. „Quando Sacerdos devote celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adjuvat, defunctis Requiem praestat, et sese omnium bonorum participem efficit."

2. Qui cum nocturnis et tritis vestibus, vel coloris non nigri, sine veste talari, collari non nigro, collari Ecclesiastico aut tonsura se ad Celebrandum praesentant.

3. Qui absque debitis et piis praeparationibus, licet ex prae-

viis occupationibus pleni forsan dissipatione, ad Aram accedere non dubitant. Ad hos Sapiens: „Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.“

4. Qui paramentis laceris, et linteis sordidis ad Missam utuntur, qui iisdem paramentis indecenter et incomposite se accingunt, qui eadem induentes, vel iis induti, vanis et inutilibus colloquiis se occupant, qui preces, dum induuntur, praescriptas negligunt, vel absque attentione eas recitant.

5. Qui absque birreto eunt ad Altare.

6. Qui una tantum manu Calicem portant, ei non imposita dextera, et qui sub Missa Pallam e Calice projiciunt in Altare.

7. Qui alternatim cum Ministro recitantes, prae nimia festinatione finem responsi non expectant.

8. Qui dicturi Oremus ante Collectas, praevie manus non jungunt, vel qui post earum extensionem illas denuo non conjungunt, antequam incipiant Orationem. Item ii qui sub conclusione Collectarum accelerationis causa vertunt folia Missalis, ante responsum Amen a Ministro.

9. Qui conversi infra Missam ad populum a tergo Altari innituntur, vel qui adstantes oculis attingunt. Haec libertas est admodum scandalosa, et magnae dissipationis argumentum.

10. Qui inclinati vel Altare osculantes antequam flectant, vel se ad populum convertant, prius non se corpore et capite erigunt, quam incipiant flectere, vel ad populum se convertere.

11. Qui flectentes sub „et homo factus est,“ vel ante et post elevationem Specierum, caput inclinant infra genuflexionem. Idem dic de iis, qui ante initium Missae, et post illius finem, facta ad gradus Altaris genuflexione, seu profunda corporis inclinatione erecti, capitis inflexione Crucem denuo salutant.

12. Qui se signantes non apponunt manum sinistram ad corpus et extremitate dextera frontem, pectus, et utrumque humerum physice non tangunt. Errant quoque qui, dum signant Oblata, nullam Crucem delineant, sed insulsa et ridicula manus varicatione signum cujusdam rotae exhibent, quam S. Vincentius Ferrerius circulum diaboli appellat.

13. Qui non servant tempus et locum ad legendum, vel ad ritus exercendos v. g. qui dicunt *Kyrie eleison* in itinere et antequam ad medium Altaris pervenerint, qui cruces formant non precise sub verbis iis respondentibus. Qui dicunt *unde et memores,*

antequam ab ultima adoratione Calicis se erexerint. Qui recitant Communionem de *Beata,* de *requiem* aut alias in medio altaris.

14. Qui absque ullo religionis apparatu, imo et cum gravi fidelium offensione, ita praecipitanter incedunt, et infra Altare se movent, ut malo spiritu agitari videantur. Qui ita festinanter genuflectunt, ut actum derisionis potius quam adorationis exercere videantur. Et qui ita velociter signant oblata, ut credantur muscas a speciebus abigere, et non actum sacrum agere.

15. Qui stantes in altari, vel incedentes, aut genuflectentes, corpus et caput continuo et indecenter librant aut contorquent. Qui extra casum gravis incommodi seu impossibilitatis moralis, ad formandas genuflectiones genu ad terram usque non deprimunt. Et qui incedentes intra altare latus totaliter ad illud non vertunt se quasi moventes cancrorum more.

16. Qui altare non osculantur in medio, sed ad latus hostiae.

17. Qui alta voce proferunt utrumque *Memento* et verba Consecrationis, tali ut audiantur a circumstantibus.

18. Qui totum sacrificii cursum voce alta legunt, aut tam submissa, ut ea, quae alta voce proferri debent, non audiantur a proxime circumstantibus.

19. Qui verba consecrationis pronuntiant magno nisu, aspiratione grandi et moram inter illa ponendo.

20. Qui sub utraque consecratione et *Domine non sum dignus* pedem dextrum extendunt ultra sinistrum.

21. Qui sacras species non elevant ultra caput. Qui in illas, dum elevantur et deponuntur oculos non intendunt continuo. Qui elevantes hostiam manus disjungunt et qui hostiam atque calicem non elevant linea recta intra corporale, sed ad verticem capitis illa declinant.

22. Qui sic continuate ter dicunt: *Domine non sum dignus,* ut necessario omittant verba sequentia: *ut intres etc.* vel qui sub hac oratione brachio indecenter innixo, corpus contorquent versus cornu Epistolae.

23. Qui caeremonias fingunt ex. gr. qui immediate antequam se signant, missam incepturi, casulam deosculantur.

24. Qui ab altari recedentes devote non recitant canticum: *Benedicite omnia opera;* et alias preces illi substituunt aperte contra Rubricam.

25. Qui festinanter et incomposite deponunt sacras vestes, quique statim, et absque recollectione per medium ad minus quadrantis, ad fabulas, risus vel negotia mundana se convertunt.

26. Qui ultra medietatem unius horae missam communem protrahunt, non sine fastidio populi adstantis, vel (et hi longe turpius peccant) qui non insumunt medietatem circiter unius horae ad celebrandam missam licet brevissimam.

27. Celebrans, seu Ministri qui infra missam solemnem sedentes, crura complicant, seu qui non tenent pedes decenter juxta se invicem positos.

28. Qui in Missa cantata Hymnum angelorum et symbolum ei debita non cantant a *principio in finem* vel qui sub eorum cantu missam prosequuntur. Nota tamen Hymnum angelicum cantari posse alternatim cum organo, non tamen symbolum. Cerem. Episc. Lib. 1. Cap. 28. Nr. 9 et 10. Errant quoque turpiter qui praefationis et orationis Dominicae cantum usque in finem earum non deducunt.

29. Tandem errant qui ad altare se convertunt dicturi *placeat,* antequam Diaconus totaliter absolverit *Ite Missa est.*

Cum praecipitatio in Missarum solemniis sit admodum, proh dolor! frequens et ordinaria, hujus mali sub sole pessimi, causae et remedia hic perquiruntur.

Prima causa est *ignorantia crassa et damnabilis sacrorum rituum et significationis* eorum, in qua multi vivunt, et usque in finem insordescunt; unde fit ut viles habeant caeremonias ecclesiae, ipsumque altaris mysterium indigne pertractent.

Secunda est vita mundana plurimorum, qua terra agglutinati, negotiis secularibus distracti et pleni creaturis, a rerum coelestium sapore impediuntur; homo quippe animalis non percipit ea quae Dei sunt.

Tertia est defectus verae et vivae fidei circa sacramentum corporis et sanguinis Christi; si enim lumine fidei sacerdotes in manibus suis viderent supremam Dei majestatem, profecto timore concussi ab omni festinatione et neglectu efficaciter retraherentur.

Quarta est inconsideratio et profunda oblivio maledictionum horrendarum, quas Deus irreligiosis et impiis continuo intentat: *Filii Heli,* inquit 1 Reg. cap. 2. *filii Belial, nescientes Dominum neque officium Sacerdotum ad populum.* Et Jeremiae 48. *Maledictus* dicitur omnis, *qui facit opus Dei negligenter.* Utque in vanum loqui non videatur, Deut. 28 legitur: *Quodsi audire nolueris vocem Domini Dei tui ut custodias et facias omnia mandata ejus et ceremonias, quas ego praecipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istae et apprehendent te.*

In remedium hujus mali exitiosi et scandalosi nimis veniunt sequentia.

1° Fervens et constans applicatio; tum ut sacrarum ceremoniarum scientia acquiratur, tum ut earundem sensus et rationes capiantur.

2° Perfecta cordis ab affectibus humanis purgatio; nam qui de mundo est, necessario cogitat quae sunt mundi et qui de Deo est, quae sunt Dei.

3° Ante Missam seria meditatio praesentiae realis Christi Domini in Eucharistia et professio explicita illius veritatis quae sub ipsa sacrificii actione menti impressa maneat.

4° Tandem frequens apprehensio maledictionum divinarum, de quibus supra et poenarum, quibus Deus sub veteri testamento de minimis contra religionem peccatis vindictam quaesivit. *Oza* quippe ob irreverentiam quandam erga Arcam foederis morte a Deo percussus est, *Nadab et Abiud filii Aaron* ob adhibitum in thuribulis ignem profanum igne consumuntur et Deus lib. 1 reg. cap. 6 percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent curiose arcam Domini de populo septuaginta viros et quinquaginta millia plebis: quam igitur horrendum est sacerdotes irreligiosos incidere in manus Dei viventis! *Romsee Tom. I. pag. 180.*

Certe nullus efficacior stimulus aut calcar validius ad incitandum sacerdotis animum ut parem se dignitati suae gerat, ac sanctissimo muneri suo sancta conversatione respondeat quam ipsa dignitatis munerisque notitia.

Itaque saepius ac serio gratiam vocationis, status sui excellentiam et officii quod gerit dignitatem consideret, eamque in dies magis magisque perspectam habere studeat: felix erit si se ipsum noverit, nimis indigna et perniciosa est illa filiorum Heli et qui eos sectantur ignorantia.

Perpendite quod justus Deus judex vobis dicit: *Quicunque glorificabit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles,* 1 *Reg. 2 v. 30.* Et apud Malachiam: *Propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles in omnibus populis, sicut non servastis vias meas.*

Sacerdotium ipsum, ait s. Chrysostomus, in terra quidem peragitur, sed in rerum coelestium classem ordinemque referendum est. Etenim iis qui in terra versantur atque eam incolunt, commissum est, ut ea quae in coelis sunt, dispensent: iis datum est, ut potes-

tatem habeant, quam Deus Opt. Max. nec Angelis neque Archangelis datam esse voluit (lib. 3 de sacerd. c. 4.)

Nam dum conspicis Dominum immolatum et constitutum sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem: tum vero turbam civium fusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari atque in terra consistere censes? An non potius e vestigio in coelos transferri? An non carnis cogitationem omnem abjiciens, nudo animo, mente pura circumspicis quae in coelo sunt? O miraculum! o Dei benignitatem! qui cum patre sursum sedit, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti (Idem loc. cit.) sed ne blandiri tibi de Dignitate tua, mi Sacerdos: onus suum habet hic honos et grande nimis. O quam vereri debemus, ne qui plus caeteris in hoc mundo accepisse cernimur, gravius inde ab authore mundi judicemur! certe, cum crescunt dona, donorum crescunt etiam rationes, et cui multum datum est, ab eo multum quaeretur (s. Gregor.) Idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum ut si in coelis ipsis collocatus inter coelestes illas virtutes staret medius: terribilia namque atque horrifica sunt quae administrat. (s. Chrysostomus lib. 3 de sacerdot. c. 3. Vide septem Tubas merlo horstii disc. eccl. pag. 301 et seqq.) Audiamus ergo (ait. s. Chrysost.) et sacerdotes et subditi quali nos esca dignatus sit. Audiamus et horreamus. Sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum, quaenam igitur erit nobis excusatio, cum talibus pasti talia peccamus, cum lupi fiamus Agnum comedentes? Quo igitur Crystallo non oportet esse puriorem animum tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, quae carnem hanc dividit, os quod igne spiritualiter repletur, linguam quae tremendo sanguine nimis rubescit? Cogita quali insignitus sis honore, quali mensa fruaris quod angeli videntes horrescunt, neque liberi audent intueri propter emicantem inde splendorem: hac nos pascimur, huic nos unimur. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis oves pascet proprio cruore etc.? (homil 60 ad populum). O! veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero virginis filius Dei incarnatur. Uno eodemque momento idem Deus qui praesidet in coelis manibus sacerdotis inest in s. sacramento altaris. Quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos enim ineffabile hoc conficit mysterium, et angeli conficienti quasi famuli assistunt. Quid mirum ergo, si super hoc tam insigni privilegio stupet coelum, miratur terra. Veretur homo, horret infernus, con-

tremiscit Diabolus et veneratur quam plurimum angelica Celsitudo. S. Aug. alleg. apud Molin. de inst. sacerd. tract. 1. cap. 5. O quam magnum et honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare: Labiis benedicere: manibus tenere, ore proprio sumere et caeteris ministrare. Grave mysterium et magna sacerdotum dignitas, quibus datum est quod angelis non est concessum. Soli namque sacerdotes in Ecclesia rite ordinati potestatem habent consecrandi corpus Christi (Thom. Kemp. lib. 4. c. 11 et lib. 4. c. 5) idem continuat ibidem (juxta s. Thomam.) Attende igitur et vide quale ministerium tibi traditum est per impositionem manuum Episcopi. Ecce sacerdos factus es, et ad celebrandum consecratus, vide nunc, ut fideliter et devote in suo tempore sacrificium Deo offeras et teipsum irreprehensibilem exhibeas. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinae et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus et aliis bonae vitae praebere exemplum, ejus conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in Coelo aut cum perfectis viris in terra. — — Magna prorsus et admiranda est sacerdotum dignitas, maxima illis est collata potestas, sua namque prolatione et *ad eorum* pene libitum corpus Christi, de panis transsubstantiatur materia, descendit de coelo in carne Verbum et altaris verissime reperitur in mensa (L Justin.) et continuat — Verum quoniam angelorum sive adstantium sive ministrantium, vice funguntur, potius angelicam quam humanam debent habere conversationem. Igitur accedat sacerdos ad Altaris Tribunal ut Christus; assistat ut angelus; ministret ut sanctus, populorum offerat vota ut pontifex, interpellet pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo. Huic expedit ut divinae sit laudis amator, religiosus in se, humilis corde et erga proximorum errata compassione compunctus (Serm. de Eucharistia.)

V. Mering. Die Bischöfe und Erzbischöfe von Cöln Th. 1, Lief. 6, S. 241. „des Probstes Worte: Wäre nur erst Demuth und strenge Zucht allenthalben unter uns Priestern und wären wir einig, so würden wir die mannichfachen Gebrechen dieser Welt leicht heilen, und die Hölle selbst könnte uns nicht schaden. — Dafür bürgt der feste Bau unserer unsichtbaren Kirche."

Praxis applicandi fructum Ss. Missae sacrificii.

Formatam intentionem offerendi sacrificium praeprimis qua Latreuticon et Eucharisticum sequitur intentio ante Missam formanda, applicandi fructum ejusdem pro petentium diversitate.

A. Fructum sacrificii quod jam celebrare intendo, applico primario et principaliter.

1) Si missa petatur in colore alio quam nigro, applico ad intentionem dantis eleemosinam, et illi vel illis cui vel quibus dans eleemosinam applicari voluit. 2) Si missa petatur pro defuncto vel defunctis, applico ad intentionem dantis eleemosinam et illi defuncto vel illis defunctis cui vel quibus fructum hujus missae applicari voluit dans eleemosinam, quod si is defunctus non indiget vel illi defuncti non indigeant, ad ulteriorem intentionem dantis eleemosinam applico et ulteriori non formata intentione vel hac locum non habente, conformiter praesumptae intentioni applico, illi vel illis cui vel quibus dans eleemosinam specialiter et quocunque modo obligatus est, his non existentibus ejusdem proximioribus consanguineis indigentibus, si nec tales existant, ipsimet danti. 3) Si missa fundata sit, applico ad intentionem fundatoris et si, uti praesumitur ordinarie, sibi applicari voluerit, applico ipsi; quod si non vel ipse non indigeat, illi vel illis cui vel quibus quocunque modo obligatus est et his deficientibus ejus proximioribus consanguineis vivis.

B. Intentio applicandi pro parochia formanda a parocho. Applico fructum hujus sacrificii primario et principaliter ovibus a divina providentia curae meae concreditis.

Dignare ergo o Jesu pastor supreme, peccatores ad te convertere, justos justificare, adhuc et in accepta justitia iisdem largiri perseverentiam, infirmos Ecclesiae tuae sanctae incolumes reddere, vel si salus animarum incolumitatem recuset, ad mortem sanctam eos praeparare; tentatis cum tentatione dare proventum, ut possint sustinere, afflictis consolationem, in quacunque necessitate constitutis, auxilium et liberationem, in uteris maternis existentibus baptismum, omnesque omni benedictione et gratia replere ovesque cum pastore ad felicem tandem aeternitatis partem perducere.

C. Formata intentione principali habetur conditionata secundaria.

1mo. Secundario si possum et in quantum possum absque dispendio illius vel illorum cui vel quibus fructum principaliter applico, pariter applico eundem curae meae concreditis, parentibus meis,

benefactoribus quibuscunque modo obligatus sum, morientibus et morituris illis et istis N. N. — defunctis etiam illis et istis N. N.

2do.. Eodem modo offero hoc sacrificium ad laudem et gloriam totius curiae triumphantis et quorum sanctorum virtutis et merita magis magisque innotescant viatoribus hique aemulentur carismata meliora — offero et pro Ecolesia militante, ut Jesus Christus eandem pacificare, custodire, adunare, regere et ampliare et ipsosmet hostiam sanctam offerentes in sacrificium et victimam acceptare, domnum apostolicum et episcopos et omnes animarum rectores justitia induere, ut exemplo simul doceant et verbo. — Domum illam e qua vitae clericalis fundamenta percepi clementissime protegere, regere, et conservare alumnosque ejusdem sapientia et gratia replere, ut omnigena virtute et sapientia instructi proficiant magis magisque ad majorem nominis sui gloriam et Ecclesiae suae sanctae aedificationem.

Principibus christianis pacem et concordiam donare, eorumque regimen dirigere, infideles, haereticos, schismaticos et excommunicatos gremio Ecclesiae aggregare, peccatores convertere, justos magis justificare et in accepta justitia confirmare, infirmos Ecclesiae suae salvare et incolumes reddere vel ad sanctam mortem praeparare, morientibus sacramenta et donum finalis perseverantiae indulgere, *in uteris* maternis existentibus baptismum largiri, in tribulatione et quacunque necessitate constitutis solatium et auxilium impertiri, omnes demum omni benedictione et gratia replere gratiosissime dignetur. —

Commendo tibi pariter, misericordissime, animas in purgatorio detentas, ut infinitis Jesu Christi filii tui meritis quae tibi pro eorum refrigerio et liberatione a poenis offero, indulgentiam quam semper optant quantocius consequantur. *Amen* *).

---

*) Sion 1843. Juni-Heft, Seite 668.

Rom. In der Sache der pflichtmäßigen Application des heiligen Meßopfers an Sonn- und Feiertagen für die Gemeinde hat die Congregatio Card. interpretum Conc. Trid. in neuerer Zeit wieder Entscheidungen erlassen. Aus den beiden ersten an den Bischof von Lücon unterm 8. August und an den Erzbischof von Bordeaux unterm 28. November 1842 erhellet: daß in jedem Jahre auch an dem Feste der Beschneidung des Herrn und den Festen Mariä Empfängniß, Mariä Geburt und Mariä Verkündigung die heilige Messe pro populo applicirt werden muß. Aus einer dritten an den apostolischen Vicar von Herzogenbusch in Holland aber geht klar hervor, daß die Pflicht der applicatio pro populo an Sonn- und Feiertagen eine persönliche für den Pfarrer ist, und daß er dieselbe nicht durch einen Stellvertreter, einen Vicar oder andern Priester erfüllen lassen dürfe, außer in wahren Nothfällen oder aus Canonischem Grunde.

Bemerkung.

Die im Satze nicht eingerückten und durchschossenen Stellen sind M o h - r e n ' s Dictate von 1806—1813, und diejenigen, welche eingerückt und compreß gedruckt sind, sowie die unter dem Texte stehenden Noten, sind Zusätze von Maria del Monte.

De Rubricis Generalibus,

Queis Ritus et Ceremoniae sacrosancti Missae sacrificii ordinantur.

Tractatus I abbreviatus,

Historiae potissimum et litterae accommodatus, ac pro juvamine intellectus et memoriae paragraphis et quaestionibus atque responsionibus discretus.

§. I.

De Rubricarum origine.

Quaestio I[ma]. Etymon Rubricarum unde?

Resp. Leges servandae ab iis, qui rei sacrae et praeprimis augustissimo Missae sacrificio vacant, *Rubricae* appellantur a *Rubro* quo ordinarie exarari assuevere; uti et olim tituli et inscriptiones legum terra rubra inscribebantur; *perlege rubras majorum leges.* *)

*Rubricae generales complectuntur ea, quae generatim accidunt in Missa, et ea sunt *octo.*

1) Concordantia cum officio.
2) Discordantia ab eodem.
3) Commemoratio ut in eodem.
4) Ordo tum partium Missae tum missarum inter se.
5) Varietas temporis, vocis et situs corporis.
6) Apparatus sacerdotis et altaris.
7) Ritus privatae Missae et solemnis.
8) Defectus in missa occurrentes.

„Alles Aeussere (in Hinsicht auf Gottesdienst) komme aus dem Inneren und wirke auf das Innere;
oder: alles Aeussere sei Sinnbild des inneren Lebens und werde ein Organ zur Belebung des Inneren;
oder: alles innere Leben der Religion schaffe sich gleichsam einen Leib, wodurch die Religion als Seele sich offenbaren und durch Offenbarung auf Belebung des Innern einwirken kann." **)

Q. II. Daturne discrimen Rubricas inter et Rubricas?

Resp. *Generales* se distinguunt a *specialibus.* *Generales* ritibus

---

*) Juvenalis sat. 14. Romsee Tom. 4to pag. 9. c. 10.

**) Sailer, neue Beiträge z. Bild. Geistl. München 1819. Th. II. p. 140.

et caeremoniis omni propemodum Missae propriis occupantur; *speciales* vero propriis tantum de tempore, de sanctis et caeteris normam praescribunt. *Rubricas praeceptivas a directivis* discernere pariter oportet.

Dari *praeceptivas* prudens nemo non ambiet; has enim et *Bulla Pii V.* Missali proposita, „*mandantes ac strictim omnibus praecipientes in virtute s. obedientiae, ut missam juxta ritum et normam in missali descriptam cantent vel legant.*" et *Concil. Trid. sess. VII can. 13.* manifeste adstruunt. Ideoque eisdem obligandi vim materiae attemperatam competere, sua sponte fluit.

Rubricae *praeceptivae* stringunt in conscientia, *directivae* per modum consilii positae, quas tamen ultimas alii agnoscere renuunt, sed omnes pro *praeceptivis* habent, quum res quae agatur non levis vel parvi ponderis sit, utque uniformitas circa ritus Ecclesiae in officio observetur divino et revera vel maxime ad *honorem Dei* et astantium devotionem conducit, quum econtra Minister *luridus* et *negligens* haud raro fidelibus *lapis offensionis* existat. Quod igitur omnes sint *praeceptivae,* id erui facile potest ex Pio V. l. c., quocum conspirat Bened. XIV de sacrif. Miss. P. II. cap. IV. §. 3., eo magis cum patres tridentini docent: „*Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus aut contemni aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti posse, anathema sit**)." Hinc bene hanc in rem scribit Doctor Fr. Cr. Pitroff. „Ich kann die Feinheit des Unterschiedes zwischen den befehlenden und leitenden Rubriken nicht einsehen. Sie sieht völlig der Grille eines Poenal- und Permissivgesetzes ähnlich **)."

Obligant ergo sub *gravi* vel *levi,* prout exigit materia. Materiae autem gravitas *ex fine,* ad quem ordinantur atque ab indecentia omissionis secundum judicium aestimanda est.

Addere, permutare, detrahere nihil omnino licet de iis ritibus, quos Missale praescribit ex Pio V., nisi Dioeceses habeant speciale seu proprium missale a Rom. Pontifice approbatum.

Omnis immunditia et indecentia notabilis circa vasa sacra, vestimenta etc. potest esse peccatum grave ob gravem irreverentiam contra praeceptum naturale et divinum; nam res sacrae et divinae decenter sunt tractandae (Conc. Lateranense IV.).

---

*) Sess. VII. Can. 33.

**) Anleit. zur pract. Gottesgelehrtheit Th. II. Auflage 2. S. 7. §. 133.

Porro communi ritualistarum sensu *res gravis* est,

1) Omittere Epistolam et Evangelium.
2) „ panis et vini Oblationem.
3) „ Commixtionem aquae cum vino.
4) „ integram orationem in canone.
5) „ verbum essentiale in consecratione.
6) „ Elevationem s. hostiae.
7) „ commixtionem s. particulae cum sanguine.

Materia levis,

Omissio unius orationis — tractus — antiphonae, quae dicitur offertorium vel communio — formationis crucis — genuflexionis — capitis inclinationis — manuum extensionis ante *oremus* — et manuum junctionis ad vocem *Deo* (in *Gloria in exc.*), similiter omissio *in unitate spiritus* et similium.

Q. III. Sed an *Rubricae* veri nominis *directivae* assignari possunt?

℞. Paucissimae admodum extant directivae sive consulentes *). Si enim has exceperis quas latas novimus de Psalmis, Versibus et Orationibus praeparationi ad Missam assignatis, ob clausulam: pro *opportunitate sacerdotis,* illas etiam, quae agunt de Missis votivis pro cujusque devotione celebrandis, de numero tandem orationum in praedictis votivis paucisque Missis aliis, vix alias reperies rubricas non praeceptivas. Nec etiam aliter opinari sinunt et *bulla Pii V* et *Conc. Trid.* locis supra relatis **).

Q. IV. Rubricae unde excerptae et ubi contentae?

℞. Excerptae et potissimum e *Sacramentariis, Antiphonariis et Ordinibus Romanis.*

Tria recensentur sacramentaria; primum *vetustissimum Romanum* sic dictum *Leoninum,* cujus usus perduravit ad *Gelasium* usque Romanum Pontificem hujus nominis primum. Alterum *Gelasianum* auctorem seu amplificatorem habens laudatum Gelasium R.

---

*) Romsee Tom. IV. p. 10.

**) Non oblivioni tradi oportet quod Binterim annotat. Denkw. 4. B. 3. Th. S. 215. „Wenn Oberdeutschland auf seinen Gerbert, so kann Niederdeutschland hinsichtlich der Liturgischen Kritik auf seinen Schulting stolz sein. Cornelius Schulting war am Ende des XVI. Jahrhunderts Canonicus in Cöln, sein Hauptaugenmerk warf er auf die zu Rom und Cöln gebräuchlichen Ritus und Kirchenordnungen. Beide Städte hatte er deshalb besucht. So schrieb er Prop. 23. Ita fit Romae et in Colonia. Dieses gibt uns den Beweis, daß damals Cöln mit Rom in den Gebräuchen ganz harmonirte.

P. et tertium *Gregorianum* a Gregorio Magno R. P. nuncupatum, qui Gelasianum correxisse memoratur. Sed de his plura §. X *).

Antiphonarium ab Antiphona ad Introitum nomen habens, cantanda a Diaconis et subdiaconis atque cantoribus complectebatur. A multo nunc tempore liber cantanda pro Missa continens *Graduale* et pro aliis divinis officiis *Antiphonale* intitulatur **).

Ordo Romanus modum Missae divinique officii pro praecipuis anni diebus dictabat. A pluribus quidem saeculis scripto exaratum *Georgius Cassander* primus excudi curavit, *Coloniae anno 1561*. Plures successive extitere Ordines Romani; doctissimus *Mabillonius* recenset quindecim, qui a Pontificibus Romanis vel aucti vel restituti vel contracti fuere. Sacramentariis, Antiphonariis et Ordinibus Romanis successit *Liber Missalis* vel *Missale* dictus, rubricas omnes totiusque Missae ordinem complectens. *Missale Romanum* ex Decreto ss. Conc. Trid. restitutum Pii V. R. P. jussu editum et auctoritate *Clementis VIII.* recognitum in tota Romana Ecclesia receptum est et quanquam plurimae Dioeceses peculiaribus utantur Missalibus, haec a Romano tamen quoad substantiam minime discordant. Tandem rubricis Missalis accedunt *sacrae Rituum congregationis Decreta,* quae pariter tanquam proximam sacrorum Rituum Regulam venerari oportet.

Q. V. Ritus, Caeremoniae circa quos et quas versantur Rubricae suntne unum et idem ***)?

℟. Illis subscribimus, qui discrimen ritus inter et caeremonias assignant. -- Inter varia vero Auctorum placita illa praeplacet opinio, quae caeremonias praecipue in actionibus, et ritus in verbis seu precibus consistere affirmat. —

Unde et *libri rituales* et *caeremoniales* vel a verbis praecipue vel ab actionibus nomen obtinuere. Quanquam ob junctas ordinarie ritibus Caeremonias et reciproce nomen utrumque saepe promiscue usurpetur. Unde etiam *Ritus latinus, Ritus graecus.*

Q. VI. Rituum et Caeremoniarum quis scopus?

---

*) „Die älteste Liturgie, welche bis auf unsere Zeiten schriftlich ist überliefert worden, ist jene des Pabstes Gelasius vom Jahre 444, welche der Cardinal Thomasius aus der Bibliothek der Königinn Christina von Schweden herausgegeben hat. (Binterim Denkw. Bd. 4. Th. I. p. 104.)

**) Romsee Tom. IV. pag. 12.

***) Romsee tom. IV. pag. 11.

℟. Ritus et Caeremoniae Deum colunt; rebus sacris majestatem conciliant et reverentiam, fidem, per haec visibilia signa nutriunt augentque, fidelem denique populum instruunt atque aedificant.

Q. VII. Quid intelligitur per Ecclesiae ceremonias?

℟. Sunt ritus seu actus externi religionis ad cultum divinum ordinati et actui interno correspondentes — seu dicuntur ritus ecclesiastici vel a Christo vel ab apostolis aut ecclesia instituti, ut sacra decentius majorique peragantur cum solemnitate.

Si rubricae non distincte et clare ritum aliquem aut caeremonias exprimunt sed id tantum obscure insinuant, aut sub dubio relinquunt, facultas est eligendi id, quod rubricis quis magis conformiter judicaverit.

Quaedam versantur in *verbis*, ut *Exorcismi* in baptismo, aliae in *gestibus*, ut *genuflectiones, pectoris tunsiones, manuum extensiones*, aliae in *externarum materiarum usu* puta: *aquae benedictae, salis etc.* nonnullae praecedunt, aliae concomitantur, quaedam subsequuntur administrationem sacramentorum, aliae demum vocantur sacramentalia, de quibus paulo inferius.

Q. VIII. Penes quem jus instituendi ceremonias residet?

℟. Penes ecclesiam. Ipsimet Apostoli repraesentantes ecclesiam *imperantem* nonnulla sanxerunt Caeremonialia, qualia fuere abstinendi a sanguine et suffocato, electio Mathaei per sortes etc. *). Eadem extiterat praxis jam in vetere lege. Sic Jacob patriarcha lapidem erexerat in titulum (monumentum) fundens oleum desuper **). Haec potestas semper fuit in ecclesia, testibus patribus Conc. trid. ***).

Q. IX. An earum usus laudabilis et utilis?

℟. Omnino. Nam in quovis religionis statu ritus quidam in divino cultu extitere, ut patet ex sacrificiis Abel, Noë, Abraham etc. Ipse Deus id Caeremoniarum genus in lege Mosaica praescribit †). Profecto pietatem nutriunt, promovent et ceu signa spiritualem finem significant, rudibus religionis majestatem commendant. Teste Justino Mart. Apolog 2. jam in primitiva ecclesia plures usitatae erant.

Caeremoniae, quae in cultu publico in Ss. Missae sacrificio adhibentur, nil aliud esse debent quam honoris *interni* signa externa, quam reverentiae *Deo debitae* testimonia et devotionis incitamenta;

---

*) Actor I. 26. XV. 28—29.

**) Gen. 28, 18.

***) Sess. XXI. cap. II.

†) Deut. IV. et seq.

quapropter clericis *maxime cavendum*, ne potior divini cultus ratio in *exteriori* collocetur; sed in id incumbendum praecipue, ut mediantibus hisce adminiculis *devotio interna* in ipsis fidelibus potior excitetur et ad Deum spiritus de terra elevetur.

Hic est ecclesiae spiritus, quo in sacris caeremoniis Ministros natos esse oportet, hoc spiritu qui carent, ii sunt, *quos vidimus quotidie* sine ullo pietatis sensu sacras peragere caeremonias quasi tractarent rem profanam.

Causa potissimum hujus mali est, quod in eorum animo *fere nulla* sit ceremoniarum veneratio, *levis* aut *nulla mysticae* significationis intelligentia, rari conatus ad pios affectus eliciendos aut fovendos, qui mysticae significationi correspondent *).

Haec addita ad hoc praeterea destinata, ut ministris Dei Ceremoniarum veneratio, mysticae significationes et affectus significationi correspondentes instillentur.

Utilitas sacrarum caeremoniarum magna est, si eo quo decet modo exerceantur, Dei cultum splendidiorem reddunt, per has illis altiorem ideam intuentium animis exprimunt, pias cogitationes suscitant, quae mentes nunc terrenis adhaerentes ad coelestia erigunt, denique mediantibus his sanctis cogitationibus pios in animo affectus nunc excitant, unde fit, ut sancta sancte tractentur.

---

*) Sailer a. a. O. „Gut ist die Ceremonie, die Hohes, Himmlisches, Göttliches sinnbildet und durch Sinnbildung Hohes, Himmlisches, Göttliches in das Gemüth des Menschen einbildet, oder darin fortbildet. Wer also als Lehrer des Volkes und besonders als Liturg diese eigentliche Kraft der Ceremonie, Hohes, Himmlisches, Göttliches zu sinnbilden und durch Sinnbilduug in die Herzen der Menschen einzubilden nicht benutzt, entzieht sich und dem Volke großen Vortheil, den nämlich, das Unsichtbare dem Volke sichtbar zu machen, und es durch das Sichtbare zum Unsichtbaren empor zu heben. Wer den Ceremonien eine andere Kraft beilegt, als die, das Himmlische, Göttliche zu sinnbilden und durch Sinnbildung (significationem mysticam) die innere Andacht zu beleben, fördert Unwissenheit, falsches Zutrauen, Aberglauben.

Wer die Ceremonien vor dem Volke mit- oder vormacht, ohne wenigstens durch die That selber ihr Dollmetsch zu sein, ohne ihnen Sinn und Leben einzuhauchen, fördert Mechanismus, Materialismus, Verwesung.

Wer sie da, wo sie vorgeschrieben sind, ganz wegläßt, (wir dürfen hinzufügen: oder neue aus eigenem Vorrathe an die Stelle setzt) ärgert das Volk, das er erbauen sollte, und tritt aus dem Kreise eines untergeordneten Kirchendieners.“ (Seite 233 u. 234.

Ut vero multiplicem hanc utilitatem inde hauriamus, tria potissimum sunt requisita,

1) Caeremoniarum veneratio,

2) significationis earum intelligentia,

3) frequens conatus piorum affectuum significationi conformium.

Ad 1^{mum}. Venerationem merentur tum sancta antiquitate, tum quod sacrae sunt adque Dei cultum pertinent, ad quem promovendum Ecclesiae Ministri consecrati sunt, tum quod ipsos catholicos discernunt ab haereticis.

Ad 2^{dum} habent Caeremoniae divinae vel ecclesiasticae legis sanctas significationes, quas si ignoramus, venerari adhuc quidem possumus, sed instructionem et instructionis fructum nec nos percipere nec fidelibus communicare possumus, sicut is, qui non novit legere, si litteras in optimo codice scriptas videat, laudat quidem apicum pulchritudinem, quod vero sibi velint, nescit; quod oculis videt, laudat, mente tamen non cognoscit; ita illi sunt, qui caeremoniarum significationem non cognoscunt.

Ex hac enim merito culpabili ignorantia passim pervenit, quod sacrae caeremoniae absque omni tenore pietatis et sensu exerceantur, quod pietas solummodo in ritibus constituatur externis, cordisque *affectus*, in quibus vera consistit pietas, nil valeant. Procul a nobis sunto.

Ad 3^{tium} hi affectus in rem divinam praecipue sunt Caeremoniarum finis, quos si non conjungimus, eodem primo sancto effectu fraudamur, imo et illarum significationem ex parte nostra reddimus falsam. Si vero eosdem illis conjungimus, tunc adoramus patrem *in spiritu,* quia non haerebimus in cortice actionis externae, et *in veritate*, quod caeremoniarum significationem in nobis verificari faciamus. Hunc in finem duo huic operi adjungimus et exponimus, nempe

1. Caeremoniarum Missae mysticam significationem,

2. Quos affectus ista postulet.

In medio aevo caeremoniae missae recolentes et significantes redemptionis mysterium praeprimis amplexabantur. Merati plura collegit in Thesauro rituum parte 2. tit. 16. — Inter praecipua sapit, quod sub titulo „mystica expositio Missae secundum ordinem totius vitae Christi quam repraesentat,“ dilucidavit. Epitome hujus: *sacerdos ad altare veniens de sacristia;* hic admirare verbum divinum passioni destinatum, quod egreditur e sinu patris. — *Inclinat se sacerdos ante altare, ut faciat confessionem;* O exinanitio divini verbi, quod formam servi accepit in similitudinem carnis peccati —

In introitu — audi iterata desideria et voces ss. patrum antiquorum. — *Gloria in excelsis,* — ecce Christus natus gaudentesque angeli cantantes. — *In cornu epistolae initium fit missae, ubi et orationes dicuntur;* cerne Christum primo missum ad Judaeos, quorum reliquiae in fine mundi salvabuntur, unde et ibidem habetur Missae finis, ubi et initium.

Graduale significatur ascensio discipulorum Christi, vocatorum per gradus post Joannis praedicationem: succedit evangelium in parte altaris altera, quia gentibus fit communis Christi doctrina.... consecratio repraesentat coenam Domini. — Elevatio hostiae et calicis, anticipatam crucis et in ea crucifixi elevationem. — Frangitur hostia; quia in fractione cognitus fuit Christus. Ultima benedictio missionem s. spiritus in nomine ss. Trinitatis in Pentecoste denotat *).

Mentis siccitas, ariditas, stupiditas et segnitia adeo invaluit ut ii, qui vi officii possent, tanquam *fructus consumere nati* se gerant, quiescant, non vero in laureis suis, sed potius in suis betularum armentis, commoditati servientes, muti, insipidi et omni coelesti se demonstrent vacuos. Quapropter in mentem revocari oportet, quae majores nostri industria, vigiliis, laboribus, scientia ac pietate et profundissima rerum notitia praefulgentes consideratione ac curae nobis mandata reliquerunt.

Agimus itaque hic de excerptis ex tractatu ascetico. De sacrificio Missae Cardinalis S. R. E. Joan. Bona Cap. V. §. 1. *De proxima dispositione ad missam pag. 94.* „Pervulgatum apud ss. Patres axioma est, quod talem se animae exhibet Deus, qualem se illa praeparet Deo. Ideo Christus in Eucharistia aliis quidem est fructus vitae, panis Angelorum, manna absconditum, paradisus deliciarum, ignis consumens, et tertium coelum, in quo audiuntur verba arcana, quae non licet homini loqui. Aliis vero est panis insipidus, omni carens dulcedine, et vitali operatione nauseatque anima eorum super cibo isto: quia nimirum mors est malis, vita bonis, et sicut quisque erga Deum affectus est, talem ipsum erga se expetitur. Pauci sunt, qui admirabiles hujus sacri convivii in se sentiant ef-

---

*) Mohren narrabat 1812, cum perspexerat alumnum ritus exercitia perfunctorie agentem; quadam die, quum perspexisset Joannes Avila, pietate et doctrina clarissimus presbyter, quendam sacra nimis perfunctorie et festinanter agentem et minus reverenter sacram hostiam pertractantem, accessisse eum ad altare cereum in candelabro erecturum, et submissa quidem voce ita tamen, ut a sacerdote commode potuisset intelligi, ad eum dixisse: *Bene cum ipso age; filius est enim boni patris.* — Qui aures habet, audiat — capiat. —

fectus, quia pauci sunt, qui se ad illos recipiendos rite disponant, qui serio cogitent, se ad sancta sanctorum accedere, ad altare Dei, ad Deum ipsum. Ideo multi infirmi sunt et imbecilles, et dormiunt multi. Mortem olim summo sacerdoti minabatur Deus si ausus fuisset introire in sancta sanctorum sine strepitu tintinnabulorum, non radians gemmis, non fulgens auro omniumque virtutum varietate circumamictus. Quem ergo poenam merebitur novae legis sacerdos, qui non ad arcam typicam sed ad Deum ipsum accedit, ut filium ejus Dominum Jesum Christum immolet, tangat, comedat; nisi id faciat ea solicitudine, attentione et apparatu, qui dignus sit tali convivio, dignus Deo? Instante itaque celebratione totis viribus curare debet, ut in ara cordis ignem divini amoris succendat, actusque eliciat diversarum virtutum, qui heroici sint, et tanto sacrificio ejusque termino et objecto quantum fieri potest convenientes. Quia vero in hoc sacrificio non solum animus sed etiam corpus occupatur, ipsum quoque oportet ab omni sorde incontaminatum custodire. Si enim sacerdos mosaica sacrificia, quae nonnisi infirma et egena elementa fuerunt, ac umbra futurorum, oblaturus ex Dei praescripto nitidis vestibus indui corpusque lavare tenebatur: quanto magis decet a sordibus etiam corporeis sacerdotem christianum expurgari, qui Domini sui carnem et sanguinem offert, comedit, bibit? Et primo quidem necessariae sunt Celebraturo hae corporis dispositiones, jejunium scilicet, castitas et carnis munditia, de quibus disserere ad scholasticos spectat: vestes item compositae et modestae quae sordibus careant et pompa, nec quidquam redoleant, quod a statu sacerdotis alienum sit, tum quia Christus ante hujus sacramenti institutionem lavit pedes Discipulorum suorum, debet sacerdos pedes animae, qui sunt affectus, ab omni macula expurgare, cor lacrimis abluere, et dum manus lavat, actu ferventissimo contritionis omnem vel levissimam culpam expiare. Cum vero lotis manibus hostiam patenae imponet, intentionem renovabit, considerans quod ille panis mox fiet corpus Christi, tum ex suae vilitatis atque immensae dignitatis hujus mysterii apprehensione, actus eliciet timoris et confusionis *).

---

*) De caeremoniis et specialiter de benedictionibus et sacramentalibus vide plura in appendice hujus operis.

§. II.

De praerequisites ad Missae sacrificium, ac praeprimis de loco in quo celebranda Missa.

Q. I. Mos in determinatum conveniendi locum, ad celebranda Missarum solemnia aliaque Mysteria estne antiquus in Ecclesia?

℞. Morem fidelium conveniendi locum, celebrandis Missarum solemniis aliisque mysteriis destinatum, ecclesiae primordiis coaevum jure optimo dixerimus. Etenim in Actis Apostolorum cap. XX memorat s. *Lucas*, fideles in tertiam domus contignationem convenisse ad *frangendum panem* utique eucharisticum; et s. Paulus in 1. Cor. cap. XI. reprehendit Corinthios, quod cum eundem in finem convenirent, suam quisque coenam secum afferret et unus quidem manducaret, alius autem esuriret, et addit: *Nunquid domos non habetis ad manducandum aut bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis**)?

Disciplina haec ab Apostolis accepta, constans semper perduravit. Juvabit quosdam ejusdem testes afferre. S. Ignatius Episcopus Antiochenus et Martyr in Epist. ad Magnesios eosdem hortatur, ut in locum, qui templum Dei nominatur, conveniant. Tertull. libr. de idololatria scribit: *tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens, christianos ab idolis ad ecclesiam venire.* de adversarii officina in domum Dei, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum.

Origenes Hom. X. in Josuam loquitur *de adornandis christianorum ecclesiis et altaribus.* Lactantius l. II. institut. cap. 2. templa recenset, quae Diocletianus destrui jussit; ut innumera alia sanctorum patrum testimonia silentio praetereamus. Saeviente interim persecutione, in privatis domibus, in carceribus, in cryptis, sub dio etc. celebrata fuisse sanctissima mysteria, ex Hist. Ecclesiae compertum habemus **).

Quam vero facultatem dura indulgebat necessitas, istam ad sola loca Deo sacra limitavit christiana libertas. Unde s. Cyrillus Alexandr. lib. adv. Anthropomorphitas cap. 12 ait. Donum sive oblatio, quam mystice celebramus, in solis orthodoxorum s. ecclesiis offerri debent, neque alibi omnino, qui secus faciunt, aperte legem violant. Quinimo in consecratis tantum templis privilegio excepto divina peragi mysteria antiquissimus fert ritus ecclesiae; rei nostrae eximie suffragatur *Eusebius* Caesar. eccles. histor. lib. X. cap. 3, ubi commemo-

---

*) V. Card. Bona Rer. Lit. Libr. 1. cap. 19. pag. 410.

**) V. Bona l. cit. pag. 412 N. III.

rans jubilum religionis ob initiatum sacris nostris *Constantinum magnum,* refert porro: *„Votivum nobis ac desideratum spectaculum praebebatur dedicationum scilicet festivitas* per *singulas urbes et oratoriorum recens structorum consecrationis."* Medio aevo eadem viguit quae primis illis saeculis disciplina. Variis siquidem ecclesiasticis sanctionibus vetitum fuit, ne extra templa nisi compellente necessitate, et tum non nisi supra petram ab episcopo consecratam sacrificium perageretur.

Religiosa porro haec disciplina ad nostra usque tempora pie ab ecclesia semper custodita fuit.

Ss. Trid. Synodus sess. 22 in Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae jubet *„ne* (Episcopi) *patiantur privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam vel ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab iisdem ordinariis designanda et visitanda hoc sacrificium a saecularibus et regularibus quibuscunque peragi."* Quomodo vero ecclesiae amittant consecrationem et quomodo reconciliari debeant, apud obvios quosque deprehendere licet theologos.

Q. II. Queis nominibus templa primis ecclesiae saeculis fuere compellata?

℟. Postquam cessante persecutione pacatiora ecclesiae illuscere tempora et ubique gentium Deo templa extrui coepere, haec magnificis fuere condecorata nominibus.

Auctoritate siquidem Evangelii primo dicebantur: *Domus Dei, Domus orationis.* Secundo appellabantur *Dominica* a Latinis et *Kyriaca* a Graecis, quia Domino dominantium dedicata*). — A duobus hisce nominibus quidam germani scriptores vocabula germanica Dom et Kirche derivata volunt. Tertio et quibusdam templis nomen: *Apostolea* vel *Prophetea* tributum fuit, quae vel in memoriam alicujus Apostoli vel Prophetae aedificata fuere. Quarto a graecis *Eucteria* et *Proseucteria*, a latinis *Oratoria* omnes saepe ecclesiae vocabantur. Ampliores vero et augustiores *Basilicarum* nomine condecorabantur.

Translatum hoc nomen erat a regum palatiis; vel aedificiis illis magnificis, in quibus judicia exercebantur, quae palatia et aedificia Basilicae appellari consueverant; vel ergo ob aedificii magnificentiam vel dedicationem regi regum factam, splendidiora christianorum templa Basilicae appellabantur. Vel etiam, quia profanae Basilicae in sacras conversae fuere. *Quinto* eadem templa sub *Titulorum* nomine

*) Bona p. 414. N. IV.

aliquando veniebant. *Liber Pontificalis de Marcello Papa* refert: „Hic *viginti quinque Titulos* in Urbe Roma constituit, propter *Baptismum* et *Poenitentiam* et propter *Martyrum sepulturas.*

Sexto demum iisdem templis latini nomen *Memoria* et graeci *Martyria* indiderunt; a martyribus quippe, super quorum sepulcris ecclesiae cingebantur. Mos extruendi ecclesias super sanctorum reliquiis universalis adeo evasit, ut, cum Iconomachi eundem convellere et abrogare coepissent, synodus septima generalis Can. 1mo statueret, ut, quaecunque templa sine Martyrum reliquiis consecratae erant, in iis reliquiae cum precibus consuetis ponerentur; et siquis templum sine reliquiis consecraret, deponeretur, tanquam transgressor ecclesiasticarum traditionum *). Utque ritus antiqui specimen servaretur, in jure canonico (et in pontificali) lege cautum est, ut reliquiae sanctorum in *Altarium* sic dictis *sepulcris* recondantur.

Q. III. Quae antiquiorum ecclesiarum formae, quis situs, quae partes?

℞. Quanquam antiquarum structura ecclesiarum non fuerit ubique eadem, *auctor* tamen *constitut. Apostolic.* lib. II. cap. 57, hanc earundem adfert delineationem communius frequentatam: ac *primo quidem aedes sit oblonga, ad orientem versa, ex utraque parte pastophoria i. e. Sacrarium versus orientem habens et quae navi sit similis . . . Mulieres quoque separatim et ipsae sedeant* ac sermone abstinentes **).

Inde itaque colligere licet ecclesias plerumque oblongas et navi similes fuisse; quae forma graece *dromica* et latine *deambulatoria* ob longam ecclesiarum figuram dicebatur. *Secundo* sequitur pariter, introitum ecclesiarum frequentius respexisse Occidentem, altare vero Orientem spectasse. Tertio et inde intelligimus virorum a foeminis discriminata loca.

Si de partibus earundem ecclesiarum pauca scire lubeat; partibus ordinarie quatuor constabant, illae saltem quae Basilicae dicebantur ***). Prima itaque pars *Vestibulum* seu *porticus* erat, atque prae foribus ecclesiae structa. Hic erat statio *Poenitentium* primae classis; hoc est: *Flentium,* qui ab introitu ecclesiae exclusi, lamentabili sua conditione introeuntium misericordiam sollicitabant.

Secunda ecclesiarum pars appellabatur *narthex, navis* seu *gre-*

---

*) V. Card. Bona R. L. lib. 1. cap. 19. p. 415 N. V.

**) V. Bona Loc. cit. lib. 1. cap. 20. p. 418 N. IV.

***) Bona p. 419. N. 5.

nium. Huc populus ad divina conveniebat officia eratque statio Poenitentium, qui audientes dicebantur, eo quod Lectiones scripturarum earumque interpretationem et sermonem audirent. Consistebant et ibidem *ethnici, judaei, haeretici, schismatici* et primae classis *Catechumeni*, qui etiam sub nomine *audientium* veniebant.

Tertiae parti nomen erat: *suggestum* vel *ambon.* Nominis hujus Etymologia derivatur vel *ab ambiendo*; quia intrantem cingit ambiendo, vel a graeco vocabulo: *ambon* i. e. *locus editus*, ad quem per gradus ascendendo pervenitur . . . Sed ambonem usque pertingebat *tertia poenitentium* classis *substratorum* dicta; quibus ultra progredi non licebat. Hi jejuniis, precibus, humiliationibus aliisque laboriosis exercebantur operibus, et in singulis Synaxibus preces super illos in genua procumbentes cum manuum impositione fundebantur; unde nomen *substratorum* obtinuere. Quarta tandem ecclessiae pars diversis insigniebatur nominibus, quae erant: *sacrarium, sanctuarium*, *sanctum sanctorum, Presbyterium*, denique *chorus.* Intima haec ecclesiae pars ligneis septis, seu cancellis ab aliis separata, a graecis: *Abata* et *Aduta* et a latinis *Adyta* i. e. *Inaccessa* utpote concessus solius cleri dici consuevit. Ab ambone ad hos vere cancellos quarta poenitentium classis, quae consistentium nomine veniebat, suam habebat stationem; et quanquam hi *consistentes ad* participationem corporis et sanguinis Domini nondum admitterentur, integrae tamen Missae cum reliquis fidelibus assistebant. Secunda vero poenitentium classis una cum aggregatis sibi et tertia classis ad vocem Diaconi: *„exeant qui non communicant“* de ecclesia ante offertorium exire compellabantur*).

§. III.

De Altari.

Q. I. Usus altarium estne vetustus in Ecclesia?

℞. Dubitandum minime, quin ad ipsa Apostolorum tempora ascendere oporteat, siquis altarium velit investigare originem. Testem invocamus Apostolum, qui in epistola ad Haebr. cap. 13 scribit: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo*

---

*) Sion 1837. pag. 880. Die Kirchen ehemals und jetzt vom h. Chrysostomus „Privathäuser waren ehemals Kirchen, und heute sind Kirchen kaum etwas mehr als Privathäuser. Damals sprachen die Christen zu Hause nur von göttlichen Dingen, und jetzt reden sie in der Kirche oft nur sehr Irdisches.“

deserviunt *), Sacerdotes quippe et Levitae antiqui foederis. Si patrum aliqua afferre lubeat testimonia; Tertull. **) scribit: *Nonne solennior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris?* S. Cyprian. Ep. 66: *neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare.*

Notissima insuper historia est, donatistas adversus catholicos tam immani fuisse debachatos odio, ut eorum frangerent *Altaria* quasi vero polluta. Quamquam vero Origenes, Minutius felix, Arnobius et Lactantius exprobrationes, (christianis nempe nulla esse altaria) videantur confessi, aras tantum gentilium more Idolis sacras vel carnalibus gentilium sacrificiis destinatas, christianis non esse innuere volebant.

Q. II. *Quae a catholicis data fuere altaribus nomina?*

℟. *Ara, Altare,* quasi alta ara; *mensa sacra, mystica spiritualis et coelestis.* Vocabantur etiam *Martyrium. confessio, memoria,* a reliquiis nempe Martyrum, super quorum sepulchris immaculatum Deo sacrificium saepe offerebatur.

Q. III. *Qua materia fabricata fuere altaria primae aetatis?*

℟. Moris uniformis certa non ministrat antiquitas monumenta. Altaria tamen lignea saeviente persecutione utpote de loco in locum portanda facilius a primorum saeculorum fidelibus frequentius adhibita fuisse communior tenet opinio, quanquam et lapidea, prout rerum locorumque circumstantiae exigere videbantur, usurpata pariter fuisse testis sit Greg. Nyssenus orat. in bapt. Christi: „*nam et altare hoc sanctum, cui adsistimus, lapis est natura communis...... Postquam vero Dei cultui consecratum atque dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum, quod non amplius ab omnibus promiscue tangitur, sed a solis sacerdotibus iisque venerantibus contrectatur* ***)". Cum secundioribus ecclesia uti rebus coepisset, referente libro pontificali, Constantinus Magnus septem ex argento purissimo exstrui curavit in constantinopolitana Basilica, quorum singula libras pensabant 260.

Sixtus III pariter altare argenteum 300 librorum eodem libro pontificali teste basilicae liberianae obtulit. Hoc unum incertum, num memorata altaria e solido constiterint argento, an e ligno vel lapide laminis argenteis obducta.

---

*) V. Romsee T. 2. p. 151. Bona R. L. lib. 1. cap. XX. p. 416.

**) Lib. de orat cap. 14.

***) Bona pag. 417.

Quam certum vero nunc est, altaria nonnisi lapidea, eaque consecrata sanctissimo Missae sacrificio subservire posse, tam incertum, an s. Sylvester Papa anno 314, aliusne hujus ecclesiasticae disciplinae auctor fuerit. Hanc tandem disciplinam in legem jam dudum abiisse, eruitur e Decreto Gratiani Part. III. dist. I. „Altaria si *non fuerint lapidea,* chrysmatis unctione non consecrentur.“

1. Altare significat mensam Domini, in qua instituit ss. Eucharistiae sacramentum. Amalar. l. 1. c. 24. Durandus in Rat.

2. Crucem Christi, in qua Christus fuit cruente immolatus. (Bernardus de coena Domini) vel etiam ejus sepulchrum lapideum *).

3. Montem Calvariae, seu montis summitatem, in quo immolatus fuit Christus **).

Q. IV. *An una eademque primis ecclesiae saeculis fuit altarium structura?*

℞. Structura fuit diversa, aliquando enim uni tantum columnae mensa superjacebat, aliquando quatuor columnis eadem mensa suffulta erat, aliquando duae tantum columnae ex utroque latere altare sustinebant. Denique nonnulla quadro superposita aedificio tumuli formam referebant, tanquam martyrum sepulchra, quae proprie *altaria* quasi altae arae dicebantur ***).

Ultimae figurae altaria praeprimis fixa et immobilia utpote structurae inferiori adhaerentia dici consueverunt, antiqua tamen etiam sunt in ecclesia altaria mobilia seu portatilia. Ven. Beda horum meminit lib. V. Histor. cap. 11 et Hincmarus Rhemensis in editis a se capitulis anno Episcopatus sui duodecimo de iisdem ita sancivit. „Nemo presbyterorum in altari ab Episcopo non consecrato cantare missam praesumat †).“ Quapropter si necessitas poposcerit, donec altaria vel ecclesia consecretur et in capellis etiam, quae consecrationem non merentur, tabulam quisque presbyter, cui necessarium fuerit de marmore vel de petra nigra, vel litio honestissimo secundum suam possibilitatem honeste adfectatam habeat, et nobis ad consecrandum adferat, quam secum, cum expedierit, deferat, in qua sacra mysteria secundum ritum ecclesiasticum agere valeat. Ecclesia graeca altaribus portatilibus non utitur.

---

*) D. Thoma I. cont. 5.

**) Trid. sess. 22. C. 1.

***) Vid. Bona l. cit. cap. XX. §. 1. pag. 416 et 417.

†) Bona N. II. pag. 417.

Gradus altaris summi debent esse tres, reliquorum duo vel unus. Vestiri possunt tapetibus aut etiam pavimento circum altare, sed, quod bene notandum, in his tapetibus et nullatenus intertexta esse debet crux, ne quidem crucis forma, ne sancta crux pedibus calcetur, etiam contra reverentiam est, si imagines sanctorum in iis depingantur *).

Q. V. *An et quomodo altare sive fixum sive portatile suam amittere potest consecrationem* **)?

℞. Altare fixum suam amittit consecrationem.

Primo, cum mensa altaris etiam integra manens a sua, cui adhaeret basi, separatur. Non amittit, si mensa basi conjuncta maneat, etiamsi cum basi de uno in alium transferatur locum; licet etiam lapidibus mediatis mensae immediate non connexis alii substituantur lapides.

Secundo. Altare tam fixum quam mobile suam amittit consecrationem, si petra laesa ita frangatur, ut nulla pars apta maneat ad continendum calicem et hostiam.

Tertio. Altare et tunc amittere consecrationem, tenet securior pro praxi sententia, quando aperitur secretum reliquiarum et a potiori, quando ablatae sunt reliquiae; conformiter enim antiquissimae ecclesiasticae disciplinae et Canone VII Synodi VII generalis, pontificale romanum in quibuscunque altaribus reliquias requirit.

Quarto. Altare fixum et non portatile profanatur, si polluatur ecclesia; primum enim, non secundum, partem Ecclesiae, cui adfixum est, constituit.

Q. VI. *Quot in singulis ecclesiis altaria habuit antiquitas?*

℞. Plerumque non nisi unum. S. Ignatius Martyr ad Philadelph. N. 17 scribit: *Unum altare, unus Episcopus"* et Eusebius lib. X. cap. 4: *„altare in templo Paulini in urbe Tyro unigeniam"* aram appellat. Saeculo sexto plura modo in ecclesia altaria extitisse testantur Gregor. Turon. lib. de gloria Martyrum et Gregorius Magnus Epist. 49 ad Palladium Sanctionensem lib. 6. Graeci quidem etiamnum unicum intra ecclesiam altare habent, in oratoriis tamen circum templi perimetrum missam quoque celebrant.

Q. VII. *Estne licitum vel illicitum altaria extruere inque iis sacra peragere, ubi non sunt reconditae sanctorum reliquiae?*

℞. Illicitum est. Card. Bona ait: *mihi videtur celeberrimus*

---

*) Fragmenta Mohren 1812, vide desuper Decret. synodalia sub Max Henrico p. 1. tit. 0. cap. 4. §. 1.

**) Romsee Tom. 2. pag. 154.

et inviolabilis ecclesiae ritus, ut sine Martyrum reliquiis nullum templum nullumve altare aedificetur; teste Anastasio coepit hic primum in ecclesia romana observari. Felix I. Papa *„constituit supra sepulchra aut memorias martyrum missas celebrari* *). Ejusmodi institutionem longe ante Felicis tempora ecclesia sibi vindicat ..... Felicis ergo decretum stabilisse videtur, quod absque scripto canone traditione tantum servaretur **).“

Ivo Cornotensis 2 P. Decret. cap. 132 ex concilio quodam Rhemensi ait: observandum est, ut mensa Christi i. e. altare .... ubi ss. reliquiae reconduntur .... etc. nihil super eo ponatur nisi capsae cum sanctorum reliquiis et quatuor Evangelia ***).

Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus nostrae parietes exstruuntur et pavimenta exornantur: sed cum Dei cultui consecratum atque dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus sed a solis sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur †).

Altaria privilegiata. Benedict. XIII. hat mittelst Breve vom 24. July allen Pfarrkirchen ein altare privilegiatum auf einige Zeiten verliehen. Uebrigens pflegen diese von der S. R. Congr. ausgefertigt und meistens nur auf sieben Jahre verliehen zu werden ††). Annon renoventur hodie haec privilegia?

§. IV.

De iis, queis altare instrui debet, ornamentis.

Q. I. *Quae requisita sunt altaris ornamenta?*

R. Tectum altare sit ternis linteis mundis ab Episcopo vel alio cui facta facultas benedictis †††).

Anterior arae facies amiculo, seu pallio contingenda *) — cui color sit officio congruens. *Tertio* in medio altari crux erecta sit, et ad hujus utrumque latus candelabra sint, cum candelis saltem duabus accensis. *Quarto* in cornu epistolae sit pulvinus vel pul-

---

*) P. II. Rer. Liturg. pag. 57 et 59 ait. Baronius ad ann. 275. Num. 2.

**) Ita Bollandist. acta ss. Aprilis Tom. I. pag. 28. — Tillemont H. eccl Tom. 4. edit. Venet. p. 364 Fere idem ac Felix sancivit Gregor. M. teste Anastasio et Strab. cap. 10. —

***) Bona R. L. lib. 1. cap 25. § 13. p 344.

†) Greg. Nyssenus lib. delect. testim. ex vet. testam contra Judaeos.

††) S. Grundmayer Liturgisches Lexicon, Augsburg 1822. S. 314.

†††) Romsee Tom. II. pag. 154.

*) V. Romsee tom. II. pag. 156.

pitum missali suppositum. *Quinto* demum ad pedem crucis et utrumque latus sint tabellae.

Temporibus istis ubi inter nos vivunt Judaei, ethnici, infideles et pravi christiani, in id rectoribus ecclesiarum maxime incumbendum, ut quaesito altarium ornatu et exquisitum ordinem in cultu divino sibi operam dent, ut astantium et intuentium animis placeant et salutares cordis emollitiones durantes provocent, curent, ne ecclesiae, ne altaria, tabernaculum sordida aspiciantur, ne linteamina scissa, dilacerata in usu altaris, ne sacrae vestes corruptae videantur, ne sacra vasa aerugine plena conspiciantur, ne domestica suppellectilia mundiora integrioraque appareant quam sacrata. Puritas nil poscit quam manus; nisi haberi possent, sacerdos ipse suas habet, quas mittere debeat ad aratrum*).

Sacri panni, qui explicantur in altari, sindonem et lintea mira significant, queis sacrum Christi corpus involutum erat in sepulchro. (Innoc. III) vel candorem carnis et humanitatis Christi **).

Q. II. *Quando mos ille coepit missam celebrandi praesente cruce?*

℟. Juveninus de $s^{mtis.}$ dissert. 5ta de eucharistiae sacramento quaest. 8. num. 4. art. 3. Sic fert ecclesiarum omnium consuetudo, cujus quidem, cum in conciliis aut in patribus initium non reperiatur, ad ipsos Apostolos juxta Augustini principia refundi debet ***).

Crux designat Triumphum Christi, qui mundum non ferro domuit, sed ligno. — Sacerdos intuitu crucis animatur ad crucis mortificationem et discat non gloriari nisi in cruce et orare pro delictis populi. Bonaventura —

Decuit etiam, ut ritus, de quo agitur, obtineret; par enim est, ut Christi passio sacerdotis sacrificantis oculis obversetur, *quam Missa ad vivum exhibet* Et haec quidem conformiter canoni tertio Conc. Turon. celebrati anno 567, quem canonem Juveninus citat: ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur. Ut vero lux major legitimae canonis citati expositioni non adeo facile affulgeat, reflectunt †).

---

*) Audiamus Binterim scholion. „Schon im vierten Jahrhundert bewunderten selbst die Heiden den Ornat der christlichen Kirchen In dem Leben des Eremiten Abraham heißt es: Gentiles ad ecclesiam quotidie veniebant, non tamen orationis gratia, sed oculis suis contemplantes ornatum et pulchritudinem. lib. I. Patr. Senior. edit. Roswiedii fol. 146. Vergl. auch vita Macarii rom. fol. 227" Denkw. 4. B. 1 Th. 115. —

**) Durand. lib. 1. c. 2. N. 4.

***) Bona l. c. libr. 1. c. XXV. pag. 474.

†) V. Bail, cap. 3. T. II. p. 216: celebrat. anno 570. ita Bona, Bail et Cabassutius p. 313.

Scriptores liturgici e certissimis tum latinae, tum graecae ecclesiae monumentis constare, cruces impositas fuisse summo ciboriorum vertici, quae super altare collocari consueverunt. Ciboria vero ista turritae erant aediculae quatuor saltem columnis innixae, quae aediculae altare tegebant. In harum apice crux radiabat. Igitur conformiter canoni supra memorato corpus domini sub crucis titulo componebatur.

An vero non praesente tantum sed etiam cruce super altare collocata semper sit celebrata missa, nec ex vetustioribus ecclesiae graecae monumentis neque antiquioribus romanis ordinibus evinci potest. Quando vero crux super altare collocari coeperit, non etiam adeo compertum est. Beda Hist. lib. II. cap. XX. s. Paulini *Eboracensis Episcopi* vitam describens, ait: attulit quoque secum vasa pretiosa Eduini regis perplura, in quibus et crucem auream magnam et calicem aureum ad ministerium altaris, quae adhuc in Ecclesia Cantici conservata monstrantur.

Eadem interim hac in parte orientalis, quae occidentalis ecclesiae, disciplina est, ut nonnisi cruce super altare collocata celebretur missae sacrificium. Sola tantum necessitas missam absque cruce super altare posita celebrare permittit*).

Q. III *An crux et tunc super altare collocanda, quando in altari constructa est statua crucifixi?*

℟. S. R. Congr. 16ta Junii 1663 respondit: In altari, in quo adest magna statua crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia crux, dum missa celebratur. Communis quoque sententia idem adfirmat, *si icon, seu imago crucifixi occupet principem* in altari aeque ac in picta tabula *locum* **).

Q. IV. *An exposito ss. Sacramento crux in altari collocanda est?*

℟. S. R. Cong. 2da Sept. 1741 refert pro precibus 40 horarum instructionem Clementis XI. Benedicti XIII et Clementis XII Romanorum Pont. jussu editam, quae sub silentio praeterit, an locanda vel removenda sit crux, linquens quemlibet propterea in sua praxi***).

Cum igitur in coloniensi *quondam* Archidioecesi praxis viguerit, exposito ssmo sacramento crucem locandi super altare juxta tabernaculum versus cornu epistolae, hinc ad servandam uniformitatem

---

*) V. Epist Bened. XIV. P. M. ad omnes Episcopos ditionis ecclesiasticae Tom. II Bullarii M. pag. 125.

**) Romsee T. II. p. 157.

***) Romsee T. II. p. 157. N. 3.

praxis haec retinenda est. Argumento autem a contrario (figuram nempe cedere debere veritati) respondemus, celebrantem nonnisi oculis fidei veritatem, corporeis vero oculis figuram intueri. Haec ergo potius memoriam passionis dominicae innovat. Unde utique et post consecrationem praesente veritate crux in altari remanet.

Q. V. *Quando et quale ad Missae sacrificium adhiberi coeperunt lumina?*

℟. Ipsis modo Apostolorum temporibus ad mysteria missae adhibita fuisse lumina, scribit s. Lucas in Act. Apost. cap. XX *). Morem ab apostolis coeptum trium primorum saeculorum fideles constanter et religiose continuasse evidentia probant antiquitatis monumenta.

Ast volunt nonnulli, nonnisi ad depellandas tenebras luminaria fuisse adhibita. Cum enim, inquiunt, fideles, de quibus s. Lucas: uti et alii primorum trium saeculorum, metuentes sibi ab ethnicorum persecutionibus antelucano tempore suos agerent conventus; facile evincitur ad depellandas tenebras lumina tantum fuisse adhibita. Ast a vero abest quam maxime, eum in finem tantum luminaria fuisse adhibita; enimvero luminum copia quam describit s. Lucas, lumina ad solemnitatem quoque et honoranda ss^{ma} Mysteria adhibita fuisse demonstrat.

„Nec debet abesse ignis illuminosus, significans, Christum ignem esse consumentem rubiginem nostrorum peccatorum. Deut. 4. *Deus tuus ignis consumens est.* Ipsum esse lumen verum et splendidum, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Joh. 1. Etiam ad repraesentandum lumen fidei et caritatis ignem populi christiani circumstantis.

Lumen significat doctrinam Christi. (*Isidorus.*) item populorum fidem eam amplectentem doctrinam (*Inn. III. l. c.*)

Grancolas quoque in veteri sacramentario Tom. I. p. 717 et seq.: „*veterem probat luminum in ecclesia usum tunc etiam cum divina de die celebrarentur Mysteria.*' Unde et Micrologus cap. XI. de luminum usu scribit: juxta romanum ordinem nunquam Missam absque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cujus sacramenta ibi conficimus, sine quo et in meridie palpamus sicut in nocte. Notissimum pariter est, *Vigilantium* universalem et notissi-

---

*) Romsee Tom. II. p. 158. — T. IV. pag. 25. — Le Brun Tom. 1. pag. 33. et seq. — Bona R. liturg. lib. 1. cap. XXV. No. VII. p. 473.

**) G. Biel Exp. Can. pag. 10. —

mum hunc ecclesiae morem sugillasse. Prope, inquit, ritum gentilium videmus sub praetextu religionis introductum in ecclesias sole adhuc fulgente moles cereorum accendi. Vigilantium pro more castigavit Hieronymus, demonstrans et in oriente, et in occidente lucernas assumi, non ad fugandas tenebras, sed in signum laetitiae. Cum porro eidem *Vigilantio* regerit: cereos non clara luce accendimus sicut frustra calumniaris, negat utique s. Doctor lucernas accendi in falsa opinione Vigilantii, criminantis, fideles credere, Martyres aliqua illustratione et lumine indigere, ut essent beati. Quoad cereorum numerum, in missis privatis nec plures, nec pauciores quam duo ardeant; nisi solemnitas vel expositio ss^{mi} sacramenti numerum majorem postulet; in missis cantatis et solemnibus plures adhiberi fas est. In missa et officio lugubri candelae flavi coloris, in festis vero et in solemnitatibus in signum laetitiae albi coloris, quoad fieri potest, accendantur.

Albi coloris candelis utimur in officio lugubri virginum et sacerdotum. Saepe etiam iis uti vidimus in officiis adultorum hominum, imo maritorum — viduarum.

Hoc contra praxin ecclesiae est, sapit avaritiam et habendi cupiditatem, dum in multis ecclesiis cera in exequiis adhibenda ad jura stolae parochorum pertinet.

Interim necessitas candelas duas vel unam etiam ex sebo vel lampadem oleo nutritam indulget. Ast sine lumine missam celebrare *Pontas, Quartus, Meratus ad Gavantum*, Benedictus XIV. P. M. aliique nefas esse censent, urgente etiam periculo, si populus die festo missam vel moribundus viatico carere deberet.

Caeteroquin patet neminem, parochos, aliosque quos concernit, ecclesiae ministros sub obligatione de se gravi teneri curare, ut lumen continuum — Gotteslampe, ewiges Licht — coram Deo eucharistico in tabernaculo abscondito ardeat, nisi irremedicabilis, quae legibus non subjacet, excuset locorum egestas.

Concilium Trid. ait sess. 22. c. 5. Caeremonias item adhibuit (Ecclesia), mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad veram altissimarum, quae in sacrificio latent contemplationem arceantur. Non dissimilia lege in concilio Coloniensi 1536 part. 7. c. 5. et in Catechismo roman. Cap. d. Euch. in fine.

Q. VI. *Liber Missalis estne ad celebrandum absolute necessarius?*

℞. Communis doctorum sententia obligationem adstruit gravem

utendi libro missali; esto sacerdos memoria polleat tam felici ut fidenter arbitrari possit, se nihil omissurum. Experimento multorum siquidem compertum est, firmiorem etiam memoriam ob improvisum quandoque eventum obmutescere aut non fanda fari.

Libro missali pulvinus supponitur, molle, ad notandum devotum ac cor molle, quod facile divinam impressionem recipiat, supponi debere jugo Domini seu legi evangelicae in missali contentae *).

Q. VII. *Missale plenarium quando lucem primo aspexit?*

℟. Missali libro olim Lectionarium et Antiphonarium adjutores dabantur, ita ut tribus hisce in Missa uteretur; tandem pro majori rituum uniformitate et celebrantium commoditate, missale plenarium fuit concinnatum, in quo omnia et dicenda et agenda sub Missa plenarie continebantur. Ast, qua praecise epocha Missale plenarium primo lucem adspexerit, non convenit inter doctos. Est siquidem unus, qui a saeculo nono denominationem Missalis plenarii repetit; est contra alius, qui tale ejus aetatis Missale plenarium se nusquam reprehendere potuisse, et vix ante saeculum duodecimum deprehendi posse contendit. — Sed relicta hac crisi nostro instituto sufficiet plura a saeculis nunc missalia plenaria extare: *primum* romanum, *secundo* pluribus Dioecesibus, *tertio* vix non omnibus religiosis ordinibus proprium.

Q. VIII. *Quo igitur celebrans Missali utetur?*

℟. Missali romano ex Decreto Ss. Conc. Trid. restituto, Pii V. S. P. jussu edito, autoritate Clementis VIII. recognito et in tota ecclesia latina recepto uti licet ubique caeteroquin utitur celebrans saecularis dioecesano et regularis proprio ordinis Missali **).

Q. IX. *Sed quid, si in itinere constitutus sacerdos nec proprium inveniat?*

℟. Utetur proprio Dioeceseos, in qua celèbret, possetque sese conformare ritibus loci. Quodsi sacerdos saecularis celebret in ecclesia regularium et aliud ad manum non sit, quam missale ordinis, eo uti non prohibetur, dummodo coeteroquin ritum vel romanum vel dioecesanum proprium in omnibus servet, cum ritus ordinis non tam loco quam personis tantum proprius sit ***).

Q. X. *Quot et quibus linteis altare cooperiri debet?*

℟. Tribus linteis seu mappis cooperiri debet altare, quarum

---

*) Durandus l. c. cap. 2.

**) Romsee T. II. p. 159.

***) Romsee Tom. II. pag. 160.

duae inferiores tegant superficiem mensae, quae tamen per unam eandemque mappam duplicatam, modo mensam tegat, suppleri possunt; tertia vero seu superior ab utroque altaris cornu dependeat ad terram usque. Ita rubrica generalis de praeparat. altar. Num. XX *).

Haec mappa superior *substratorium* etiam nuncupari consuevit, quia substernitur corporali. Hae mappae omnes sint lineae, dealbatae, nitidae et benedictae. Censet tamen Gavanti cum Silvestro, Acorio et Suarezio in necessitate adhiberi posse non benedictas. Vetustus est horum linteorum in ecclesia usus. Optatus Milevitanus lib. VI contra Donatistas haec scripsit: „Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna (loquitur de altaribus suo tempore in Africa ligneis) linteamine operiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tergi, non lignum".

Lineis et mundissimis, non sericeis neque tinctis sed de terra procreatis, nam et linteo Dominus se praecinxit, et in syndone munda corpus ejus involutum, sepultum est. G. Biel. Exp. can. pag. 9.

Q. XI. *Pallium altaris a rubrica praescriptum quid?*

℞. Est vestimentum, quo pars mensae altaris anterior tegitur, a palliando pallium dictum. Nuncupatur etiam amiculum, denique et antipendium. De quo Gavanti P. I. Tit. 20. litt. F. Pallium hoc non solet benedici separatim ab aliis paramentis; nec in rituali pontificalive extat propria benedictio. — Potest etiam sine eo celebrari, puta si altare est ornatum auro vel lapide pretioso**).

Demum tabellae in altari collocantur, quae continent ea, quorum lectionem sacerdoti non tam commodam praestat Missale. Sed sine his celebrare vel leve; vel causa subsistente rationabili nullum censetur peccatum***).

§. V.

De Vasis sacris ac primo quidem de Calice.

Q. I. *Unde repetenda est calicis origo?*

℞. Calicis origo repetenda est ab ultima coena, in qua Christus almum Eucharistiae sacramentum instituit †); quam institutionem

---

*) Romsee Tom. II. pag. 154 et 155.

**) Romsee l. cit. p. 156.

***) Romsee l. cit. p. 161.

†) Romsee l. cit. pag. 161, 162 et 163.

referens Apostolus, I. ad Cor. Cap. 11 scribit: „quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem .... similiter et *calicem* postquam coenavit dicens: hic *calix* novum testamentum est in meo sanguine.“ Ansam inde sumpserunt antiqui patres feriam quintam majoris hebdomadae nuncupandi: *natalem calicis*, eo quod Christo auctore *calix* ea die a profano ad sacrum fuerit usum translatus, quem usum deinceps ab Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus ad haec nostra usque tempora continuatum, nemo est qui catholicorum mysteriis initiatus ignoret.

Calix significat sepulchrum Christi, patena vero lapidem sepulchro superpositum. Suarez. disp. 81. L. 7. §. 1.

Caveant igitur praepositi, ne ecclesiae thesauri, sacra vasa, ab alio quam sacerdote monstrentur.

Laici praeter necessitatis casum s. vasa, etsi vacua sint, quae contigerunt corpus et sanguinem Christi, attingere vititi sunt cap. 41 de consecr. distinct. I.

Ecclesia a foeminis sacra vasa attingi omnino vetuit et in impossibilibus rebus habuit, attamen evenit, ut, quum non adesset sacrista, filia s. vasa ita monstrando tangeret quasi essent suppellectiles. Sacristae nonnisi coelibes eligendi ne oblata manibus faeminarum attingantur.

Q. II. *E qua materia in primis ecclesiae temporibus confecti fuere calices?*

R. Ex alia atque alia materia eaque multiplici varietate efformata ac primo quidem aliquos *e ligno elaboratos* calices sacris mysteriis hinc inde inserviisse, colligitur e Concilio Triburgensi sub Formoso Can. 18, ubi refertur celebre Apophthegma sancti Bonifacii Episcopi Moguntini*).

„Vasa“, inquit, „quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sancti et patenae, de quibus S. Bonifacius Martyr et Episcopus interrogatus: si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis utebantur calicibus; nunc econtra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus**).

Citatum interim Triburgense concilium statuit, nequis deinceps sacra mysteria in ligneis vasculis conficere praesumeret, nisi is abusus alicubi irrepsisset. Unde et Canones conditi sub Edgaro rege in Anglia cap. 41. *Calicem fusilem* esse decernunt; vitantque, ne

*) Bona rer. Liturg. lib. I. cap. XXV. pag. 465.

**) Nonne s. Bonifacius infirmitatem temporum nostrorum tanquam in imagine in his verbis exaravit et redarguit?

omnino fiat consecratio *in ligneo.* An vero Apostoli ligneis, vel quibus usi sint calicibus, afferri nihil potest, quod plene satisfaciat.

Lapideos etiam alicubi calices ad ministerium altaris adsumptos, fide digna antiquitatis monumenta testantur. Notum est illud, quod refertur in actis s. Berneucardi Episcopi Hildesheimiensis, plures calices ab eo ecclesiae donatos, et hos inter unum e *lapide Onychino elaboratum.* Calices etiam *corneos* ab aliquibus usurpatos, fidem facit *Synodus Calcutensis* in Anglia *sub Adriano I.*, quae eorundem usum interdixit. Cap. 10.

Sed calicum *vitreorum* usus antiquior ac frequentior in ecclesia fuit. Hi enim quo mundiores sunt, eo tremendis mysteriis convenientiores censebantur. Utque plura asserti nostri testimonia praetereamus, s. Hieronimus in fine epist. 4tae ad Rusticum laudans Exsuperium episcopum tolosanum; „nihil“, inquit, „illo ditius, qui corpus Domini *canistro vimineo* et sanguinem portat in *vitro.* Caesarius arelatensis referente Cypriano ejusdem discipulo in vita vitreo usus est calice. „Annon“, inquit“, in vitro habetur sanguis Christi*)?

Quin usque adeo in Gallia praeprimis plures tam episcopi quam presbyteri vitreis utebantur calicibus, eo tempore, quo ob frequentes barbarorum incursiones, natasque inde temporum calamitates ad subveniendum pauperibus et in carcere detentis aurum et argentum ecclesiae erogari oportuit, prout narrat idem Cyprianus natione Gallus.

Gratianus interim de consecrat. dist. 1. cap. 45. e quodam concilio Rhemensi canonem adfert, quo praecipitur, nequis in ligneo vel vitreo calice celebrare praesumat, eodem canone Rhemensi prohibetur calix ex *Aere vel auri chalco*, quia ob vini virtutem parit aeruginem, quae vomitum provocat. Mandat insuper, ut, si ob paupertatem argenteus nequeat haberi calix, saltem stanneus procuretur.

Quam certum vero calamitosis ecclesiae temporibus calices sive ligneos vel corneos, lapideos, vitriosve ad ministerium altaris assumptos fuisse; tam certum pariter saeviente etiam persecutione suos habuisse ecclesiam calices argenteos aureosque. Notissimum est, s. Laurentium martyrem, jussu *Sixti Pontificis* thesauros ecclesiae erogasse pauperibus, ne inciderent in tyranni manus**).

Optatus milevitanus lib. VI. inter Donatistarum scelera hoc quoque recenset, quod calices fregerint.

---

*) Bona l. c. p. 466.

**) Bona pag. 467.

Fregistis, inquit, calices Christi sanguinis portatores, quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes. Emerunt forsitan in usus suos sordidae mulieres: emerunt pagani facturi vasa, in quibus *incenderent idolis suis.* Refert etiam Gregorius turonensis lib. 1. de gloria martyrum cap. 34, in cryptis, in quibus persecutionum tempore fideles sacra celebrabant, mysteria varia fuisse reperta ministeria argentea.

Subsecuta tandem post turbines et tempestates tranquillitate Constantinus Magnus, prout refert liber pontificalis in Sylvestro, ecclesias a se extructas, sacris locupletavit donariis, quae inter recensentur quadraginta calices minores ex auro purissimo, pensantes singuli libras binas, ac calices argentei viginti pensantes singuli libras decem.

Gregorius turonensis lib. III. hist. Francorum cap. X. narrat, Childebertum regem sexaginta calices aureos gemmis pretiosis ornatos ab Hispania in Galliam detulisse. Plura posteriorum temporum adferre testimonia pro re omnibus notissima est, oleum operamque perdere, religiosa enim fidelium liberalitas eo usque progressa est, ut et calices argenteos aureosque imaginibus gemmisque variatos tanti ponderis ecclesiae donaverint, ut suam ob gravitatem sacrificio inservire nequirent, et ornatum ecclesiae unice augerent.

Liber pontificalis in vita Leonis III narrat, Carolum Magnum obtulisse calicem majorem cum gemmis et ansis duabus pensantem libras quinquaginta octo. Idem refert de Paschali primo, eum fecisse calices majores ex argento pendentes numero XXXXII, qui omnes simul pensabant libras 281, instructi erant catenulis et ansis, quibus ante altare diebus festis adpendebantur.

Calices sacrificio destinatos olim suas etiam habuisse ansas, colligere licet ex ordine Romano de officio Missae agente: Levet, inquit, Archidiaconus calicem per ansas, et teneat exaltans illum juxta Pontificem. Hae enim ansae majorem calicis tractandi commoditatem praestabant.

Q. III. *Quam materiam pro calicis confectione moderna praescribit ecclesiae disciplina?*

℟. Rubrica Missalis, cui consonat jus commune in canone de consecrat. dist. 1ma *) praecipit, ut calix omnino vel aureus sit, vel saltem argenteus, cujus tamen cuppa interne auro sit illata, itidem-

*) V. Romsee l. c. p. 161.

que patena vel sit aurea vel argentea deaurata. In casu tamen paupertatis magnae adsumi et posse calicem stanneum, conc. Tribur. can. 18 et Rhemense cap. VI indulgent.

Antequam vero calix cum patena sacris inservire possit mysteriis, ab Episcopo consecrandum utrumque. Hanc consecrationem ab Episcopo impertiendam ob unctionem intervenientem requirit vetus etiam sacramentarium gallicanum ante plures quam mille annos scriptum, quod edidit Mabillonius Tom. I. musaei Italici pag. 389.

Q. IV. *An et quando calix suum potest amittere consecrationem?*

℟. Consecrationem amittit calix *primo accepta rima*, qua redditur ineptus ad continendum sanguinem Domini.

Secundo ob eandem rationem si fundus *tenuiter licet perforetur*; *tertio*, si *cuppa* a *pede* per fractionem, *separetur;* quod si vero mediantibus scalis annulariis artificiose cuppa separetur a pede, calix suam retinet consecrationem *). Pro casu tandem novae deaurationis, quanquam vero similius videatur calicem manere consecratum cum substantia eidem remanenti accidentali tantum accedat augmentum, prout et in templorum dealbatione evenit, volunt nihilominus alii ob praxin contrariam sat communem novam calici impendi debere consecrationem **).

Q. V. Habebatne antiquitas alios calices praeter eos, qui sacrificio inserviebant?

℟. Habebat calices ministeriales et baptismi. Hi nempe baptismales sanguinem Domini sub specie vini et simul potum mysticum lactis et mellis porrigebant neo-baptizatis ***).

Ministeriales vero calices aliis etiam fidelibus eundem Domini sanguinem ministrabant.

Hi et ab aliquibus *Scyphi* appellabantur eo quod consecrationi sanguinis Domini non subservirent, sed sanguis e *calice offertorio* in quo consecrabatur, in scyphum seu calicem ministerialem ansatum fusus populo ministraretur.

Haec vero populi refectio sacramentalis sub specie vini confirmatio; illa vero sub specie panis communio dicebatur.

Hic loquendi modus colligitur ex quinto ordine romano relato Tom. 2. Musaei Italici pag. 59. Clerus, inquit, communionem ab Episcopo accipiat et ab Archidiacono confirmetur.

---

*) Romsee T II. p. 162.

**) Romsee T. II. p. 163.

***) Bona l. c. lib. I. cap. XXV. p. 468.

Q. VI. *Quid venit nomine calami, pugillaris, cannae fistulae, virgulae vel scyphonis?*

℞. In Ordine Romano legitur: deinde archidiaconus tradit calicem subdiacono, qui tradit ei pugillarem, *cum quo confirmat populum* *).

Populum confirmare uti mox dictum idem sonat, ac dominico sanguine reficere. Diaconus itaque sacrum sanguinem a populo per pugillarem sive fistulam hauriendum vel sugendum dispensabat. Usum hunc saltem a saeculo nono in ecclesiis gallicanis viguisse, testatur Mabillonius **). Utitur nunc fistula S. Pontifex solemniter celebrans, qui per fistulam hausto quantum vult sacro sanguine reliquum ministris relinquit. Nomina igitur diversa a diversis eidem fistulae data in quaestione recensentur eandemque fistulam indigitant ***).

Q. VII. *Cochlear parvum cur calici adjungitur?*

℞. Hujus instrumenti nec praeceptum nec forma alicubi invenitur, cum aqua vino miscenda ex ampulla immediate in calicem fundi possit, et pluribus in ecclesiis fundatur †); quia interim aqua in modicissima quantitate vino miscenda securius hoc potest hauriri instrumento; hinc ejusdem usus nostris saltem in partibus ferme communis est; accedit, quod, siquid in calicem sordium decidat, id eodem cochleari commodius extrahi possit. Licet porro ejusdem utpote rubricis incogniti nulla praescribatur benedictio, convenit tamen ut benedictione eadem, qua pyxis adservandae Eucharistiae destinata sacratur, et ipsum cochlear sanctificetur.

Q. VIII. *Pyxis illa ad servanda s. Eucharistiae sacramentum destinata an et alia habet nomina?*

℞. Vocatur uti dictum *primo Pyxis sacra.* Hac voce usus legitur Leo Papa ad Michaelem imperatorem ††).

Secundo Ciborium ab animarum cibo, quem continet. Hoc nomen ei dabat s. Chrysostomus †††). *Tertio* Gregor. turonensis lib. 1. de gloria martyrum cap. 86. *turrim* vocat, quae a diacono portabatur. Turrita enim erat aedicula quatuor minimum columnis innixa, quae altare tegebat. Demum *quarto* in nonnullis etiam ec-

---

*) Bona l. c lib. I. c. XXV. pag. 470.

**) Lib III de Liturg. gall. pag. 186.

***) Bona l. cit. lib. I cap. 25. §. 4.

†) Romsee T. II. pag. 166.

††) Romsee T. II pag 167.

†††) Hom. 42. in acta apostol.

clesiis mos introductus fuit, ut spiritus S. in effigie aureae vel argenteae columbae super altare adpenderetur, in qua pariter sanctissima recondebatur Eucharistia. *Mabillon. de Liturg. Gallican lib. I. cap. 9. et Martenius de antiquis Monachorum ritibus.* In horum ciboriorum vertice crux poni consuevit.

Q. IX. *An ciborium ab episcopo consecrari debet?*

℟. Negative; sed benedici tantum debet, sicut et lunula Ostensorii. In Ordine enim Romano nulla consecrationis, sed solius benedictionis fit mentio; quia igitur hanc benedictionem nulla intrat unctio; hinc ab eo, qui facultatem habet benedicendi paramenta, benedici possunt Pyxis et lunula ostensorii. Ipsius vero ostensorii seu remonstrantiae nullibi praescribitur benedictio. Haec tamen fit convenienter eadem formula, qua benedicitur ciborium *).

Sixtus VII. ne sacra vasa a profanis attingerentur mandavit, quod Soterus pontifex renovavit **).

§. VI.

De vestimentis calicis et reliquis sacris vasis.

Q. I. *Patenae nomen unde?*

℟. Patenae nomen a patendo derivatum volunt, est enim patula. Graeci eandem *Discon* nuncupant; quanquam discon concavum magis instrumentum sit, ne panis consecrati in eo repositi fragmenta decidant.

Q. II. *Ad quam aetatem referendus est patenae usus in ecclesia?*

℟. Auctores, qui liturgiam S. Jacobi genuinam defendunt, patenae usum apostolis coaevum facile probant, cum ista hujus mentionem faciat. Caeteroquin ii etiam, qui Liturgiam hanc Jacobeam esse nolunt, patenae tamen usum antiquissimum et apostolis coaevum fidenter pronuntiant. Cum enim continendis speciebus eucharisticis populo distribuendis conveniens instrumentum nullo non tempore usurpatum fuerit, merito ejusdem initium ad Apostolorum tempora referunt.

Q. III. *E qua materia constabat olim patena, et e qua nunc constare debet?*

℟. Olim patena ejusdem erat materiae, cujus erat et calix. Lib. Pont. de Zephyrino Papa refert: hic fecit constitutum de ecclesia,

---

*) Romsee pag. 167.

**) Opmeer p. 19.

ut patenas vitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum Episcopus missam celebraret. Ex eodem Libr. Pont. de s. Sylvestro constat, eum obtulisse patenas aureas septem, quae pensabant libras triginta. Igitur sicut primis ecclesiae saeculis materiae patenae correspondere debebat materiae calicis, ita nunc rubrica missalis conformiter etiam juri communi: can. *ut calix* 45. dist. 1. de consecrat., qui mandat, ut, quemadmodum materia calicis, sic et illa patenae vel aurea sit, vel argentea deaurata; nisi magna ecclesiae paupertas stanneam indulgeat.

Exstat pariter in ordine Romano consecratio patenae, quam unctione certisque precibus ab Episcopo perficiendam praescribit.

Q. IV. *An soli tantum sacrificio patenae olim destinatae erant?*

℟. Praeter eas, quae inserviebant altari sacrificio, erant et aliae, *primo ministeriales* patenis eucharisticis ampliores. His imponebantur species panis eucharistici populo distribuendae. Inde patenas mirae amplitudinis, gravitatis, elegantiae et imaginibus ac hieroglyphicis affabre elaboratas historia refert ecclesiastica, quarum aliquas ad ornatum potius quam ad usum asservabat ecclesia. *Secundo Chrysmales* patenae collationi sacramentorum Baptismi et Confirmationis inserviebant. Has interim sicut ministeriales ex eadem conflatas fuisse materia e qua illae ad sacrificium assumptae constabant, prudenter opinari suadet magna fidelium erga reliqua etiam mysteria reverentia.

Calix significat acerbum doloris calicem, quem nostri causa usque ad fundum pro salute nostra libens exhausit salvator.

Q. V. *Vestimenta calicis quae?*

℟. Ori calicis superimponitur *purificatorium* et huic *patena cum hostia*, haec a *palla* teguntur, omnia ista cooperiuntur *Velo*; supra velum tandem ponitur *bursa*, cui includitur *corporale*.

Q. VI. *Quis usus purificatorii?*

℟. Eo utitur sacerdos ad extergendum et purificandum calicem, inde dictum purificatorium.

Q. VII. *Usus purificatorii est vetus in Ecclesia?*

℟. Nec apud Patres primorum temporum, nec in Ordine Romano ejusdem ulla quidem occurrit mentio; non adeo tamen recens ejus usus est; cum caeremoniale Episcoporum illud commemoret *).

Q. VIII. *E qua materia confici et an benedici debet?*

℟. E lino confici debet, et quanquam nullibi benedictio purificatorii praescribatur, nec ejusdem benedictionis ulla habeatur for-

---

*) Romsee tom. 2. p. 163.

mula, cum tamen propius quam mappae altaris sacra attingat mysteria, communis est opinio, purificatorium ex decentia saltem benedictione mappis propria sacrandum esse; quodsi vero a mappis seorsim benedici contingat purificatorium, vocula: *altare,* in *vo: calix* immutanda erit.

Q. IX. *An et graeci purificatorio utuntur?*

℟. Graeci purificatorio substituunt *spongiam,* qua calicem extergunt. Hac vero uti dicuntur, eo quod fuerit pars quaedam et instrumentum sacrificii cruenti crucis. Ita Goar in Euchelog. Graec. pag. 151.

Q. X. *Corporale unde sic dictum?*

℟. A corpore Christi quod in eo consecratur et quiescit; nuncupatur et *syndon;* tum etiam *palla corporalis,* de qua mox infra. Graeci corporale appellant: *Illiton.*

Q. XI. *E qua materia corporale constare debet?*

℟. E puro lino confici debet, can. de consult. de consecr. dist. 1ma., neque ulla alia eidem debet misceri materia, licet pretiosiori, Conc. Rhemense cap. 3. Illius tamen extremitates denticulato opere non lineo tantum sed et serico et aureo condecorari posse, cum Suarezio censet Gavanti part. 2do. Tit. 1. Litt. P.

Q. XII. *An corporale eandem semper habuit extensionem?*

℟. Ampliorem multo extensionem olim corporale habuit. Colligere id facile licet ex Ordine Romano, qui duorum Diaconum operam exigit ad corporale extendendum. Totam siquidem mensae altaris tegebat superficiem, ut tot in eo commode possent collocari panes, quot communicantium possit sufficere multitudini, qua sensim magis magisque imminuta, strictiorem formam corporale assumpsit.

Q. XIII. *Cur corporali a veteribus inditum fuit nomen: palla corporalis?*

℟. Quoniam antiquitas pallam parvam, qua nunc calicem tegimus, ignoravit et ejus loco plicatur extremae partis corporalis, utpote tum multo largioris calicem palliebat; inde corporale, pallae corporalis nomen assumpsit. Carthusiani hunc morem retinent. Ast ecclesia romana nunc ad tegendum calicem parvam adhibet pallam, de qua Innocent III. Libr. 11 de mysteriis missae cap. 56. Duplex est palla, quae dicitur corporale, una quam Diaconus super altare totam extendit, altera quam super calicem plicatam imponit. Parvam hanc prout magnam lineam esse oportet.

Corporale significat sudarium, quod fuit super caput Christi. Ex Innoc. III. Durando et aliis, etsi Thomas Waldotus

— Hugo de S. Victor velint, significare velum, quo Domini nuditas in cruce velata est. Juxta Quarti l. c. sindonem, qua Christi corpus involutum fuit.

Antequam corporalia, pallae et purificatoria laicis lavanda traduntur, prius ab aliquo in sacris constituto in sacristia laventur et aqua in sacrarium fundetur. *)

Q. XIV. *An utraque major et minor palla benedici debet?*

℞. Utraque sacrari debet eadem quidem benedictione, cum palla minor majoris vices agat. Benedictio haec a rubrica de ritibus servandis in celebratione tit. 1 et a canone consulto, de consecrat. dist. 1ma. praescribitur.

XV. *Velum quare sic nuncupatum?*

℞. Velum a velando dictum, quia pallam, patenam cum hostia, purificatorium et calicem simul velat. *Peplum* etiam et *sudarium* ab aliis appellari consuevit. A graecis *aër* nuncupatur, quia aëris obscuri adinstar circa terram expansi sacra dona ambit.

Velum significat vel tenebras quae factae sunt in morte Jesu ex S. Germano; vel abscondita et velata esse mysteria huius sacrificii, unde calix sanguinis Christi mysterium fidei dicitur ipsis verbis consecrationis.

Q. XVI. *Cujus materia velum esse debet?*

℞. Canone 72 illorum, qui Apostolorum dicuntur, jubetur, ut velum lavetur. Unde conjicere licet, e lino tunc fuisse contextum. Ast Merati ad Gavantum observat, conformiter rubricae nunc sericum requiri velum, quod sicut et bursa una cum paramentis sacerdotalibus benedicitur.

Graeci tria adhibent vela, *primo* patenam, altero calicem, et *tertio* utrumque contegunt, quod ultimum aërem appellant.

Q. XVII. *Quem usum Bursa habet?*

℞. *Bursa,* quae et *Pera,* servit recondendo corporali. Ante conc. Rhemense ad usum non venisse videtur; cum. cap. 5to. statuit, recondi debere corporale simul cum libro, seu cum calice. Refert Gavanti ad Rubr. de praep. sacerd. celebraturi, s. Pium V. P. M. hispanis privilegium concessisse, ut corporale ferre possent extra bursam.

Nihil super calicem, qui defertur ad altare, ponendum, non sudarium, non manutergium neque conspicilia, sed ea tradantur ministro deferenda **).

---

*) Vinitoris Comp. s. rit. p. 101. — c. nemo de consecrat. dist. 1. — Gavanti — Laymann Th. Mor. l. 5. n. 19.

**) Gavantus p. 2. tit. 2. N. 1. Litt. H.

Q. XVIII. *Quae alia supersunt vasa, queis ecclesia aliquando usa est vel adhuc utitur?*

℞. *Ampullae, colatorium, aquamanile, vas ad thus adolendum, vas ad thus continendum,* vas ad *faciendas oblationes.*

Q. XIX. *Quid venit nomine ampullarum?*

℞. Vascula duo sunt vel vitrea, vel argentea, aurea, vel stannea, quorum unum continet vinum, et aliud aquam pro sacrificio. Vocantur et *amulae,* quas Ordo Romanus saepe inter sacri ministerii vasa recenset.

Idem Ordo Romanus eadem vascula et *Gemelliones* nuncupat, quasi geminos urceolos ejusdem generis et formae, uti vero esse adsueverunt fratres gemini, unde gemelliones verosimilius derivantur.

Q. XX. *Quid colatorium?*

℞. Temporibus *primae* aetatis fideles vinum ad sacrificium in scyphis seu amulis offerebant, e quibus Diaconus calici infundebat, quantum sacerdoti et caeteris etiam communicantibus sufficere queat. Ut vero vinum magis defecatum, et a sordibus quibuscunque depuratum in calicem flueret, colatorium praelongo instructum manubrio et subtilissimis voraminibus in imo fundo perforatum Diaconus adhibebat. Ordo Romanus aliquando colatorium nonnunquam *colum* vel etiam colam foeminino genere adpellat.

Q. XXI. *Quid aquamanile?*

℞. Vas est, e quo aqua manibus in actione missae lavandis affunditur. Ordo Romanus jam „*aquamanile*," mox „*aquimanile*," tandem vas manuale appellat. Barbaro etiam vocabulo „*aquamanus*" designatur, quod ex eodem vase aqua manet in pelvim; vel quod aquam poscere solerent antiqui his verbis: *aquam manibus. Aquam manili* correspondet *manutergium,* tergendis et siccandis manibus destinatum mantile, etiam et mantile dictum.

Q. XXII. *Quo nomine insignitur vas ad thus adolendum et quo aliud ad thus continendum?*

℞. Vas ad thus adolendum vocatur *Turribulum,* v. *Thymiamaterium* et aliquando *suffitorium.* Vas enim est, in quo thura et varii cremantur odores, in solemni oblatione aliisque divinis officiis.

Non mosaicae tantum divinae legi, sed et gentibus usque adeo barbaris thuris et thymiamatis usus solemnissimus semper fuit, nullumque sine hoc sacrificium rite oblatum credebant. Et Magi Christum infantem thure venerati sunt, nullaque est caeremonia ecclesiastica, cujus crebrior fiat mentio sive in antiquis, sive in recentioribus omnium gentium Liturgiis, ut ne initium quidem ejusdem cae-

remoniae in ecclesia etiam catholica inveniri queat, nisi ascendendo ad ipsa Apostolorum tempora.

Licet enim Tertulliano in apologetico cap. 30 et Arnobius libro septimo adversus gentes videantur usum thuris christianis incognitum defendere; nihilominus usum tantum gentilium Idolis thus cremantium, vel credentium Deos suffitu indigere, christianis incognitum innuere volebant. Tertull. siquidem Lib. de corona Milit. cap. X scribit: „Thus quidem incendimus, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud Idola.“ Vas vero ad thus continendum *Acerra* nuncupatur ab antiquis, et quia navis parvae adinstar nunc efformari consuevit, communius *navicula* dicitur.

Q. XXIII. *Vas ad oblationes cur sic dictum?*

℞. Vas ad oblationes seu offertorium recipiebat frequentatas a primis fidelibus oblationes. Erat hoc vas alicubi e solido conflatum metallo, ita, ut offertoria argentea quoque et aurea a scriptoribus recenseantur. Solidis successere offertoriola linea et serica. Hisce pariter excipiebantur fidelium oblationes.

In ordine Romano apud Cassandrum pag. 49 legitur: „Populus dat oblationes suas, id est: panem et vinum, et offerunt eum Vanonibus primum masculi, deinde foeminae.“ Mabillonius.*) scribit: offertoria eadem fieri cum vanone; quatenus ad oblationes faciendas vanon pertinuit.

Q. XXIV. *Habentne graeci alia quaedam instrumenta latinis non adsueta?*

℞. Habent nonnulla, quae recenset Bona**) et sunt: *lancea, asteriscus, dicerion, tricerion, cochlear* et *flabella. Lancea* gladiolus est, lanceae figuram portans, qua hostiam ab integra panis massa secant. *Asteriscus* duobus constat arcubus, radiis ornatus adinstar stellae fulgentibus.

His arcubus hostias consecrandas cooperiunt, ne vela eas tangant et particularum ordinem turbent.

Dicerion cereus bisulcus; et *tricerion* cereus trisulcus est***), quibus Episcopus celebrans saepe populo benedicit, et utrumque frequenter gestat manibus.

Cochlear a graecis *labida* dictum, quo utuntur ad porrigendam fidelibus communionem. *Flabella* demum a graecis *sacra aipidia*

---

*) Lib. III. Liturg. Gall. N. 14. pag. 185.

**) l. cit. l. I. cap. 25.

***) V. Le Brun Tom II. p. 207.

nuncupatur, queis duo Diaconi ab utroque altaris latere muscas aliasque bestiolas praetervolantes abigunt, ne sacra contingant.

Horum flabellorum usus in graeca ecclesia antiquissimus est. Pluribus quoque ab antiquitate depromptis argumentis C. Bona l. c. probat, tam in Romana, quam in aliis occidentalibus ecclesiis usum flabellorum olim frequentatum.

§. VII.

De Vestibus sacris sacerdotalibus earumque coloribus.

Q. I. *An peculiares pro sacrificio missae vestes semper usurpavit ecclesia?*

℞. Quanquam silentibus scriptura sacra, primisque Ecclesiae patribus non constet, an Apostoli sacris operantes quotidiana an peculiari veste usi sint; dubitare tamen fas non est, quin iidem Apostoli tractim vestes adhibuerint peculiares ad majorem tremendis mysteriis majestatem conciliandam et reverentiam. Et licet communi placeat sententiae vestes, quibus nunc utuntur sacerdotes, olim et laicis fuisse communes, maxima nihilominus Apostolorum, primorumque fidelium veneratio erga missae sacrificium autumare jubet, pretiosiores saltem successive vestes divinis fuisse reservatas mysteriis, et ab usu quotidiano discretas. At certo huic nostro suffragatur sancitum S. Stephani I., circa annum Domini 253. relatum a libr. Pontif. *Sacerdotes* nempe, et *levitas vestibus sacratis* in usum quotidianum non uti, nisi tantum *in ecclesia.*

Domesticae vestes sacerdotis nonnisi Decretis s. R. Ecclesiae ac regionibus cum dispensatione conformes esse debent; quomodo separavit illos sibi Deus de gente, ita et oportet se ipsos separare a plebe, quoad etiam vestitum.

Tonsuram portandi Decretum est; tonsura significat spineam Christi coronam, ordinem sacerdotii, ut merito clericis inculcanda mandata Ecclesiae, ut tonsuram fieri curarent et abhorrere *a mundano capillorum luxu,* quo se ipsos in oculis fidelium ipsumque statum contemptui reddunt.

Tonsuram s. Isidorus lib. de div. off. appellat signum regalis sacerdotii in ecclesia. — S. Beda profitetur, Apostolos tonsuram portasse in memoriam dominicae coronae, et usum hunc eccles ae reliquisse; porro decet, ut ministri Dei, qui juxta Deuteronom. inter vestibulum et altare plorare debeant, se distinguant a populo.

S. Hieronimus pariter referens disciplinam sui temporis non

recentem sed antiquatam in caput 44 Ezechielis: *Religio*, inquit, *divina alterum habitum* habet in ministerio altaris, alterum in usu *vitaque communi.* Ideoque et Canone: Vestimenta, de consecrat. dist. 1. praecipitur, vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, et sacrata debent esse et honesta, quibus aliis in usibus non debent frui, quam in ecclesiasticis et Deo dignis officiis. Hinc Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 5 inter caetera, quae pia mater ecclesia in sacrificio adhibet, tanquam ab Apostolica disciplina et traditione accepta, vestes etiam sacras peculiares recenset.

Q. II. *An vestes sacrificio destinatae peculiari olim custodiae tradebantur?*

℟. In aedicula ecclesiae contigua, religiosa sollicitudine asservatae custodiebantur. Latini hanc aediculam nuncupabant: *Vestiarium, secretarium*, et *sacrarium*. Barbara nunc voce *sacristia* dicitur.

Graeci eandem aediculam: *Diaconicon, Scevophylation*, et *pastophorium* appellabant. Ast cum graeci hodie non in Diaconico sed in ipso *Bemate,* id est, altari sacris induantur vestibus, nullum amplius scevophylation prope ecclesiam habentes, hinc vasa sacra et vestimenta in propriis aedibus vel alio tutiore loco asservant. Uti observat Leo Allatius in Dissert. de templis graecorum recentiorum.

Q. III. *Quae prima est vestis sacerdotalis?*

℟. *Amictus* ab amiciendo dictus, inquit Merati ad Gavantum, Gemma animae lib. 1. cap. 201 *). Praxin sumendi amictum describit: hinc *humerale,* quod in lege *Ephod,* apud nos amictus dicitur, sibi imponit, et caput, et collum, et humeros, unde et humerale dicitur, cooperit, et in pectore copulatum duobus vittis ad mamillas cingit. Prima nunc vestis est, ante albam sumenda, quanquam antiquitus post albam adhiberetur, uti colligitur ex Ordine Romano v. et antiquo missali plenario vaticano **).

Salutem, quae per sanctam fidem tribuitur, significat ***)
Per amictum intelligitur custodia vocis vocisque castigatio — operum fortitudinem significat †).
Amictus designat, quod Christus in utero virginis cooperante

*) Romsee T. II. p. 168.

**) Der Amictus ist ein Bild der Wachsamkeit der Sinne, um nicht den Reizungen, die ihn als Menschen von Außen bestimmen, zu unterliegen. (Schmidt Liturg. B. 1 S. 60.)

***) Durand. lib. 3. Cap. 2. in Rationale.

†) I. s. Duranti de ritibus.

spiritu sancto divinitatem humanitate obtexit atque abscondit ...... Dum suum itaque caput sacerdos velamento lineo, vili, fragili atque infirmo et tamen candido operit, recordetur, quomodo verbum incarnatum sub fragili carne et tenerrima, sed eadem mundissima se abscondit. franc. Titellmannus Tract. d. exposit. miss. pag. 9—10.

Bona thesaurus ascet. *) refert, significare Amictum velamen illud, quo facies Christi velata fuit, cum percutiebant eum illudentes et dicentes: prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit, et addit, oportere mentem in aeternae duntaxat salutis, rerumque coelestium consideratione fixam habere, ab omnibus curis rerum caducarum amorem et contra quascunque hostium incursus spe et fiducia in Deum, tanquam galeam salutis communitam — porro Amictum significare Christi Domini humanitatem, cujus caput Divinitas est, quae ab illa occultatur, sicut amictus caput tegit sacerdotis, neque enim oculi nostri solis justitiae infinitum splendorem intueri potuissent, nisi carnis operirentur nube. Obiter quoque per *Amictum* monetur sacerdos, maximam servare oculorum modestiam, cum pergit ad altare ibique manet, abque eo recedit, nihil prorsus aspiciendo, nisi quod necessarium est, ut videat quod facit. —

Q. IV. *Quae diversa ejus nomina?*

℟. Nomen primum *Amictus*, secundum *humerale* et per analogiam ad legalium sacerdotum indumenta *Ephod*, quanquam anceps sit quaestio, an Ephod veteris legis idem sit, ac novae amictus. Nomen tertium in ordine romano occurrit *Ambolagium* vel rectius inquit Bona: *Anabolarium*. Anabole enim graecum, latine redditur Amictus. Haec vestis pure lintea sit oportet. Ita Ecclesia praescribit.

Q. V. *Usus humeralis estne vetustus?*

℟. Le Brun Tom. 1. pag. 42 (editionis vero Venetianae pag. 21) contendit: octavo saeculo ad collum tegendum amictus usum fuisse introductum: cum enim usque ad tempus illud ecclesiastici sicut laici nudum gestarent collum, ob decorem assumptum fuisse amictum**). Amalarius aliam, nempe sanitatis rationem insinuat. Merati interim observat cum aliis, conformiter rubricae missalis romani, amictum primo capiti imponendum et dein ad humeros esse dimittendum. Consonant preces recitandae: impone, Domine, capiti meo galeam salutis .... addit Merati part. 2dam tit. 1. hodie in amictu, manipulo et stola cruces adesse solent ad recolendam Domini passionem;

*) Colon. 1672, pag. 97 et seq.
**) Lib. II. de div. offic. cap. 17.

sicut stola imponitur collo cum osculo, ita simili ritu imponendus est capiti amictus.

Q. VI. *Quaenam est altera vestis sacerdotalis?*

R. *Alba* sic dicta ab albedine. Est enim vestis alba e lino puro confecta *). Unde Ordo Romanus loquens de Episcopi consecratione sine add.to hanc vestem vocat *lineam*. — Induunt, inquit, *eum lineam et cingulum*. Alba a graecis Podenis nuncupatur **), quia ad pedes usque diffluit, quos graeci Podas vocant. Unde *Podenis* graece, reddi latine posset: *Talaris*, appellatur etiam *camisia, camisius, camisile*, quia similis est inquit Bona ***) tunicae lineae interiori, qua utimur in camis, i. e. in lectulis nostris. Camas enim dixerunt graeci strata humiliora et terrae propriora.

Alba denotat albam vestem, qua ab Herode Jesus tanquam stultus fuit ndutus. — *Alba* totum corpus tegens, innocentiam, simplicitatem, puritatem animique candorem et pulchritudinem indicat, quae totum sacerdotem complecti et exornare intus et extra debet, atque in omnibus operibus ejus splendere, ut sit sanctus et immaculatus in conspectu Dei, seque talem semper exhibeat divinis mysteriis celebrandis †).

Die Albe symbolisirt die Seelenreinheit, mit der der würdige, sich nach Innen und Außen bewachende Minister geschmückt ist ††).

Alba significat perseverantiam in bona actione. — Illa descendit ad talos, quia usque ad finem vitae hujus bonis operibus insistere debet sacerdos. Durantus l. c. et s. Germ in theoria divinitatis splendorem et sacerdotis splendidam conversationem. —

Ex Steph. Eduensi gloriam dominicae resurrectionis, quam nunciantes angeli apparuerunt in vestibus albis, ideoque induitur alba, ut candidatione virtutum ostendatur ornandum esse novum sacerdotium — novitatem vitae quam Christus habuit, docuit et tribuit in bapt smo †††).

Alba significat Christi integerrimam atque perfectissimam conversationem, quam ab initio suae conceptionis usque in finem in carne duxit. Sacerdos quoque dum hoc se indumento induit, acceptae in baptismo candidae et novae stolae

---

*) Romsee l. c. p. 169.

**) Le Brun Tom. I. p. 23.

***) Rer. lit. lib. 1, cap. 24.

†) C. Bona Thesaur ascetic

††) Schmidt Liturg. B. 1. S. 60.

†††) Rupertus l. c.

memor, se ipsum admoneat, quomodo in sancta et candida conversatione persistat. Fr. Titilmann *).

Nihil superfluum aut dissolutum in vita sacerdotum, vel in ejus membris esse debere demonstrat (Durandus **).

Fit autem instar Ephod ex lino, quod de terra procreatum multiplici labore ad candorem vestis proveniens, veritatem humanae carnis inter flagella triumphantis ostendit ***).

Q. VII. *Fuitne Alba quovis tempore usui tantum sacro propria?*

℞. Haec vestis primis Ecclesiae saeculis communis erat clericis et laicis. Refert quippe Flavius Vopiscus, qui floruit sub initio saeculi IV. in vita Aureliani pag. 225, hunc imperatorem camisias populo romano distribuisse. Notat vero S. Hieronymus Epistola 128 ad Fabiolam †), vestem hanc strictius fuisse corpori adaptatam, ut expediti sint vel ad cursum vel ad proelia etc. etc. Contendit Fleury hist. eccles. lib. XX. N. 25 de alba in altaris usum assumpta primam mentionem occurrere in Carthaginensi synodo vergente in finem IV. saeculo.

Saepe vidimus sacerdotes in altari servientes nec talari neque toga clericali indutos, ut eorum pedes usque ad suras, interdum adhuc genua praesertim in inclinationibus se praeberent populo ostentui, maxime tum quum alba textis reticulatis adsuta erat. In Gallia et Belgia ubi toga syrmate prudita est, nil alieni apparet vel humani. Hoc nempe loco sacerdos non tanquam homo sed tanquam inter Deum et homines mediator, intercessor et placator agat. Huic inconvenientiae magnae facile possit occurri, si praepositi et ecclesiarum rectores curent, ut in sacristiis varia talaria adsint, neque ullus, quominus talari non induto, altare ingrediatur, prohibeatur.

Q. VIII. *An alba eidem semper accommodata fuit formae?*

℞. Episcopi et sacerdotes in Africa tempore Concilii Carthaginensis quarti circa annum 398 albam in convictu etiam civili deferebant. Concilium vero canone XLI Diaconis et inferioribus ministris prohibuit, ne alba extra Ecclesiam uterentur.

In Italia interim et Galliis non sacerdotes tantum, sed inferiores etiam clerici alba ad saeculum usque nonum in vita civili utebantur. Pro usu tamen commodiori quidam eandem breviarunt ferme ad formam Rochetti, quo hodiedum nonnulli canonici

---

*) L. c p. 10.

**) L. 2 cap. 3 l. c.

***) Eucher. in 2 lib reg 4.

†) Romsee T. II. pag. 170.

regulares in vita civili utuntur. In frigidioribus vero regionibus, ut vestibus etiam pelliceis albam accommodare possent, corpus monicasque ampliarunt. Unde quia super pelles desumpta fuit, dicebatur *superpelliceum*.

Concilium Basileense decurtata superpellicea ostendit; sess. 21 decrevit, ut essent ultra medias tybias longa — Bona R. L. l. c. addit: nunc decurtata sunt ut vix ad genua pertingant. Decurtatio videtur placita — addo ego: ridiculum saepe videtur, quum illa vix dorsum tegunt quumque porro ne talare quidem *subtus indutum* et duo longa crura *subtus videantur*, aegre ferendus est talis aspectus. Nonne pudor et decentia aliter deberet conservari?

Prohibetur usus *Rochettae* cum monicis angustis, exceptis quibus de jure competit. Missale romanum ut decrevit S. R. C. missali romano praefixo.

Q. IX. *Quae tertia est vestis sacra?*

℟. S. Hieronymus Epist. 128 ad Fabiolam scribit: Tertium genus est vestimenti, quod illi appellant *Abner*, nos *cingulum*, vel *Balteum*, vel *Zonam* dicimus *). — Cingulum quovis tempore oblongas comitabatur vestes, ut praecingerentur et ne diffluentes gressui remoram injicerent.

Q. X. *E qua materia cingulum confici debet?*

℟. S. R. C. 22da. Januarii 1701 decrevit: sacerdotes in sacrificio missae congruentius utuntur cingulo lineo, quam serico. Eadem tamen octava Januarii 1709 sancivit: Cingulum tertium indumentum sacerdotale potest esse coloris paramentorum. Hoc interim cingulo non pars corporis superior circa pectus (quod nostris temporibus in multis sacerdotibus proh dolor vidimus. E.) *sed lumbi praecingi debent.* Consonat oratio: Praecinge me, Domine, cingulo, puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis **).

Das Cingulum ist ein Bild der Wachsamkeit, der Versuchungen, die dem Menschen durch seine eigne Sinnlichkeit, besonders durch die mächtige Fleischeslust zugeführt werden ***).

Cingulum castitatem illam virgineam supereminentem, quae in Christo erat, clare et congrue designat. Quod autem albam succingit, alioqui nimium prolixam, illique in suo ministerio oneri futuram, accipi potest ut significetur, quod Christus suam altissimam et insignissimam perfectissimamque

---

*) Romsee Tom II. l. c. p. 172.

**) Le Brun T. I. p. 23.

***) Schmidt Liturg. B. 1. S. 90.

conversationem juxta nostrae necessitatis exigentiam succinxerit, et nostris se infirmitatibus accommodans tanquam unus aliquis de populo vitam ducens communem juxta apostolum 1, Cor. 9. omnibus omnia factus fuerit, ut omnes exemplo suo ductos, quantum in se esset, salvos faceret*).

Circa *lumbos* — quod bene observandum, non autem circa vel infra pectus uti solent multi. Alba stringitur zona, ne illa defluendo gressum impediat, ut sacerdotis castitas per albam significata nullius incentivorum stimulis dissolvatur. Cingulum enim continentiam significat**).

Tria sunt, ait Bernard. lib. sent., ministris Dei communia vestimenta: coelestis sapientia, quae est *Ephod* et caput operit; perseverans justitia, qua *podenis* est et totum corpus induit; carnalis continentia, qua lumbos cingit zona.

Cingulum funes, quibus in horto vinxerunt Jesum sive flagella, quibus columnae alligatum crudelissime ceciderunt. — Cingulum indicium castitatis est, quae ita in sacerdote splendere debet, ut nullam prorsus tam in corpore, quam in corde admittat labem. In cujus rei typum jussit olim Deus, ut comedentes agnum accingerent renes suos et ipse Christus ait: *sint lumbi vestri* praecincti***).

Q. XI. *Quae vestis sacra quarta?*

R. *Mappula, Mantile, Sudarium, Fanon, Manula, Sindon:* nunc tandem *Manipulus,* Graci *Epimanitum* vocant. Occasionem hujus vestis scriptores liturgici hanc designant †); primorum quippe saeculorum sacerdotes non tantum, sed et ministri inferiores brachio sinistro sindonem, sive Mappulam linteam adligare adsueverant, qua et sudorem vultus nariumque sordes tergebant et emungebant. Huic tandem sindoni noster successit manipulus, cujus nec apud patres *primorum* saeculorum, nec in antiquis libris ritualibus ulla fit mentio.

Manipulus significat vincula, quibus adstrictae sunt manus Jesu, tanquam hominis nefarii et scelerati. — Manipulus praemisso crucis osculo sinistro brachio insertus ostendit lacrimas et dolorem et poenitentiam, quibus lugere peccata ac perpetuo dolere sacerdos debet, carnis item et spiritus mortificationem et humilitatem, qua accedendum est ad altare, tum futurorum bonorum operum retributionem, sicut Psalmographus cecinit: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua,*

---

*) Fr. Titelmann l. c. p. 11.

**) Euchar. l. c. cap. 4.

***) C. Bona Thes. ascet.

†) Romsee l. c. p. 172.

venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos *).

Durch den Manipel wird die Mahnung gegeben, daß der nach Innen und Außen sich beherrschende Minister den damit verbundenen Streit nicht scheuet, sollte er auch noch so viele Mühe kosten; da nur so die Reinigkeit des Herzens von aller Sünde Dauer haben, und seine Bemühung für das Seelenheil des Mitmenschen Frucht bringen kann**).

Sudorem mentis abstergat et soporem cordis excutiat, ut bonis operibus depulso taedio vel torpore sacerdos invigilet***).

Manipulum deinde adjicit brachio sinistro significans, quemadmodum pro justitia Christus semper strenuissime pugnaverit adversus tam visibiles quam invisibiles potestates. Fimbriae manipulo adjectae significant finalem perseverantiam, qua usque ad mortem fidelis inventus fuit†).

Q. XII. *Quo igitur tempore sacris fuit vestibus annumeratus Manipulus?*

℞. Card. Bona saeculo primum decimo manipulum sacris accessisse vestibus, inde conjicit, quod Alcuinus et Amalarius saeculi noni scriptores, mappulas quidem, non Manipulum nominent ††). Merati vero, cum Dominico Georgio ex Martenii parte *prima* de veteribus Ecclesiae ritibus †††) colligit, manipuli nomen in altaris ministerio antiquius a saeculo esse 1mo. Le Brun et Ventus ad saeculum usque adeo undecimum primum Manipuli usum referunt.

Interim Benedictus XIV. P. M. sapienter monet, suam cuique sententiae veritatem attribui posse, si dicatur, manipuli usum non uno eodemque tempore in omnibus fuisse ecclesiis introductum. Varia porro nomina, queis manipulus insignitur, ex praecedentibus facile patescunt. *Fanon* difficultatem parit aliquam, quam auctores sublatam credunt, si vocem hanc saxonicam dicant, derivatam a Fanen, id est, Vexillis.

Q. XIII. *An forma Manipuli semper eadem fuit?*

℞. C. Bona e picturis antiquis conjicit, formam manipuli longiorem olim quidem fuisse, sed strictiorem, vix duos excedentem

---

*) C. Bona Thes. ascet.

**) Schmidt l. c. p. 61.

***) Eucharius l. c. cap. 6.

†) Fr. Titelmann l c. pag. 12.

**) Le Brun Tom. I. pag 23.

†††) Lib. 1. cap. 4to. artic. 12.

pollices, et stolae adinstar linea utrimque aequali, a summo ad imum limbum defluxisse; nec extremam partem latiorem fuisse, uti nunc est.

Olim cum planeta totum ambiret corpus, et super brachia duplicata et triplicata revolveretur, manipulus extremo loco assummebatur, cum brachium tum primo expeditum foret. Cessante nunc hac ratione ob planetam ad latera resectam, solis Episcopis manipulus a ministro post „Confiteor“ imponitur.

Q. XIV. *E qua materia manipulus constare debet?*

℟. Ex quo manipulus non ad tergendas sordes, sed ad ornatum ab ecclesia adsumptus est, ejusdem materiae sit oportet, cujus est et stola et planeta. Insuper conformiter rubricae in parte superiore crux pingitur, vel adsuitur, ut ministri hanc vestem osculantes inveniant objectum venerationis suae.

Q. XV. *An manipulus a prima sua origine proprium fuit Subdiaconi indumentum?*

℟. Negative, etenim et manipulo utebantur, qui nullo erant ordine initiati. Testatur siquidem Landfrancus Cantuariensis Epist. 13, in coenobiis monachorum etiam laici, cum albis induuntur, ex antiqua patrum institutione solent ferre manipulos.

Verum Synod. Pictaviensis sub Paschali II. cap. 5. statuit; ut *nemo* Monachorum deinceps manipulo utatur, nisi fuerit subdiaconus.

Q. XVI. *Quae quinta est vestis sacra?*

℟. Quinta vestis sacra. Stola est; quae et ab ordine Romano *Orarium* vocatur. Vero simile utriusque nominis Etymon dabitur quaestione sequente.

Q. XVII. *Fuitne stola quondam vestis profana?*

℟. Bona *) plura adfert documenta ab antiquitate deprompta, queis demonstrat, apud Ethnicos et viris et foeminis stolam vestem fuisse communem oblongam ad talos usque defluentem; ejusdem et mentio fit Geneseos 41. „vestivitque eum stola byssina.“ Haec fuit et vestis summi sacerdotis Aaronici, de qua agit Josephus lib. 15. antiquitatum cap. 14. Salvator noster hanc quoque vestem nominat in parabola de filio prodigo.

Ast posterioribus ecclesiae temporibus stola non tamen vestis totum corpus tegens, quin potius torques est, a collo per humeros ad pectus pendens, et usque ad genua protensus, qui et orarium dicitur; nomenque stolae adsumpsit, vel quia stolae successit; vel

---

*) l. cit. lib. 1. cap. 24.

quia antiquae stolae in extrema parte assuta erat fasciola, seu limbus ipsam ambiens, cui admodum similis est hodierna stola *).

Orarium etiam appellatur. Presbyteri sine intermissione utantur orario propter differentiam sacerdotii dignitatis **).

Von Geburt sind wir Kinder des göttlichen Mißfallens. Auch der Gerechte unter uns strauchelt und fällt, all unser Mühen nach Tugend und Frömmigkeit wäre umsonst, wenn nicht Christus uns die Stola der Rechtfertigung umgehangen hätte ***).

Stola significat obedientiam filii Dei et servitutem, quam propter salutem mundi voluntarie subiit †).

Etiam leve praeceptorum Domini jugum significat, quod super collum sibi imponit sacerdos, ut jugum domini se suscepisse demonstret, quam cum osculo sibi imponit et deponit ad notandum assensum et desiderium, quo se subjicit huic jugo ††).

Stola sacerdotis perfecte collum subdit jugo mortificationis et ideo utroque humero, et non solum inter adversa, sed etiam in prosperis mortificationis et crucis debet esse memor †††).

Stola significat funes Jesu collo injectas sive crucis patibulum humeris ejus impositum, in quo pro nobis pependit. — Stola collo superposita et in modum crucis per medium pectoris ducta demonstrat, sacerdotem teneri se Deo unire et quodammodo colligere, suamque crucem Dei causa patienter ferre, divinae legi cum obedientia se subjicere ejusque jugum alacriter portare ac semper memorem esse mandatorum Dei ad faciendum ea *).

Q. XVIII. *Quando stola ad dignitatem vestis sacrae fuit elevata?*

R. Usus stolae in ministerio sacro vetustissimus est in ecclesia. Ejusdem enim documenta annis mille quadringentis antiquiora adferri possunt. Ut enim reliqua silentio praetereamus, concilium Laodicense sub Sylvestro circa annum 364 celebratum cap. 22 et 23. Stolae sub nomine orarii mentionem facit; statuitque, ne subdiaconi et lectores orariis utantur. Nomine siquidem orarii stolam, qua nunc utimur, venire, scriptores ecclesiastici calamo concorde scri-

---

*) Le Brun T I. p. 25 et Romsee T. II. p. 174.
**) Conc Mogunt anno 813. c. 28.
***) Schmidt l c S. 61.
†) Fr. Titelmann l. c. pag. 13.
††) Eucherius l c. cap. 5
†††) Conc. Bracc III. Can. 3.
*) C. Bona Thes. ascet.

bunt, quanquam orarii Etymon exponant diversimode. Quidam ab orando, seu concionando dictum, ideoque Diaconis primum stolam competere volunt. Alii orarium ab ora, seu lacinia vestis derivant. Sunt et alii, qui orarium ab ore tergendo nuncupatum contendunt. Cum enim, inquiunt, stola non totum amplius ambiret corpus, sed torquis adinstar, hinc et inde a collo ad pectus et genua difflueret, sudori vultus et ori abstergendis serviebat.

Lis et alia nata est inter auctores liturgicos, an orarium vox graeca, an sit latina. Cum enim graeci stolam, qua utitur Diaconus, pariter orarium vocent, materia litis haec est: an latini a graecis, vel graeci a latinis hanc nomenclaturam mutuaverint. Stolam vero sacerdotalem, orario Diaconorum latiorem, nullisque exaratam litterarum notis, graeci *Epitrarchelion* appellant. Diaconorum siquidem orario ter inscriptum legitur: Agios. i. e. Sanctus.

Q. XIX. *Stola quibus Ecclesiae Ministris propria est?*

℞. Episcopis, Presbyteris et Diaconis. Conc. Braccar. anno 560 Cap. 27 statuit: Placuit, quia in aliquantis hujus provinciae ecclesiis Diaconi absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita, ut nihil differre a Subdiacono videantur, ut de caetero supposito scapulae sicut decet orario utantur.

Toletanum IV. sub Honorio Cap. 27 decernit: Episcopus praecipiat orarium, annulum et baculum; Presbyter orarium et planetam; Diaconus orarium et albam*).

Q. XX. *An Episcopi, Presbyteri et Diaconi stolam eodem modo gestant?*

℞. Hi tres gestant stolam modo diverso. Episcopi, quos imitantur Abbates, ab utroque humero pendentem portant; ob crucem enim ante pectus, quae inde pectoralis dicitur, stolam a pectore removent. Presbyteri stolam aptant ante pectus in modum crucis, quem ritum innuit Conc. Braccarense III. Canone tertio.

Diaconi stolam ab humero sinistro infra brachium dextrum instar baltei portant, ut et distinguantur a sacerdotibus, et ut loqui-

---

*) Zu bemerken, daß selbst ein mystischer Grund vorhanden ist, daß der Minister jederzeit im Chorrock und Stola administrirt. Pietät und Glaube an Christus als den Erlöser der Welt sind die Grundeigenschaften eines würdigen Ministers. Nun sind aber . . . Chorrock und Stola Sinnbilder dieser zwei Grundeigenschaften; daher der bei allen Sakramenten wiederkehrende Gebrauch derselben, ja die daraus abgeleitete Folgerung, die Stola ein Symbol der Jurisdiction der Kirchendiener zu nennen. (Schmidt, Liturg. Bd. 1. S. 65.)

tur Conc. Toletan IV. Can. 39, ut brachium dextrum expeditius habeant ad sacrum ministerium. Assumentes stolam ministri omnes ejusdem crucem in medio praevie osculantur.

Q. XXI. *An Ministri etiam extra sacrum ministerium stola utuntur?*

℟. Stola semper et ubique olim gestabant Episcopi et presbyteri, pariter Diaconi; sed nonnisi primo suae ordinationis anno.

Ast Episcopi et presbyteri huic disciplinae tractim renuntiarunt ita, ut solus nunc Pontifex Romanus veterem semper et ubique stolam gestandi morem retineat.

Quia interim inter vestes sacerdotales principalior censetur stola; ideo sine illa non licet ecclesiae Ministris in sanctuario sacris vacare. Adhibenda siquidem est etiam extra Missam, cum sacra sunt contingenda vasa corpus Christi continentia, cum ministranda sunt sacramenta, praedicandum verbum Dei; cum dandae sunt rerum variarum Benedictiones *).

Q. XXII. *Quae est sexta vestis sacra?*

℟. Sexta vestis sacra appellatur *Planeta, Penula,* et *casula,* Etymon dabitur in sequentibus.

Q. XXIII. *An et haec olim Laicis consueta vestis erat?*

℟. Bona rer. lit. **) variis demonstrat exemplis, casulam seu planetam et laicis, et clericis, et monachis vestem olim fuisse communem. Penulam quoque veteribus graecis latinisque vestem fuisse in itineribus, praeprimis familiarem, monumentis pluribus pariter evincit ***).

An vero Penula, quam Paulus Apostolus II. ad Timoth. Cap. 4to, se Troade apud Carpum reliquisse scribit, vestis fuerit sacra, an alia communis frigori imbribusque arcendis; an vero scriniolum seu theca libris et membranis referta, in medio relinquit. Per penulam vero apud antiquos vestem intelligi et non scriniolum probat, citatque Baronium ad annum Christi 58 N. 67. ubi ostendit, *Phoenolium,* seu *Pheolonium* graecorum, indumentum planetae nostrae correspondens a latinis interpretibus penulam dici. Est tamen hoc inter Phoenolium episcopale et sacerdotale discrimen, quod primum multis sit insignitum crucibus, ideoque *Polystaurion* dicitur quasi multi-*crucium* latine, alterum vero cruce nonnisi una.

---

*) Uti Benedict. XIV. de sacrif. missae S. 1. C. 48.

**) Lib. 1. cap. 24.

***) Romsee Tom. II. pag. 177.

Die Planeta deutet das Daseyn der Liebe im würdigen Minister an, die, gerührt durch die Liebe des Gekreuzigten, das Joch und die Bürde eines ächt evangelischen Wandels mit Freuden auf sich nimmt, und sich zum obersten Triebrade der gesammten Thätigkeit des Menschen macht. (Schmidt Liturg. B. 1. p. 61.

Casulae pars anterior (quae plerumque minor est in latitudine) Ecclesiam, quae praecessit Christi passionem, ab Abel justo incipientem designat. Pars autem posterior (quae et latior est, et crucis signum aperte in se gerit) populum significat novae Ecclesiae, quae post Christi passionem unde quaque collecta est, quando in omnem terram exivit praedicantium sonus, et in omnes fines orbis terrae pervenit sermo eorum *).

Casula omnibus superimponitur indumentis, per quam caritas intelligitur, quae omnibus virtutibus creditur eminentior, Hugo de s. Vict. **).

Casula vestem purpuream, quam Jesu milites in domo Pilati tanquam ludicro regi imposuerunt, ostendit. Casula, quae caeteris vestibus splendidior et pretiosior, illis superinduitur, signum est caritatis, quae reliquis virtutibus excelsior omnibus supereminet tanquam illarum regina et vinculum perfectionis. Omnes enim sine ea sunt imperfectae, ab ea pendent omnia divinae legis mandata. Sicut enim casula in duas partes — anteriorem et posteriorem — dividitur, ita caritas duplex est, erga Deum et proximum; et sicut illa varios exigit colores, juxta temporis aut festivitatis diversitatem, ita haec varios affectus laetitiae ob Dei magnalia, nunc gratitudinis ob ejus beneficia, nunc fortitudinis in adversis, nunc tristitiae ob propria et aliena peccata ***).

Q. XXIV. *A quo tempore planeta ad usum sacrum assumpta est?*

℟. Quo praecise tempore a profano ad sacrum planeta, vel penula sit usum translata, determinari nequit. Conc. Toletan. IV. celebratum anno 597. cap. 27 Planetae et Casulae mentionem facit. „*Presbytero,*" ait, „*in sua ordinatione planeta datur, quae idem est ac casula.*" Nomen Casulae in antiquo etiam ordine romano, in libris Alcuini et Amalarii saeculo nono et alibi frequens occurrit.

Q. XXV. *An ejusdem semper formae fuit?*

℟. Olim, inquit Bona l. c., Casulae prorsus rotundae erant, totum ambientes hominem a collo usque ad pedes; unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur. Unde quia instar

*) Fr. Titelmann l. c. p. 14—15. — **) Lib. 1. c. 50. Erudit. Theol. d. Sacr. — ***) C. Bona Thes. ascet.

parvae casae totum tegebat hominem, Casula dicta est; et aliquando Casubula. Ut interim sacerdos manus ad divina tractanda haberet expeditas, Casulam super brachia revolvere, et complicare oportebat. Inde et praxis orta, ut sacerdote hostiam et calicem elevante minister casulam elevet, ne sacerdoti genuflectenti olim impedimento esset; quae praxis nunc, etsi causa cesset, perseverat. Inde pariter juxta ritum romanum in Quadragesima aliisque jejunii diebus in missa solemni Ministri utuntur planetis a parte anteriori complicatis, eo quod propter earum amplitudinem olim necessitas id postulaverit, ut ad ministrandum manus haberent expeditas.

Ideoque Ordo Romanus: *„Diaconi,“* inquit, *„levant planetas in scapulas.“*

Casula totum corpus sacerdotis ambiens dicta fuit planeta, seu Errans, quia, ut ait Gemma animae *), limbus ejus errabundus utrimque in brachia sublevatur. Graeci antiquam hanc Casularum formam retinuere. Ast latini, ut incommodum ex amplitudine formae natum vitarent, planetam tractim a lateribus scindi et decurtari curarunt; donec tandem notam omnibus formam assumpserit. Demum et cruce solent Casulae insigniri: et in Gallia saltem et Germania in parte tantum posteriore. Quanquam, ut vult Gavantus, loco crucis etiam figuram columnae adpositae casulae imprimi possit.

> Crux in Casula eam crucem significat, quam Christus gessit inque quo pependit pro nobis — in anteriori parte casulae invenitur significatio columnae, ad quam ligatus erat Dominus — stat sacerdos qua mediator quasi inter crucem et columnam **).
>
> Pluviale denotat gloriosam corporum resurrectionem ***).
>
> Dum sacris induitur vestibus, nemini colloqui debet, neque loquentibus aurem praebere, sed mentem et oculos ab omnibus amovere, quibus distrahi possit, quod multo magis observandum, dum jam est vestitus †).
>
> Considerandae sunt etiam virtutes, quae per eadem indumenta mystice significantur ††).

Q. XXVI. *Qui sunt colores vestibus sacris proprii?*

℟. Quinque diversos sacris vestibus colores rubrica missalis adsignat: *Album, Rubrum, Viridem, Violaceum, Nigrum.*

---

*) Lib. 1. cap. 207. — **) A Cod. — ***) Durand. l. c: lib. 2. c. 1. — †) Acta Provinc. eccl. Mediolan. lib. 4. cap. de missa. — ††) C. Bona Thes. ascet. —

Q. XXVII. *Haeccine colorum diversitas primis modo saeculis cognita fuit?*

℟. Benedictus XIV. P. M. in commentario de missae sacrificio allatis quibusdam antiquitatis monumentis *) probat, initio saeculi IV. nonnisi album in sanctis mysteriis adhibitum fuisse colorem, et apud graecos ad saeculum usque XIII. duos nonnisi colores, album quippe, et rubrum fuisse usitatos. Saeculo tandem XII. ab Innoc. III. **) quatuor usitatos recenseri colores in ecclesia latina; album pro confessoribus et Virginibus; rubrum in Apostolorum et Martyrum solemnitatibus, nigrum diebus jejunii, in commemoratione mortuorum, toto tempore adventus, et a septuagesima ad sabbatum sanctum usque — viridem denique diebus ferialibus. — Colorem interim violaceum ab Innoc. non memorari, eo, quod hic nigro aequiparatur. Tractim tamen a summis Pontificibus colori nigro substitutum fuisse violaceum excepta mortuorum commemoratione, cui color niger mansit; saeculo enim saltem XIII quinque nominatos colores in usu jam fuisse, testatur Durandus, qui omnes quinque colores nominat ***).

Nunc igitur conformiter rubricae missalis ecclesia colore utitur violaceo in adventu, quadragesima, feriis quatuor temporum, et vigiliis ob poenitentiae moerorem, cui tunc specialiter suos jubet vacare fideles.

Album praescribit colorem tempore Paschali, in festis B. Mariae V. necnon Virginum ac Confessorum. Rubrum adhibet colorem infra octavam Pentecostes, et in festis Martyrum — viridem usurpat in Dominicis et feriis ab octava Epiphaniae usque ad septuagesimam et ab octava Pentecostes ad adventum utrobique exclusive.

Colorem interim aureum pro albo et rubro supplere posse, usus probat receptus. Nigrum tandem colorem sumit Ecclesia feria sexta in Parasceve, et in officiis et in Missis defunctorum; vel in his etiam violaceum. Prout haec omnia a Rubricis variisque S. R. C. decretis uberius tradita videri possunt.

In Missis tandem votivis, de mysterio quodam vel sancto idem, qui in festo ipsomet adhibitus fuit, assumitur color. A regula Merati excipit votivam de SS. Innocentibus Martyribus, quae colorem exigit rubrum, quanquam festum ipsum usurpaverit violaceum. Votivae vero in fine Missalis assignatae, nec ita correspondentes festo alicui postulant: Votiva de Passione *violaceum* colorem, illa de cruce *rub-*

---

*) Romsee T. I. p. 62. — **) Liber 1. myster. Missae cap. 65. — ***) Obiit hic anno 1296.

rum, pro eligendo s. Pontifice rubrum, pro creatione et coronatione Papae, pro anniversario consecrationis Episcopi, pro sponso et sponsa, *album.* Ad tollendum Schisma: pro quacunque necessitate: pro remissione peccatorum: ad postulandam gratiam bene moriendi: contra paganos: tempore belli: pro pace: pro vitanda Mortalitate: vel tempore Pestilentiae: pro infirmis: pro peregrinantibus, vel iter agentibus: *Violaceum.* Graeci in Missis defunctorum rubro utuntur colore; et in iisdem legunt cantantque festivum Alleluja, ob laetitiam, quam de spe salutis fidelium concipiunt.

Byssi, Purpurae, Hiacinthi et *Cocci* (Exod. 28.)

Albus color abhibitus in sacrificiis significat gloriam, gaudium et innocentiam *). In festo

Nativitatis, quia natus est Christus carens originali peccato, et in

Epiphaniae propter splendorem stellae **).

Coenae Domini propter confectionem chrismatis, quod mundationi animarum deservit, et in Evangelio de lavandis pedibus agitur ***). ac ut supra diximus juxta Baronium vestem coenatoriam Christi fuisse albi coloris.

Sabbati sancti. Nam Resurrectionis Angelus testis et nuncius stola candida coopertus apparuit †). Vestimentum ejus sicut nix ††).

Ascensionis quoque Christi steterunt Angeli juxta Apostolos in vestibus albis †††), cujus Ritus Paschalis meminit Palladius *).

Sanctissimae Trinitatis. Quis purior Deo?

Corporis Christi eadem ratione assignata est supra in coena Domini.

Transfigurationis. Nam in ea vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix **). Et nubes lucida obumbravit eos.

Beatae Mariae Virginis, quo purior sub Deo creatum nequit intelligi (Damascenus) ad honorem et in virtute mysterii talis gloriosae, *ulla labe carentis conceptae* Virginis.

Angelorum, de quorum nitore Deus ad Luciferum: ubi eras, cum me laudarent astra matutina ***)?

Sancti Joannis Baptistae. Qui natus est sine peccato, sanctificatus in utero †).

Joannis Evangelistae, de quo tanquam de Virgine et Vir-

---

*) Hieron. in Ezechiel et alii Patres. — **) Innoc. III l. c. — ***) Innoc. III ibidem. — †) Innoc. III l. c. — ††) Matth. 28. — †††) Act. 1. — *) In lib. de vitis. Nicetae Lugd. — **) Matth. 17. — ***) Job 38 et hac Inn. l. c. in hanc Rubric. — †) Idem ibidem.

ginis altero filio, tunc sit festum, nascente Christo primogenito Virginis.

Cathedrae S. Petri, in qua veneramur Petrum tanquam Pontificem *).

Petri ad Vincula, tum ab ejusdem innocentiam declarandam, tum ob angelicam liberationem, in Albis enim forte Angelus apparuit Petro.

Conversionis S. Pauli, ad significandam primam ejus sanctitatem baptismalem.

Omnium sanctorum. In quo fulget praecipue Nomen *Deiparae sine labe conceptae Virginis,* et leguntur eo die amicti stolis albis **).

Confessorum. Ad indicandum candorem et morum in illis et doctrinae Doctoribus ***). Idem fiat in *festo stigmatum* S. Francisci †).

Virginum. In testimonium puritatis et castitatis earum, quia albo colore gaudet castitas.

Consecrationis Ecclesiae. Nam Ecclesia virgineo nomine nuncupatur ab Apostolo ††).

Consecrationis summi Pontificis de Innoc. III. l. c. Ratio eadem de pontificibus ut supra.

Per octavas, quia tota octava unum et idem est festum.

In Missis votivis, quia missa sequitur naturam principalis festi, ita in festis translationum, apparitionum et similium festorum.

De sponso et sponsa Quia supponitur in sponsa benedicenda carnis integritas, unde viduae nuptias non benedicimus†††).
Rubeus color seu purpureus indicat dignitatis gradum, aliis excellentiorem: humano sanguini similis est, igneam refert naturam. Adhibetur

A. Vigilia Pentecostes *) propter sancti spiritus fervorem, qui in igne descendit **), et propter potestatis plenitudinem in igne significatam, Apostolisque datam ***). In festo

Sanctae crucis, quae sanguine Christi consecrata fuit, et passionem ejus indicat. Rubeus color,

Decollationis, ob effusionem sanguinis, Innoc. III.

In Dominica Venerit: ut convenit officio de Innocentibus.

De octava. Octava enim glorificationem denotat †).

---

*) Innoc. III supra. — **) Innoc. III. ut patet ex Martyrologio Romano. — ***) Inn. III l c. — †) S. R. Cong. q. Decembr. 1623. — ††) 2. Cor. 11. Inn. III supra. — †††) Rituale Rom. de sacram. matrim. — *) Inn. III. c. — **) Act. 2. — ***) Tobia corona de templis. part 1. cap. 49. — †) Amal. lib. 4. cap. 29 et 36.

Virginum Martyrum. Quia Martyrium praefertur virginitati *).

Pro eligendo Summo Pontifice, quia aequivalet missae de spiritu sancto.

Viridis color adhibetur in diebus ferialibus et communibus, (est enim iste color inter colores medius **), cujusmodi sunt dies ab Octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum in officio de tempore. Dies etiam Dominici minus solennes sunt his temporibus, et communes vocantur ab Innocentio, comparative ad alias Dominicas et solennitates anni.

Violaceo colore utitur *ab Adventu* ad Natalem Domini et *a Septuagesima* usque ad Pascha.

In Benedictione cerei. Pertinet enim ad Paschale sacramentum ***).

Vigilia Pentecostes, afflictionis indicandae causa et catechumenorum humilitatis ante Baptismum. Eadem ratione *in Vigilia Paschae.*

Quatuor temporibus, afflictioni enim debitus color †).

Vigiliae et quatuor temporibus Pentecostes ratione allegata.

Litaniarum (Rogationum), quae cum moerore quodam celebrantur.

Sanctorum Innocentum, quia eo die ploratus matrum accidit, de quo in Evangelio „*Vox in Rama audita* est, ploratus etc. Matth. 2. Licet legatur idem in octava, color tamen est alius, Rubeus nimirum et festivus, ratione allegata supra ex Amalario. Item alia est coloris Violacei; quia descenderunt in limbum. (Microlog. c. 36), quae, quia communis est Joanni Baptistae, in cujus tamen Decollatione Rubro utimur, et illos non plene fuisse de novo Testamento.

Candelarum etc. In cinere et Palmis cum Passione Domini patet ratio coloris Violacei; fortasse ratio esse potest Prophetia Simeonis ad matrem Christi. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

In omnibus Processionibus, quia cum luctu et moerore procedendum.

Exceptis Processionibus sanctissimi Sacramenti, quae fiant in colore albo.

In diebus solemnibus, ut color congruens festo adhibendus.

De Passione Domini. Ad Missam de Cruce color *rubeus,* ut sequatur qualitatem festi principalis, in quo effusio sanguinis Christi repraesentatur: ad Missam vero de passione

---

*) Innoc. III l. c. — **) Inn. III l. c. — ***) Durand. lib. 3. cap. 18. — †) Durand. l. c.

violaceus, ut respondeat Dominicae de Passione, cum qua participat in titulo et Sacramento mortis Christi.

Pro quacunque necessitate etc. In his dictis casibus habent praecipuum locum luctus, afflictio, poenitentia.

Nigro colore utitur *feria sexta* in Parasceve; in omnibus officiis, et missis Defunctorum. Mortis est propriissimus color niger apud omnes *).

Convenit igitur, ut colori Missae conforme esse debeat pallium (Antipendium) Altaris **).

B. Clemens ***) tradente B. Petro usum sacrarum vestium ex lege decrevit — sancta vero et honesta s. Stephanus Papa fieri jussit. — De consecrat dist. 1. — Si sacerdotes antiqui vestes habuere ad sacrificia non communes, nos in communi veste sacrificabimus? novi fiant in Christo homines †) moribus et vestibus. Denique fortasse ideo in veste Coenatoria Christus dominus hoc instituit sacramentum (Joann. 13.) quam fuisse syndonem albam docet Baronius ad annum Domini 34. N. 39.

Colores vestium enumerat Innoc. III ††), quamvis nigrum confundere videtur cum violaceo. Quatuor principales colores vestium correspondent quatuor vestibus veteris legis.

Q. *Quid de illa praxi cantandi exequias adolescentium ac puellarum in colore albo?*

℟. Est abusus non ferendus, repugnans spiritui Ecclesiae et inconvenientiis plenus.

Q. XXVIII *An in vestibus sacerdotalibus quatuor simul inveniri possunt colores?*

℟. Vel in veste sacerdotali omnes aequaliter, vel fere apparent colores; vel color unus officio correspondens praevalet aliis: si primum; scriptores liturgici censent, Rubricae non satisfieri, saltem extra necessitatis casum, cum a nullo tunc colore sumi possit, determinatio potior. Unde et a spiritu rubricae tum deviatur, si crux inseratur casulae alterius coloris; ut, si casulae albae inseratur crux rubra, vel vicissim, quod si vero color correspondens officio, vel mysterio, vel sancto praedominetur aliis, ob rationem contrariam contenta erit rubrica.

Q. XXIX. *An sacerdos celebrans in aliena ecclesia, in qua diversum a suo servatur officium, tenetur officio et colori illius ecclesiae conformem celebrare missam?*

---

*) Inn. III l. c. cap. 65. — **) Ruiz in suo Caeremoniali. — ***) Honorius in gemma lib. 1. C. 89. — †) Hieronim. l. c. — ††) Lib. 1. c. 65. N. quinque.

℟. Discriminandis rite responsionibus conducet praevie, quaedam explorare placita rubricae generalis; et sacrae rituum congregationis. Itaque rubrica generalis titulo 18 statuit*): Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis officio, et missae diei secundum usum Romanae Ecclesiae. S. R. C. respondit.

Primo: recitantes officium de martyre, et celebrantes in ecclesiis, ubi dicitur de confessore, utrum debeant se conformare in colore illis ecclesiis, etiamsi ibi nulla sit solemnitas? responsum fuit: Affirmative; etiam quoad missam, quae non poterit celebrari de s. confessore, si color fuit rubeus. Septima Maji 1746.

Secundo decrevit eadem: Sacerdotes etiam regulares diebus, quibus propria officia recitant sub ritu duplici; celebrantes in alienis ecclesiis, quando peragitur festum cum solemnitate, et concursu populi, debent celebrare Missas conformando se ritui et colori earundem ecclesiarum. 11. Juni 1701.

Tertio. Eadem die, mense et anno decrevit: Sacerdotes exteri confluentes ad ecclesiam etiam regularium, et celebrantes de sanctis etiam ordinis, quando festum celebratur cum solemnitate, et concursu populi, debent in missis se conformare cum sacerdotibus illius Ecclesiae etiam regularibus, quoad Credo et numero orationum more duplici.

Ex his aliisque S. R. C. decretis sequentes derivantur resolutiones.

Prima. Sacerdos habens officium primae classis cum octava, e. g. Patroni primarii, quod officium exigit colorem album, celebransque in aliena ecclesia, ubi servatur officium de martyre, etiamsi sub ritu duplici minore, tenetur absque commemoratione patroni sui missam colori, et officio illius ecclesiae conformem celebrare. Decreta enim S. R. C. sub numeris 2 et 3 relata mandant, ut sacerdos se conformet ritui illius ecclesiae, quoad numerum orationum more duplici.

Quoties igitur sacerdos in aliena celebrat ecclesia, ubi officium quodcunque duplex, vel aequivalens diversum a suo officio colorem exigit, tenetur non quoad colorem tantum, sed et missam ipsam sese omnimode conformare ritui illius ecclesiae omissa proprii officii commemoratione.

Secunda. Si sacerdos habens officium primae, vel secundae

*) Romsee T. 1. pag. 65.

classis, celebret in ecclesia, ubi servatur officium a suo distinctum, sed sub eodem ritu, et eadem cum solemnitate; quodque etiam eundem postulat colorem; conformitas localis obligavit sacerdotem ita, ut absque commemoratione festi proprii, ritui ecclesiae, in qua celebrat, sese conformare teneatur.

Tertia. Quod si festum duplex, de quo officium legit sacerdos, vel ritus sit altioris ordinis, vel cum solemnitate, et populi concursu celebretur; ipse vero missam in aliena legat ecclesia, ubi festum duplex inferioris ritus; vel si aequalis, sed sine solemnitate, et populi concursu servatur; color interim utriusque festi idem sit; missam proprio conformem officio celebrabit sacerdos. Tunc siquidem concordia localis cedet personali.

Quarta. Si festum duplex in propria ecclesia et ejusdem ritus, atque coloris festum distinctum ab alia servetur ecclesia, in qua celebraturus est sacerdos; utrobique tamen absque solemnitate, electio penes celebrantem erit. Non enim tunc concordia localis praevalet personali, vel vicissim potius ligare dignoscitur.

Quinta. Si Sacerdos habens officium primae, vel secundae classis cum octava, e. g. Dedicationis celebret in ecclesia ubi officium servatur de Dominica in colore viridi, debebit missam celebrare de Dominica, ast cum Dominica infra octavam, quam celebrans ea die inchoat nonnisi duas postulet orationes, addet commemorationem dedicationis tantum. Uti etiam S. R. C. decidit 11ma Junii 1701, quodsi octava ista praefationem exigat propriam, hanc dicet celebrans.

Si Sacerdos aliud habens quodcunque officium duplex sine octava celebret in ecclesia, ubi ob officium de Dominica color adhibetur viridis vel violaceus; missam celebrabit de Dominica et secunda oratio erit de suo officio duplici et tertiam addet, quae conformiter ritui illius ecclesiae est secunda.

Si sacerdos habens officium duplex exigens colorem album, celebret in ecclesia, ubi fit officium de Dominica, sed ob octavam de Martyre color assumitur ruber; missam leget de Dominica in colore rubro et secunda oratio erit de suo duplici et tertia uti ante, quae nempe conformiter ritui illius ecclesiae est secunda.

Si habens officium duplex exigens colorem rubrum celebret in ecclesia ubi fit officium de Dominica, sed ob octavam de Martyre color adhibetur ruber, missam suo leget conformem duplici cum commemoratione et ultimo Dominicae evangelio.

Sexta. Sacerdos habens officium semiduplex et celebrans in

ecclesia, ubi servatur duplex, tenetur verosimilius missam celebrare de officio duplici, licet color utrimque idem sit.

Libertatem enim personalem celebrandi quamcunque missam limitat concordia localis. Quodsi officium utrimque sit semiduplex; a potiori, si ritus inferioris, missam etiam votivam et de requiem celebrare non prohibetur.

Septima. Si sacerdos habens officium, quod missis votivis et de requiem compatibile, celebret in sacello, vel oratorio, cui nullum est adnexum officium, quamvis dictum sacellum, vel oratorium situm sit intra terminos cathedralis, collegiatae vel parochialis ecclesiae, in qua officium et missa de duplici dici debent, poterit ibidem missam suo conformem officio legere, vel etiam votivam aut de requiem. Cum enim locus nullam postulet conformitatem, et conformitas personalis libera sit, missas praenominatas legere nullo jure prohibetur.

Quod si tamen idem sacerdos officium habeat duplex, tenebitur in eodem sacello, vel oratorio missam suo duplici legere conformem. Esto enim nulla tunc liget conformitas localis, obligabit tamen personalis.

Octava. Si tandem de missa solemni quaeratur cantanda in aliena ecclesia? haec sine omni ad proprium officium respectu conformis erit officio illius ecclesiae. Hinc sacerdos etiam regularis administrans aliquo tempore parochiam tenetur missas festivas, exequiales, anniversarias, et votivas conformare ritui, quem pastor absens servaret si praesens esset.... Pariter capellanus monialium inattento proprio officio missas quotidianas conformabit ritui ordinis etiam quoad commemorationes in missa solemni, vel etiam privata, quae solemnem supplet. Capellanus tamen iste, nisi ejusdem sit ordinis, romano vel dioecesano uti tenetur Missali, missasque non proprias ordinis, sed de communi celebrare; nisi forte speciale desuper sedes apostolica concessisset privilegium; prout Toss. Jos. Romsee praxis celebrandi missam, parte 1. art. VII. No. 3. concessum refert a Benedicto XIII. capellanis monialium s. Benedicti. Item ex indulto ejusdem sanctae sedis 5[ta] Sept. dato 1775 posse sacerdotem quemlibet in ecclesiis ordinum minorum strictae observantiae missali franciscano in omnibus uti. Idem tandem indultum a Pio VI. 15 Junii 1778 concessum omnibus ecclesiis Capucinorum et ejusdem ordinis monialium.

Q. XXX. *An vestes sacerdotales omnes oportet esse benedictas?*

℞. Vestes sacerdotales oportet omnes esse benedictas ab episcopo, vel a sacerdote, qui specialem ab Episcopo facultatem obti-

nuit, uti statuit Rubrica generalis titulo de praeparatione sacerdotis celebraturi. Idemque colligitur e canone: Vestimenta de consecrat. dist. 1. — Haec benedicendi facultas et quibusdam competit regularium superioribus; ast pro ecclesiis sibi subjectis tantum, prout declaravit S. R. C. 24 Augusti 1609. Abbates et alii Praelati regulares non possunt benedicere paramenta ecclesiarum non sibi subditarum *).

An vero vestes non benedictae ipso usu benedictionem aquirant, placet quidem paucis affirmare, ast praeplacet aliorum et verosimilior et tutior opinio; cum enim adsint caeremoniae illique ritus, queis ecclesia paramenta sacrari jubet, hinc haec ab usu suppleri minime possunt.

Q. XXXI. *Quomodo vestes sacrae suam amittant benedictionem?*

℟. *Primo*, si pars a veste sacra separetur, quae separata redditur inepta ad usum sibi proprium; ut: si manica separetur ab alba; si cinguli disrupti nulla pars apta sat maneat ad cingendum; si pars notabilis a casula separetur **), licet statim substituatur alia non benedicta.

Secundo perdunt consecrationem vestes sacrae, si ita sint attritae, vel pertusae, ut absque notabili divinorum mysteriorum vilipendio inservire deinceps nequeant.

Quo tamen casu in profanos easdem non licet usus convertere, sed vel comburi, vel minores ex iisdem vestes confici debent, uti e casula bursae, vel vela ex alba, corporalia vel pallae. Minores tamen hae vestes nova indigent benedictione, cum sibi propriam ex rubrica nondum habeant.

Q. XXXII. *An aliquando licet celebrare sine sacris vestibus?*

℟. Communior doctorum sententia peccatum censet mortale, saltem extra necessitatis casum etiam vel absque una sacra veste celebrare. Cui favet canon: vestimenta de consecr. dist. 1. supra citatus. Vestimenta ecclesiastica, quibus Domino ministratur, et sacrata debent esse et honesta, quibus.... aliis in usibus non debent frui quam in ecclesiasticis et Deo dignis sacrificiis. An vero pro necessitatis casu v. g. pro dando viatico liceat sine sacris vestibus celebrare? Plures gravesque auctores, quos citat et sequitur Bened. XIV. P. M. assumunt et pro hoc casu nequidem absque sacris posse celebrare vestibus; cum enim, inquiunt, praeceptum viatici tunc tantum obliget infirmum, cum absque gravi irreverentia sacra-

*) Romsee T. II. p. 183. — **) Romsee T. II. p. 184.

menti ministrari possit; defectus vero sacrarum vestium gravem tremendo huic mysterio irreverentiam irrogare noscatur; hinc a sumendo viatico deobligatur infirmus, sicut minister a ministrando. Merati tamen sequens Quartum censet, sine vestibus minoribus, sine cingulo et manipulo in necessitatis casu celebrari posse, nunquam vero absque vestibus majoribus: Alba, stola, casula.

Sacerdos celebraturus . . . corona . . . insignitus esse debet *). —

Laudantur Ecclesiae, in quarum sacristiis honestae crepidae paratae asservantur, ad usum sacerdotum celebraturorum, qui in sacristia deponunt communes (interdum et sordidas ne albae et paramenta sordibus inficerentur), et induunt alias crepidas ad majorem nitorem et sacri ministerii splendorem.

Cum longam alere comam, capillitium in cristam componere, seu a brechmate in occiput recrispare proprie sit superborum, luxuriosorum, barbarorum et militantium; ideoque decentissimum est, ut sacerdos capillis abscissis vel decenter compositis incedere studeat, ne aut eorum cura teneatur aut incuria molestetur **).

Quantopere hodiedum saeculo multi clerici faveant, ex eo intelligi potest, quia loco collaris clericalis et albi limbi super collare inversis, nunc „Vatermörder" qui dicuntur, utuntur, qui immobiles erecti sunt in collo et in altari inoperti de humerali apparent. — Multi quoque non minus ridiculum tenent pileum triangulum. Avorum sensu cognoscebatur in tali mysterio, mysterium ss. trinitatis, quae servum suum defenderet et protegeret. — Ast nunc non sic.

Nonnisi calceatus pedibus introire et accedere debet celebrans, ad altare juxta illud Apostoli ad Epheseos 6: Calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis. Mystice denotatur calceis: *primo* vita mortificationis dura et aspera, ex nissero de vita Moyses: *secundo* memoria mortis, quia calcei fiunt ex mortuorum animalium pedibus. *Tertio* imitatio vestigiorum et gressuum ss. P. R. jam defunctorum ex D. Anselmo, quibus ab omni terrena laesione defenduntur pedes animae nostrae, id est, affectus, ut latius explicat Corn. a Lapide in praedictum Pauli locum ***).

Ich fürchte, sagt Niebuhr in seiner römischen Geschichte, daß unsere so gepriesene Aufklärung uns einer allgemeinen Barbarei entgegen führt. Utinam in nostris temporibus, ut hanc opini-

---

*) Vinitoris Comp. s. rit. p. 95. — **) Vinit. l. c. p. 96. — ***) Quarti P. 11. p. 202.

onem aliquantulum perpendamus operam navemus; haud sit nobis difficile opportune ad meliora redire.

§. VIII.

De sacris vestibus Pontificum et Ministrorum.

Q. I. *Quae sunt vestes episcopis propriae?*

℟. *Sandalia, Caligae, Crux pectoralis, Tunicella, Dalmatica, Chirotheca, Annulus, Mitra, Baculus*, et Archiepiscopis *Pallium.*

Episcopus ante celebrationem quinque psalmos dicere debet, ut quidquid immundum *) quinque sensuum transgressione commisit, quinque psalmorum oratione detergat.

Q. II. *Sandalia et Caligae quae vestes sunt?*

℟. Sandalia pedum tegumenta sunt, quae et ab antiquis *compaga, compagia* et rectius *compagi* appellantur, quanquam ordo Romanus compagos pro caligis accipiat, caligae tegumenta tybiarum sunt, unde *Tibyagia* **). Sandalium olim et presbyteris et Diaconis et Subdiaconis in sacro ministerio propria concessa fuisse, testantur Alcuinus, Amalarius et Capitularia Caroli Magni. Haec tamen sandalia pro gradum diversitate et ipsa diversa erant. Ecclesia enim nullo non tempore studuit conciliandae majori divinorum mysteriorum majestati et reverentiae adeo, ut ne sordidis et communibus quidem calceis ministros sacris appropinquare altaribus permiserit. Episcopi nunc soli et Abbates usum pontificalium habentes sandalia gestant.

Caligae et *sandalia* denotant incarnationem Christi, de qua in psalmo 59: *In Idumaeam* extendam *calceamentum meum* ***) horum usus ab Apostolis manat†).

Episcopum monent *caligae* et *sandalia* gressus rectos esse faciendos et genua roboranda in praeparationem Evangelii††).

Q. III. *Crux pectoralis unde dicta?*

℟. Innoc. III. cap. 53 crucem pectoralem inde appellatam dicit, quod ante pectus pendens illud ornet. A viris et foeminis, vel a nascente ecclesia parvam e collo gestare crucem instar amuleti consuetum fuisse pluribus docti argumentis comprobant†††). Crux inte-

---

*) Innoc. III. lib. I. cap. 47. l. a. — **) Bona rer Lit. pag. 456. — ***) Stephanus Eduensis de sacer. alt. cap. 11. — †) Rabanus lib. 1. Instit. clericor cap. 22 et probat ex Morio cap. 6. — ††) Ivo carnot. ser. de earundem signif. — †††) V. C. Bona rer. Liturg p. 456.

rim Episcopis propria ab illa se distinguit, quod sanctorum includat reliquias. De hac cruce, quam graeci *Encalpion* vocant, neo in antiquis Liturgiis, nec scriptoribus Liturgicis, vel vocula occurrit. Ideoque C. Bona *) hoc episcopis ornamentum speciale posterioribus temporibus demum advenisse censet. Durandus, Episcopus Mimatensis circa finem saeculi 13 in suo pontificali apud Martene de antiq. eccles. Rit. **) ita ait: *„Crux pectoralis, siquis ea uti velit forte devotionem particularem quorundam Episcoporum gestandi crucem ante pectus, secuta est consuetudo universalis et consuetudinem lex.*

Crux pectoralis significat passionem Christi, exemplar passionum aliorum martyrum, quorum reliquiae asservantur in cruce. — *Philacteria* seu *filacteria*, eo quod filo suspendi soleret, *Encalpion* vocat eum Nicephorus Episc. constantinopolitanus ad Leonem III. papam Baronio teste.

Q. IV. *Quae dalmatica et quae tunicella episcopis propria?*

℟. Dalmatica diaconis et tunicella subdiaconis assignata vestis est; de quibus infra sermo erit liberalior. Inter vestes episcopales utramque recenset ordo Romanus, et primam quidem majorem, alteram vero nempe tunicellam minorem nuncupat ***).

Amalarius lib. II. cap. XXII: Tunicam scribit hyacinthini fuisse coloris, et subuculam nuncupatam, interim si veteribus fides sit habenda picturis, tunicella inquit Bona, coccineo et dalmatica albo erat tincta colore. Durandus cap. X, XI, episcopos ideo dalmaticis et tunicellis ornari dicit, quia episcopatus omnes eminenter ordines complectitur.

Tunicella et *Dalmatica*, prima doctrinam Christi inconsutilem, quae scindi non potest (Innoc. III. cap. 39.) denotat, altera misericordiam Christi erga nos latam et largam (Idem cap. 40.)

Dantur Episcopo, quia in eo eminenter omnium sacrorum ordinum sunt gradus aut quia duorum testamentum est custos, (Durand l. c. cap. 10.) primumque a Sylvestro papa concessa est Dalmatica, (idem lib. 3. cap. 11.)

Tunicella demonstrat virtutes intimas Episcopo proprias. Amalar. I. c. l. 2. c. 22.

Dalmatica immaculatae vitae typus est. (Durand cap. 11.) Liberalitatis erga pauperes (Inn. III. c. 56.) Religionis immaculatae, quae ex Jacobo est — apud Deum patrem, visitare

---

*) L. c. 1. cap. 24. §. X. — **) L. 1. cap. IV. art. 12. — ***) Bona r. L. p. 457.

pupillos et viduas in tribulatione et immaculatum se custodire. (Amalar. c. 21.) supra caritatis geminae *).

Q. V. *Chyrotheca quid?*

R. Chyrothecae ab ordine romano manicae dicuntur, quia manuum Episcopalium sunt ornamenta. Convenit enim, ut episcopi quaelibet pars ornatior appareat **). In ordinatione episcopi hanc orationem ordo Romanus praescribit, dum electus induitur manicis: „Immensam Clementiam tuam rogamus omnipotens et piissime Deus, ut manus istius famuli tui fratris nostri, sicut exterius obducuntur manicis istis, sic interius aspergantur rore tuae benedictionis." Chirothecarum usum quibusdam fuisse concessum abbatibus vetustioribus monumentis probat Bona ***).

Chyrotheca haedorum pelliculae similitudinem carnis peccati in Christo Inn III. cap. 41. Chyrothecae ab ordine romano dicuntur *Manicae*, quia manuum sunt ornamenta, convenit enim, ut Episcopi quaelibet pars ornatior appareat; ab apostolis deducit hanc ritum †).

Chyrothecae manus tegunt, ut opus sit in publico, intentio in occulto ††).

Q. VI. *Cur annulum assumunt Episcopi?*

R. Fuit annulus apud omnes gentes non tantum in politicis et civilibus, sed et in sacris auctoritatis, dignitatis, et praeeminentiae insigne, quod pluribus veteribus testimoniis evincit Ducange in Glossario verbo: Annulus.

Datur etiam annulus Episcopo, inquit Gavantus, ad honorem et significationem, quod alicui sit desponsatus ecclesiae. Episcopis inter reliqua sui ordinis insignia traditum fuisse annulum antiquissima evincunt monumenta †††).

Concilium Tol. IV. C. 27 statuit: ut Episcopis gradu dejectis dum restituuntur, annulus et baculus reddantur. Annulum antequam tradatur Episcopo, conformiter ordine Romano benedici praevie oportet.

S. R. C. 11. Febr. 1623 Protonotariis titularibus non participantibus, et quibuscunque doctoribus inhibuit, ne annulum in Missa unquam gestarent. Eadem prohibitio extensa fuit ad Canonicos ecclesiarum Cathedralium die 20ma Nov. 1628, observat tamen Merati s. l. bina haec decreta decreto posteriori moderasse die 4.

---

*) Hugo de s. Vict. c. 6. — **) Bona l. c. p. 457. — ***) L. c. §. XII. — †) Gemma lib. 1 de antiquo ritu c. 215. — ††) Gemma c. 215. — †††) Bona l. c. p. 457.

Aug. 1663, quo statuit, posse canonicos intra missam annulum gestare aureum sed absque gemma et aliqua effigie. Aliquo pariter decreto cavit 11[ma] Julii 1699, eosdem uti non posse palmatoria.

Annulus perfectionem denotat donorum spiritus sancti in Christo *).

Annulus aureus esse debet (Inn. III. lib. 1. cap. 49) et benedictus, ut in ordine romano, daturque ad honorem et significationem, quod Ecclesiae suae sponsus est, et quod velut annulo signatorio non omnibus omnia mysteria revelare debet (ita Isidor 1. de ecclesiae off. cap. 5), idque in manus dextrae defertur neque in gemma sculptum quid esse debet **), sed in Missa pontificali jubetur Episcopus gestare annulum in digito annulari dextrae ***).

Expresse prohibitum fuit aliis, protonotariis, Doctoribus, *etiam canonicis sive sint, sive non sint capitulares canonici,* annulum gestare S. R. Cong. die 21. Februar 1623, item die 20. Nov. 1728.

Pastoribus, privatis sacerdotibus *nullatenus,* sub nulla igitur conditione licet. Hoc pro his, qui usque huc huic mandato non inservierunt.

Annulus est fidei sacramentum, in quo Christus sponsam suam Ecclesiam subarravit, ut ipsa de se dicere valeat: annulo suo subarravit me Dominus †).

Annulus fidei sacramentum est a sponsa, a qua nunquam discedendum (Steph. Eduens. de sacram. alt. cap. 2); fertur in digito indice manus dextrae, quia digitus index dicitur salutaris a Durando ††); digitus autem significat spiritum sanctum, cujus dona distribuit Episcopus in ordinatione Cleri. †††) In ejus gemma nil sculptum esse debet (synod. mediolanens. de sacra suppellect.), ut Deum ipsum in annulo Episcopi veneremur.

In missa pontificali vero fertur annulus in digito annulari, qui est remotior ab indice; ne indice quasi coronato ab episcopo uti videatur ad consecrationem corporis Christi; nam annulus corona manuum dicitur a sapientioribus, et Christo digitorum coronam deponere convenit, seu remotius saltem gestare.

Q. VII. *Mitra, quale ornamentum?*

℟. Mitra ornamentum est, cujus pars inferior caput ambit Episcopi, superior vero divisa ad duos assurgit apices.

Usus ornamenti hujus vel ethnicis vel viris, vel foeminis olim

---

*) Inn. III. cap. 46. — **) Durand. lib. 2. de rit. cap. 9. — ***) Cerem. Eccles. lib. 1. c. 6. et lib. 2. c. 8. — †) Inn. III. l. c. — ††) Lib. 2. cap. 9 de rit. †††) Inn. III, Cap. 46.

familiaris erat; ac etiam veteris testamenti sacerdotibus ad ornatum concessus.

Quandonam mitra Episcoporum ornatui accesserit, non ita concordant eruditi in hac decidenda quaestione *). — Quidam ab anno Christi millesimo primam ejus originem derivant, tum quod in tabulis vetustioribus sive Episcopi, sive SS. etiam Pontifices nudis semper capitibus depicti reperiantur; tum quod et in libris ritualibus antiquioribus scriptisque liturgicis altum de mitra sit silentium. — Alii e contra vel ab ipsis Apostolorum temporibus usum mitrae fluxisse contendunt. Utramque sententiam C. Bona conciliari posse autumat, si usum mitrae, prout recentiorem induit formam, vix annum Christi millesimum excedere asseratur. Ast secundae subscribendum sententiae censet, si dicatur vel ab ipsis Apostolorum temporibus aliquod extitisse capitis ornamentum speciale, quo si non omnes, saltem aliqui usi sunt Episcopi.

Mitra et aliis insignitur nominibus. Inter caetera magis frequentantur: *Cidaris, Tiara, Infula, Corona sacerdotalis.*

Mitra summam Christi honorificentiam denotat (Inn. III. c. 44.), *apex* dicitur ex Augustino 2 civit. 15 *sertum cum gemmis*, juxta Eurodium *corona sacerdotalis*, juxta Ammian. Marcellinum lib. 29, *corona gloriae* ex Eusebio Caesar, lib. 10. hist. cap. 4. *Cidaris* ex Alcuino cap. de sing. vest. *auriphrygium* circulare Inn. III — ab *Apostolis* ortum habet; juxta Baronium ad annum 34. N. 298 inter insignia Episcopi numeratur ad ornandum caput illius.

Episcopus oraturus mitram deponit, quia vir revelato capite debet orare, Cor. 11, quatenus inter ipsum et Deum nullum sit malitiae velamen. — Ut revelata facie gloriam Dei contempletur **).

Mitra cum duobus cornibus scientiam requirit utriusque testamenti contra hostes. (Hugo Vict. sap. 6). Duae vitae seu febrae posteriores sunt spiritus et littera; ad humeros pendent, ut quod docet Episcopus, opere compleat (Inn. III. cap. 60) *Baculus* correctionem pastoralem docet. (Hugo Vict. l. c.)

E probatissimis etiam monumentis eruit C. Bona, tam mitrae, quam aliorum pontificalium ornamentorum usum nonnullis insignium monasteriorum abbatibus post annum millesimum fuisse concessum, quem tamen in abbatibus reprehendit s. Bernardus abbas in epist. 42 ad Henricum Senonensem.

---

*) Bona l. c. p. 458. — **) Alex de Alcs 4 p. qu. 37 de off. Miss. §. 4.

Graeci pariter ab hoc abstinent ornamento, nec ullus est in Graecia mitrae usus.

Q. VIII. *Quid venit nomine Baculi episcopalis?*

℟. Baculus episcopalis tribus constat partibus, ait Gavantus; pars suprema retorta est, uti Pedum pastorum recurvum, ad colligendas oves. Media pars recta est, et ima acuta.

Innocentius III. *) hoc adfert carmen autore incerto:

„Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta."

Baculus hic insigne est auctoritatis, sollicitudinis et correctionis, idque est Episcopis, quod sceptrum est Regibus, inquit Bona **).

Baculus hic et alia habet nomina, quae sunt: *Virga pastoralis. Pedum, Verula* et *Capuita*, quae sunt synonima, inquit Gavanti. Voculis etiam barbaris dicitur: *Camboca* et *Cambuta*, quae baculum sonant retortum.

Baculi episcopalis in concilio Toletano IV. et in ordine romano mentio fit tanquam ornamenti episcopalis praecipui simul et vetusti; cujus et mentionem facit Isidorus hispalensis Episcopus ***). Episcopo, inquit, dum consecratur, datur baculus, ut ejus judicio sibi subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Floruit Isidorus saeculo VI., quo et celebratum fuit Conc. tolelan. quartum.

Goar, in notis ad euchologium Graecorum †) tradit, apud Graecos non Episcopis tantum, sed et monasteriorum praefectis baculum tradi in eorum ordinatione. Quanquam baculi forma diversa sit ab illa Latinorum; pars enim suprema retorta non est, sed vel in globum eburneum, vel in signum crucis, vel in signum transversum adinstar litterae T desinit; vel duobus eburneis ornatur serpentibus, qui reflexis capitibus se mutuo respiciunt.

Baculus est ultimum Episcopi ornamentum (Innoc. III. lib. 2. cap. 10.) Gestit eum manu sinistra, quae cordis esse dicitur, *partem curvam* populo vertit ††).

Reliquae vestes Episcopi.

Amictus latibulum capitis, id est, divinitatis in Christo significat. (Stephan. Eduensis de sacr. altar. cap. 10.)

Amictus docet Episcopum, *decem* labores esse ferendos. (Alcuin. cap. quid sign. vest.:) *vel custodiam vocis, quae for-*

---

*) Lib 1. cap. 62. — **) Lib. 1. cap. 24. §. 15. p. 459. — ***) Lib I. de div. officiis cap. 5. — †) pag. 313. — ††) Caerem. Episcop. lib. 2. cap. 8.

matur in collo. (Amalar. lib. 2. cap. 17): *vel spem coelestium, qua onus portamus, cujus vittae duae sunt, fides et operatio, timor poenae, desiderium gloriae.* (Honor. in Gemma lib. 1. c. 201): *vel justitiam.* (Hugo Victor in specul. Eccl. cap. 6): *vel munditiam bonorum operum.* (Raban de Inst. cleric. lib. 1. cap. 16): *vel galeam salutis.* (Gemma lib. 1. Cap. 81): *vel fortitudinem operum cum duabus quasi vittis — intentione et fine.* (Inn. III. lib. 1. cap. 50): *vel fidem.* (Biel lect. 12): *vel fiduciam.* (Scortia lib. 2. cap. 8): *vel contemplationem.* (S. Thomas Q. 83. art. 5.)

Alba resurrectionis gloriam (idem Eduens. ibidem). — Novitatem vitae in Christo (Inn. III. lib. 1. cap. 36), et munditiem ejusdem (S. Bonav.) de myst. miss.

Alba connotat *duodecim*,

Perseverantiam (Alcuin. supra.)

Castigationem totius corporis. (Amalar. supra cap. 18.) *vel castitatem totius vitae.* (Gemma l. c. cap. 202.) vel *munditiam animae.* (Hugo de S. Victor l. c.) vel *munditiam carnis,* (idem erud. Theol. lib. 1. cap. 46.) vel *continentiam,* vel *summam justitiam,* (Rabanus cap. 16 supra.) vel *novam vitam sacerdotis.* (Rupert. l. c. cap. 20.) vel *loricam justitiae* (Gemma lib. 1. cap. 82.) vel *munditiam vitae latam in libertatem filiorum Dei* (Innoc. III. l. c. cap. 51.) *vel fidem et innocentiam* (S. Thomas l. c.)

Cingulum caritatem Christi, cujus extremitates duae sunt, *fecit* et *docuit* Inn. III. (c. 37.) Majestatem deitatis, S. Germ. in theoria — Virginitatem Christi (S. Bonav. l. c.)

Cingulum indicat *septem, Discretionem* moderatricem omnium virtutum (Alcuin. supra) *continentiam* (Amalar. supra cap. 22) *custodiam cordis* (Gemma cap. 203.) *Castitatem corporis,* (Hugo Vict. supra), *fervorem conscientiae ne sit remissa.* (Raban. cap. 17.) *Arcum contra hostes* (Gemma lib. 1. cap. 83.) *Fortitudinem.* (Hesych. lib. 1 in Levit.)

Stola obedientiam Christi designat (Steph. Eduens. l. c.), et voluntariam servitutem. (S. Bonav. l. c.)

Stola significat *decem. Jugum Christi est; feratur ergo utroque humero,* (Alcuin. supra) *ad genua tendit ad humilitatis indicium* (Amalar. supra cap. 20), ab *humeris ad utrumque latus descendit,* ut per arma justitiae a dextris et a sinistris muniamur. — *cingulo colligatur,* quia virtutes virtutibus juvantur, (Ivo Carnot supra) *obedientiam evangelii* significat, quae tum a sinistro humero activae vitae, tum a dextro contemplativae crucem in pectore format, et mundo crucifixum facit, (Gemma lib. 1. c. 204.) *fortitudinem* cum perseverantia (Hugo Vict. c. 6.) *Munditiam vitae* (idem cap. 48.) *ora-*

tionum, ad pectus est, ut ore ac corde precetur (Raban c. 19. *Hasta est contra hostes* — Gemma c. 82), *Memoria est passionis Domini et crucis* in pectore. (Bonavent. in mist. miss.)

Planeta Ecclesiam universalem, Christi vestem, posteriorem quidem partem antiqui, anteriorem vero novi testamenti denotat. Inn. III. (c. 42) plenitudinem gratiae Christi. (Biel lect. 11.)

Planeta, quae super omnes est, *charitatis est symbolum,* (Alcuin) ideo duplex est, ante pectus et post humeros, ut Deus ametur et proximus et hostis (Amalar. cap. 19), vel prudentia cum caritate (Hugo V. cap. 6); pars anterior strictior est, quia Deus unus, posterior est latior, quia proximi amor est multiplex (Tolet. lib. 2. cap. 2) Obedientiam denique significat (Bellarmin. in Doctr. Conc. Trid. part. 3. c. 5. num. 6. Jugum amoris casula est et stolam jugum patientiae (Suarez 3 part. disput. 83. sect. 2.)

Manipulus in laeva Christi beatitatem, qui viator et comprehensor erat. (Inn. III. cap. 43) humilitatem Christi juxta Bonav. de myster. missae, vel amorem cordis ad passionem. (Tolet. lib. 2. cap. 2.)

Manipulo septem disce. *Portatur in sinistra* praesentem vitam laboriosam repraesentans (Alcuin l. c.) *Repudium* mundanae cogitationis, quia eo tergebatur pituita. (Amalar. c. 24), *poenitentiam cum fletu* ad tergendas animae labes. (Gemma an. 208.) *Vigilantiam contra acediam,* quia eo tingebantur oculi (Eduens. c. 10) *contra hostes clava est.* (Gemma d. 82.) *Discretionem devotam* (Biel lect. 12.) *Retributionem bonorum operum.* (Rupert. lib. 1. c. 33. ex psalmo 125. (*Venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Q. IX. *Quale pallium est Archiepiscopis proprium?*

R. Pallium hoc, quod solis Patriarchis et Archiepiscopis datur, describit Innocentius III *). Pallium, inquit, fit et contexitur ex candida lana, habet cingulum humeros constringentem, et duas lineas sive vasceas, ex eodem panno ab utraque parte dependentes, quatuor autem cruces purpureas ante et retro, a dextris et a sinistris, sed a sinistris Pallium est duplex, simplex a dextris, cui in tres partes tres acus infiguntur, quibus consuitur.

Conficitur ex lana agnorum candidorum sine macula, qui in die s. Agnetis, in ejusdem ecclesia singulis annis offerri ad missam solemnem, et benedici solent, ac subdiaconis Apostolicis consignari, et in aliquo monasterio sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus

*) Lib. 1. myst. missae, cap. 63.

ipsos tondendi, e quorum lana texuntur pallia, quae in Basilicam vaticanam delata, super corpora ss. Apostolorum Petri et Pauli ponuntur in vigilia natalis ipsorum ibique tota nocte demittuntur *).

S. Pontifex pallio semper et ubique utitur, reliqui eo uti nequiunt, nisi intra ecclesiam, et quidem certis quibusdam diebus, cum celebrant Missarum solemnia; idque ex antiqua consuetudine, quam indicat Gregorius M. Lib. 1. epist. 54. ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem.

Rogerus Monachus in vita Brunonis Coloniensis cap. 23. apud Surium die 11. octobris scribit, Brunoni ab Agapito II. concessum, ut pallio praeter consuetudinem uteretur, quoties vellet.

Quamvis vero solis, non omnibus tamen Archiepiscopis olim pallii honorem obvenisse, varia probant antiquitatis monumenta, interim omnibus tandem Archiepiscopis Pallii usum Rom. concessere Pontifices, ut hoc ornamento ab Episcopis distinguerentur; quos tamen etiam aliquando hinc inde Pallii honore decoratos deprehendimus.

Origo usus Pallii, utut difficilis inventionis, antiqua tamen est in utraque ecclesia latina et graeca; quanquam inter Pallium Latinorum, et Graecorum *Omophorion* sive humerale ingens detur discrimen.

St. Marco papa, qui obiit 336, usum Pallii concessum Ostiensi *Episcopo* refert. Lib. Pontif.

Hunc vero usum jam ante Marcum floruisse, contendit Baronius ad annum 336, quamvis, quia a solo concedebatur Romano Pontifice, canonicae conciliorum generalium sanctiones de eo nil statuant ante octavam synodum generalem adversus Photium, quae de Pallio agit can. 27. (Bona l. c.)

Pallium interim datur in signum unitatis, communionis, et velut ornamentum singulare.

„Ornamenta haec, ait Ivo Carnot. serm. cit., non sunt virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam scripturis utentes admoneamur, quid debeant appetere, quid vitare et ad quem sua facta dirigere“ Ivo Carnotens. Provideat ergo, inquit Inn. III. cap. 64. diligenter Episcopus et attendat sacerdos studiose, ut signum sine significato non ferat, ut vestem sine virtute non portet, ne forte similis sit sepulchro de foris dealbato, intus autem omni pleno spurcitia. Quisquis autem sacris ornatur indumentis et honestis non induitur moribus, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto in-

---

*) V. Bona rer. lit. lib. 1. cap. 24. §. 16. p. 460.

dignior redditur apud Deum. Pontificalem itaque gloriam, jam honor, non commendet vestium, sed splendor animarum."

Pallium denotat plenitudinem jurisdictionis et potestatis. (Pontificale romanum *).

A Lino post Petrum secundo Romano pontifice institutum ac singulare potestatis privilegium praesulibus nostris datum fuisse, docente Eusebio Caesariensi refert Rupert. l. c. c. 27.

Pallium conficitur ex lana candida. In lana siquidem asperitas, in candore benignitas designatur, ut erga rebelles severitatem exerceat, erga humiles vero et poenitentes pietatem. *Per quem Circulum ejus humeri constringuntur,* est timor Domini, per quem opera constringuntur, ne ad illicita defluant. Quatuor vero sunt cruces purpureae, quo pontifex a tergo et pectore crucem habeat suaque mente pie et digne de passione redemptoris cogitet, ac pio populo, pro quo Dominum deprecatur, redemptionis suae signaculum demonstret, Inn. III. Alexander de Ales et Durandus observarunt, cruces quatuor purpureas esse quatuor virtutes politicas. *Justitia,* quam debet habere in anteriori parte, ut reddat unicuique, quod suum est, in posteriori *prudentia,* ut caveat, quod unicuique nocivum est. *Fortitudo* a sinistris, ut eum adversa non deprimant. *Temperantia* a dextris, ut eum prospera non extollant, vel sunt quatuor Litterarum loco

Jod, he, vau, he,

quae erant in Lamina aurea, quam summus pontifex circa tempora ferebat. Tres acus in eo infixae designant, *prima* compassio proximi, *2da* administratio officii, *3tia* districtio judicii. Super dextram non infigitur acus, quia in aeterna quiete nullus est afflictionis aculeus. Acus est aurea, sed inferius acuta lapidem pretiosum continens, quia nimirum bonus pastor propter curam ovium his in terris affligitur, sed in coelis vita aeterna coronabitur suscepturus bonam margaritam, de qua meminit Evangelista **).

Q. X. *Quae vestes Diaconis propriae?*

℟. Vestis principalis Diacono propria stola est transversa, de qua actum est supra; huic accedit *Dalmatica,* cui nomen dedit Dalmatia, hujus vestis inventrix est, uti scribit Isidorus lib. 19. orig. cap. 22; erat vero dalmatica vestis pretiosa talaris, serica, alba,

---

*) Schon soll (Schmidt Liturgik B. 1. Seite 59.) Papst Marcus anno 336 Pallien ausgetheilt haben. (Anastas. lib. Pontific.) Gewiß ist, daß dasselbe schon vom VI. Jahrhunderte an eine erzbischöfliche Insignie ist, (Conc. Matiscon. I. anno 581 Celeb.) ausnahmsweise den Bischöfen gestattet, (Anastas. l. c. Gregor. Magn. lib. 7. ep. 113.) in jedem Falle aber vom Papste verliehen wird. — **) Js. Durandus lib. II. pag. 347.

auro ornata, et plagulis, seu clavis e purpura adsutis distincta. S. Sylvester I. decrevisse dicitur, ut Diaconi Dalmaticis in ecclesia uterentur, cum antea Alcuino teste colobiis uterentur. Erant vero colobia tunicae manicis brevioribus instructae *).

Si de forma Dalmaticae disserant antiqui scriptores — Rabanus easdem dicit duas habuisse tramites — Alcuinus duas virgulas — Amalarius duas lineas — alii tandem duas habuisse zonas purpureas tradunt. Hodie Dalmatica vel duobus angustis ornatur clavis; vel uno tantum clavo; et aliquando ne uno quidem, nulla etiam coloris purpurei habita ratione.

In archidiocesi Mechliniensi vidit Editor Dalmaticas limbis pretiosis totas intertextas collaribus occipitium dimidium tegentibus colore Dalmaticae similibus.

Q. XI. *Quae sunt specialia subdiaconorum vestimenta?*

℟. Vestimentum principale olim erat Mappula, cui postea successit Manipulus, de quo pariter actum superius; altera subdiaconi vestis tunicella est, quam Gemma animae lib. 1. cap. 229 *subtile* vocat, quia subtilius contexta. Haec a diaconali Dalmatica deferebat, quod tunicella strictior esset, et angustior **). Ad majorem interim uniformitatem diaconi et subdiaconi Dalmaticis ejusdem formae utuntur.

Q. XII. *Cappa, quae vestis est?*

℟. Est vestis ecclesiastica a sola parte anteriore aperta, ab humeris ad pedes praetensa, quam recentiores *Pluviale* nuncupant, quia primitus ad arcendam tempestatum intemperiem deserviisse creditur; ideoque etiam a parte capitis posteriori caputium adsutum habet pro capitis tegumento, a quo Cappae nomen vesti huic haeret.

Veteres quidem ecclesiasticarum rerum scriptores de Cappa silent, ejusdem tamen mentionem facit ordo Romanus agens de ordine processionis, quando Episcopus celebraturus est.

Duo, inquit, *presbyteri* ita, ut ad missam excepto, quod Cappis induti sunt, vestiti ministrent ei. Quanquam vero antiquitus ad arcendas aëris tempestates assumpta sit Cappa; in festis tamen solennioribus Capparum usus est etiam intra ecclesiam. Rupertus Tuitiensis (lib. II. de div. offic. cap. 24) inquit: *Cappis quoque in majoribus festis induimus, ut amplius in Domino gloriemur, unde et in processionibus et in choro iisdem uti canonici et religiosi consuevere.*

---

*) Bona l. c. pag 463. — Romsee Tom II. p. 180. — Le Brun Tom I. pag. 27. — **) Bona l. c. p. 463.

Rubrica de qualitate paramentorum agens de pluviali statuit: Pluviali utitur in processionibus et benedictionibus, quae fiunt in altari, item in officio Laudum et Vesperarum, quando solenniter dicuntur. Eadem utitur assistens celebranti in missa pontificali. Item quando celebrans post missam defunctorum facit in fine absolutionem.

Q. XIII. *Biretum quid?*

℟. Biretum pileolus quadratus est, quo sacerdos sacris operaturus caput cooperit. Ducange verbo Biretum Etymon ejus derivat a Birro, veste contra aëris intemperiem corpus tegente; ut diminutive pars vestis Biretum sonet *).

Sacerdotes quondam omnes, missam celebraturi ad altare ingredientes amictu caput obnubebant, quem morem ordinum mendicantium religiosi hodiedum retinent. Missa vero inchoata, amictum in humeros demittebant. Hanc disciplinam rubrica missalis eatenus custodivit, ut sacerdoti amictum assumenti mandet, ut amictum primo super caput ponat, et mox declinet ad collum eoque vestium collaria circumtegat.... quo vero tempore consuetudo inoleverit, ut sacerdotes amictu caput obducti ad altare pergerent, non adeo compertum est. Desuetudinem tamen hujus disciplinae consuetudini, ut Birreto cooperti sacerdotes ad altare introirent, initium dedisse admodum verosimile est; et quanquam Biretum non adnumeretur sacris vestibus, quia una cum illis non benedicitur, nihilominus rubrica titulo de ingressu sacerdotis ad altare praescribit, ut capite cooperto ad altare ingrediatur sacerdos, in adventu vero ad altare caput detegat et biretum ministro porrigat. Cooperto enim capite celebrare prohibetur Canone: Nullus de consecr. dist. I. Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus,.... praesumat, velato capite altari Dei assistere; quoniam Apostolus prohibet viros velato capite orare, etsi temere praesumserit, Communione privetur. Quodsi gravem ob causam sacerdos speciale obtineret privilegium imposito Bireto capiti celebrandi; a praefatione nihilominus ad communionem inclusive detecto missam continuare capite juberetur.

Cum in hoc opere nullatenus mihi occasio detur, quid dicendum sit de benedictione Episcopali, hunc locum eligam.

Archiepiscopus, Episcopus, Apostolorum successor legitimus a Romano pontifice Ecclesiae propositus, omnem potestatem ordinis ac jurisdictionis Apostolorum in se unit.

Quodsi ea potestate gaudet Apostolorum, quare dubitemus quin ob hanc gaudeat, ob aliam vero rem non gaudeat?

*) Rousee Tom II. pag. 182.

Apostolorum princeps, proavus cujusvis Episcopi, sanavit aegrotos, leprasos, dicens: *Opes non habeo, sed quod habeo, do vobis, in nomine Jesu Christi surge et vade.*

Ita clerus erudiat populum, ut genua flectendo — non proh dolor, ut vidimus, stando — benedictionem ab Episcopo flagitet, qui solus benedicere potest, et ad sacerdotes sibi subditos benedicere delegat.

Laxitatem nullatenus sequor, cum illam sequi pernitiosum sit; volo, sacerdotes Deo, non mundo aut Daemoni servire; sed rigorem sequor; nam si inter duo mala eligendum est, praefero rigorem, cum hac animam suam et suorum salvet priusquam laxitate.

Nam si tantam, ac tam grávem rationem eorum commemoro, qui populorum duces constituti sunt, tremore maximo perculsus angor, quod patres audio, qui tot ac tanta sacerdotum agmina in perpetuum deplorant.

Vos igitur, qui in vivis estis, cavete ne ad surdas aures haec verba sonaverint.

Dispensandi de hac re penes solum Papam est secundum declarationem S. R. C. in missali praefixam. Quum jam sacerdotes velamine, quod dicebatur coram Deo careant in altari, multo minus licitum est cantoribus, sacristis, qui non sacris initiati sunt, tegumento capitis, quodcunque est, in ecclesia uti *).

---

*) Sacrificium vel est
- veteris Legis significativum.
  - Sacrificii in cruce oblati.
  - Sacrificii Ecclesiae incruenti et sacrificiorum nostrae pietatis.
- novi testamenti.
  - in cruce cruente immolatum, unicum et vere propitiatorium.
  - in coena a Christo institutum constans.
    - res oblata quae est
      - corpus Christi verum, quod offertur vel in sacrificium.
        - commemorativum passionis Christi.
        - propitiatorium cruentae oblationis.
      - corpus Christi mysticum, quod est ecclesia, quod offertur in sacrificium.
        - Eucharisticum scilicet
          - Laudis, gratiarum actionis, fiduciae, obedientiae.
    - ipsa oblationis actio quae est
      - sacramentalis constans actione exteriori et ceremoniali.
      - Spiritualis constans.
        - fide, bono motu cordis. —

§. IX.

De Nominibus, queis Missae sacrificium insigniri consuevit.

Q. I. *Missae Etymon unde?*

℟. Diversa juvabit paucis afferre autorum placita, ut prudens tandem fiat electio 1. itaque nomen Missae quidam derivant a voce hebraica: *Missah,* quae Deuteron. 16. v. 10 oblationem significat, opinantes, hanc vocem ab Hebraeis ad Graecos, vel ab his per Apostolos ad Latinos dimanasse. Ast cum vox Missa Graecis antiquioribus incognita nec propterea stabilem apud eosdem fixerit sedem, prout fixere tamen alia hebraica nomina: *Amen, Alleluja, Sabaoth, Osanna, Sathan, Pascha*, huic sententiae non subscribimus *).

Alii vocem: Missa, in graeca voce: Myesis, initiatio, a verbo myeo: doceo; spiritualiter initio; latere autumant **).

Nec haec arridet sententia; eadem enim contra hanc militat ratio, quod Graeci antiquiores voce Missae uti non legantur, et si qui eandem usurpaverint, hi saltem anno millesimo sint recentiores.

Tertia singularis est opinio Gabrielis Albaspinaei, qui lib. II. de sacramento Eucharis. cap. 3. defendit, Missam dici a nomine: *Mess,* quod apud Gentes septentrionales significat festum, sive congregationem. Cumque haec congregatio populi ad publicas nundinas soleat esse frequentior, ideo nundinis nomen *Mess* fuisse inditum, ideoque a Germanis dici: „Frankfurter Mess.“ Leipziger Mess, cöllnische Mess etc. inde igitur similem populi conventum ad sacrificium teutonice: *Mess* et latine *Missam* nominari. Verum haec sententia non alios facile invenit patronos; quin potuis demonstrari haud difficulter potest, nundinas a contrario nomenclaturam suam a missae sacrificio mutuasse, tanquam ab actione principaliori, ad quam in festis dedicationis, vel patroni loci, sive ecclesiae, frequens confluebat populus; et hic ubi invenitur, ibi et inveniri amant mercatores.

Quarta tandem et communior opinio demonstrat, nomen Missae verbo latino: *Mitto,* suam debere originem; ita, ut Missa idem sit, ac missio; proud apud antiquiores remissa idem est, ac remissio; oblata, idem ac oblatio: ascensa, idem ac ascensio. Itaque quia in nostro sacrificio binae vigebant populi dimissiones, quarum prima Diaconus Catechumenos, excommunicatos, haereticos, secundae pa-

---

*) Le Brun Tom I. pag. 1. — Romsee Tom IV. pag. 15. — **) Bona l. c. lib. 1. cap. 1. pag. 327 et seq.

riter et tertiae classis poenitentes publicos post evangelium, quo finiebatur catechumenorum Missa, dimittebat, altera vero caeteros omnes Missa peracta illis verbis: ite Missa est, pariter dimittebat, quae dimissio etiamnum obtinet usum. Igitur a bina hac dimissione missae nomen derivatum plurimi tenent eruditi, quos magno numero citat et sequitur Benedictus XIV. P. M. in commentario de sacrificio, sectione prima. Quibus addi potest, quod a binis in Missa dimissionibus, Missam unam numero plurali efferre ament; uti: *Missas,* vel *Missarum solemnia* celebrare.

Quanquam non praetereundum, antiquos etiam nomen Missae aliquando pro dimissione e choro usurpasse his verbis: „*fiat Missa,*" vel „*sint Missae*" hinc inde pariter divino officio Missae nomen tributum legimus.

Phraseologia antiquius pervulgata: *Missas tenere* duplicem ingerebat intelligentiam. Nunc enim celebrationem, jam eruditionem Missae indigitabat; primum colligitur ex Regula s. Benedicti cap. XX. Concedatur ei (sacerdoti) post Abbatem stare et benedicere, et *Missas tenere,* i. e. sacrum celebrare, et sacramenta administrare. Alterum eruitur ex conc. Agathensi cap. 47. Missas die dominica saecularibus totas tenere speciali ordinatione praecipimus, ubi concilium integrae Missae auditionem praecipere circumstantiae omnes demonstrant. Si tandem de antiquitate nominis: *Missa,* verbum addendum sit, Walenburgici tom. II. controversiarum tractatu primo cap. 37 probant, saltem nomen Missae usurpatum a concilio Chalcedonensi, quo latini et graeci patres convenerunt; et a secundo et tertio conciliis Carthaginensibus, quibus et adfuit Augustinus, et a concilio Ephesino.

Apud Graecos frequentata maxime est sacrificii nomenclatura: *Liturgia,* de qua mox infra.

Qui Missam in dies *non audit,* vel etiam *non facit* cum potest, vel utrumque negligentius facit, is dignitatem et utilitatem tanti sacrificii vel ignorat, vel certe non ut par est aestimat. In ss. Missa enim totum salutis nostrae pretium, et omnis meritorum Christi thesaurus cuivis christiano proponitur et praecipua fidei nostrae mysteria renovantur. Incurius ergo salutis suae in Deum quoque ingratus et ad pietatis officia nimium languidus convincitur, qui redemptionis suae beneficium pia mentis meditatione et grato in Deum affectu non recolit; adeoque opes pretio tam magno id est Christi sanguine partas et tanta vitae christianae negligit praesidia.

Frequentem utique passionis suae et gratam amoris sui erga

nos memoriam salvator a nobis requirit, cujus tam nobile et praestans monumentum ecclesiae suae sanctae relinquens dixit: *„haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.“*

Itaque non erit abs re, hic quaedam annotare, quae et tanti sacrificii dignitatem et utilitatem palam faciant et majorem ejus reverentiam studiumque concilient.

Quisnam fidelium, ait s. Gregor. lib. IV. Dialog. c. 56, habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum adesse choros, summis ima sociari, terrena coelestibus jungi, unumque ex invisibilibus atque visibilibus fieri?

Confirmat hoc os aureum, s. Chrysostomus (lib. VI. de sacerdot.). „Per id tempus“ inquit, quo sacrificium peragitur, et angeli assistunt sacerdoti, et coelestium potestatum universus ordo clamores excitat et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, angelorum choris plena est: id quod credere abunde licet, vel ex tanto sacrificio, quod tunc peragitur, nimirum Dominum suum sive satellitum obsequio relinquant beati illi et administratorii spiritus et velut aulici tanti regis?“

Sed audi sententiam mirabilem, attamen verissimam, quam habet autor valde pius et doctus P. Anton. Molina libro de instit. sacerdot. Tr. III. c. 9. „si caritas“ inquit, „qua omnes sancti ab orbis principio arserunt, et ex hoc in finem usque ardebunt, si merita cunctorum et praeconia Deo facta cumulentur, si tormenta martyrum, qui heroica fortitudine vitam et sanguinem pro Christo fuderunt, si virtutes confessorum, patriarcharum, prophetarum, monachorum, eremitarum caeterorumque omnium, qui alio genere martyrii magis prolixo et certa quadam ratione magis difficili se ipsos cruciaverunt, et jejuniis, vigiliis, oratione rebelles fregerunt appetitus; denique si jungantur omnia obsequia Deo praestita, quamvis gratissima, praeterita, praesentia, futura, non tam perfectam laudem complectentur et honorem, quam vel *ea sola Missa, quam sacerdos humillimus et pauperrimus celebravit.“*

Et ne sine ratione loqui videatur, addit: „Ratio hujus, quia in omni Missa Christus principalis est sacerdos, qui, ut talis, actu ipsum offert sacrificium, munus vere sacerdotis est colere Deum. Unde in Missa Christus est, qui maxime colit et honorat patrem, ut suppleat defectum nostrum. Et certum est, omnes creaturas non tantum posse deferre Deo gratias, quantum filius Dei, adeo, ut sacrificium Missae, tum ex parte illius, qui offert, tum illius, qui offertur, excedat omnem religionem et cultum, qui a qualibet creatura posset vel conjunctim adhiberi.“ Quapropter, ut addit idem autor: „Vi-

deant sacerdotes, quam ingentes divitias manibus suis complectentur. Pudor et ignominia est, esse, qui facillime et ob rem nihili tantae magnitudinis thesauro se aliosque privent.“ „Considera“ inquit Card. Bellarmin, „quam sit triste et deplorandum videre sacerdotem divina peragentem mysteria, angelorum choris undique septum, qui adeo, quae ipse operatur et loquitur, stupent et tremunt et prae admiratione ingentes excitant clamores, et tamen sacerdos in medio positus *totus frigidus et quasi stupidus non attendit, quid agat, non intelligit, quid loquatur et ita verba praecipitat, quasi latronibus a tergo insequentibus urgeretur.* Clamamus in altaris sacramento Christum ipsum esse praesentem, et interim nonnulli ita sacra tractant mysteria, quasi nihil minus verum esse putarent“. Cap. 9. Dom. 4. adv. et libri 1 de arte bene moriendi Cap. 14.

Concil. Trident. sess. 22. Cap. de Missa admonet ita graviter: „Quanta“ inquit, „cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu ac venerationis celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitaverit, *Maledictum* eum in sacris litteris vocari, *qui facit opus Dei negligenter.* Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo esse ponendam, ut quanta maxima fieri potest interioris munditia et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur“.

Q. II. *Queis aliis Missa nominibus insignitur?*

℟. Cum res altissimae et supernaturales, quas inter profecto numeratur Missae sacrificium, intelligentiam superent humanam, hinc mirari desinet, qui vel ideo sanctos patres diversa excogitasse vocabula perspiciet, queis pro modulo rem ineffabilem fari possent.

Latinis itaque patribus nomina usitatiora sunt: *primum Collecta,* quia populus in unum colligitur, ut Missae intersit. Unde *colligere* apud veteres idem est, ac missam celebrare. Quanquam fateri oporteat, nomen collectae conventibus ad celebranda alia divina officia aliquando tributum. *Secundum: Dominicum;* opus siquidem Domini maximum et praecipuum, quod in ecclesia celebratur. Quanquam et templum *Dominicum* olim diceretur, uti supra. *Tertium: Agenda* in concilio carthaginensi sub Coelestino papa et alibi saepe nominatur; sicut enim *facere,* ait Bona, apud sacros profanosque scriptores significat: *sacrificare,* ita et ipsum sacrificium Agenda nuncupatur. *Quartum: Communio,* nomen proprium et sacramento

eucharistiae et sacrificio. Quanquam enim Missa celebrari possit et olim saepe celebrata sit, quin communicet et communicaverit populus; quia tamen etiam populus, quando communicabat, olim intra Missam communicabat, et quod si populus non communicet, sacerdos saltem communicare et participare de corpore Domini debet, ideo sacrificium communio appellatur. *Quintum* tandem *oblatio,* antiquis nomen admodum familiare, quia Christus aeternus Dei filius, agnus sine macula ministerio sacerdotis Deo patri se offert pro nostra totiusque mundi salute.

Ad confirmandam doctrinae uniformitatem utriusque ecclesiae graecae et latinae, juvabit principaliora afferre nomina, queis graeci patres Missae sacrificium compellare consueverunt, quae recenset et explicat Bona (rer. liturg. lib. 1 cap. 3. §. 3. p. 333). *Primum* itaque est *Liturgia* i. e. publicum opus, munus vel ministerium.

Profanos scriptores munia civilia etiam et ministeria saepius nomenclatura: Liturgia, significasse, compertum est. Si igitur patres voce eadem Missae sacrificium tanquam ministerium in religione catholica maxime publicum significare volebant: Epitheton *sacra* vel *mystica* Liturgia addere consueverunt.

Liturgiae nomen apud Latinos aeque ac Graecos translatum pariter est ad significandum totius Missae ordinem, prout suos complectitur ritus et caeremonias. Unde liturgia s. Jacobi, Basilii, Romana, Gallicana etc., de quibus agendi infra uberior sese offert occasio.

Secundum nomen graecum est: *Mystagogia* i. e. secreta actio vel introductio ad mysteria, unde quinque catecheses s. Cyrilli Hierosolymitani, in quibus de sacrificio disserit, dictae sunt *Mystagogicae.*

Tertium nomen est: *Synaxis,* seu congregatio vel adunatio populi. Quamvis et a graecis patribus pro alia quoque populi congregatione sive ad orationem vel psalmodiam aut audiendum Dei verbum sumi soleat.

Quartum. Telete quod latine redditur: Consecratio seu perfectio, cum Missae sacrificium et eucharistia omnibus mysteriis et sacramentis supremam veluti manum admoveat eisque vim et sanctitatem largiatur.

Quintum. Anaphora latine: Elevatio vel sursum elatio, quia sacrificium Missae sursum ad Deum fertur, vel quia sacerdotis et assistentium corda ad eundem attollit.

Sextum. Prosphora latine oblationem sonat. Sunt tandem et alia nomina, quippe: *Hierurgia* i. e. s. actio. *Eulogia* i. e. Bene-

dictio. *Mysterion* i. e. Mysterium. *Latria* i. e. Cultus. *Dypnon* i. e. Coena, et tandem *Telajon* i. e. perfectio.

Missa missionem significat tum precum populi per sacerdotem ad Deum — (Alcuinus de div. off. cap. de celebr. Miss.) — tum Christi, qui missus est a patre ad nos (Durand. lib. IV. cap. 1.) tum ejusdem Christi a nobis ad Deum ad placationem solutionemque inimicitiarum Deum inter et homines (Rupert. abbas. lib. de div. off. cap. 10.) tum catechumenorum, qui post Evangelium a diacono dimittebantur (Rabanus instit. cler. lib. 1. cap. 32.) tum fidelium, qui tanquam *rei* toto sacrificio veluti cuidam intersunt judicio, unde et canon Missae dicitur actio, id est, causa in judicium deducta ab advocato sacerdote, peracta vero causa dimittuntur rei (Durand. loco cit.)

S. Petrus primam Missam celebravit in die Pentecostes (Anton. Democharis Tom. 2 de sacrif. miss. cap. IV.) S. Petrus obtulit eam in coenaculo Sion (Pamilius Tom. 1. lit. Eccles. latinae) hoc etiam docent Clemens Epist. 2. Isidorus lib. 1. de off. cap. 13.

Missae definitio; quod attinet ad eam, significat verum sacrificium incruentum Christi ab eodem institutum his verbis: hoc *facite in meam commemorationem,* quod secum habet rem externam sensibilem, quae sit sacra et mutationem patitur, et Deo offertur per legitimum ministrum certis ritibus et caeremoniis, vel ad delenda peccata, vel ad opem invocandam, vel ad supremum Dei dominium profitendum, in quibus propria sacrificii consistit ratio (Azor. lib. X. cap. 18. Q. 5.)

Missae ipsae totum dividitur officium in quatuor partes.

1) In Precationes, sub quibus omnia veniunt, antequam ponantur oblata super altare sic dicta, quia precantur bona populo.

2) In Orationes, sub quibus omnia a *Sanctus* usque ad *Agnus Dei* complectuntur.

3) Postulationes, sub quibus ea omnia indicantur, quae dicuntur usque ad *Deo gratias.*

4) Gratiarum actiones; continet responsionem a populo, *Deo gratias,* ejusque salubrem effectum — ex Cod. Vetust.

§. X.

De variis Missae generibus.

Q. I. *Quot dantur diversa Missarum genera?*

℞. Missae variare possunt primo ex parte autorum, qui ritus et caereminias pro Missae sacrificio tradidere, vel ex parte natio-

num, a quibus diversae frequentatae sunt Liturgiae. Unde Liturgiae: s. Jacobi, Basilii, item Romana, Gallica etc.

Secundo, et Missarum varietas a variis ritibus et caeremoniis accidentalibus nascitur, quibus eaedem Missae peractae sunt, vel adhuc peraguntur.

Q. *Cur quotidie Missa offertur?*

℟. Multis ex causis: 1) Quod in dies offendimus omnes. 2) eo, quod corpus Christi poenitentibus post peccata offerri jubeatur, ut salutem per corpus Christi domini inveniant. 3) ut magnum passionis domini beneficium non tradatur oblivioni. 4) ut similet in ecclesia diem, in quo justi separabuntur ab injustis. (Ex Cod. antiq.)

Q. II. *Quot dantur Liturgiae ex parte auctorum et nationum diversae?*

℟. Tot, tamque diversae in utraque Orientis et Occidentis ecclesia dantur Liturgiae, ut illas omnes perlustrare et legere conanti giganteo opus foret labore. Pro nostro instituto sufficiet paucas easque principaliores assignare.

Q. III. *Quae generatim principaliores erant primis ecclesiae saeculis Liturgiae partes?*

℟. Liturgiam non in latiori hic sensu accipere oportet, prout sonat quodcunque ministerium sacrum, cultum publicum, sed *strictiori*, quae est ordo lectionum, precum et caeremoniarum, quibus apud catholicos Missae incruentum sacrificium offerri consuevit.

Cum itaque Liturgiae sic intellectae partes aliae sint essentiales et accidentales et hae admodum variaverint, varientque, hinc partes omnes non omnibus erant et sunt Liturgiis communes. Illas tamen, quae fere omnibus propriae erant Liturgiis, paucis recenset Edmundus Martene congregat. s. Mauri de antiquis eccelesiae ritibus lib. 1. parte 1 cap. 3.

Art. 1mo. Scilicet preces, quae pro ecclesia et infidelium conversione fiebant; pacis osculum, oblationem panis et vini aqua mixti, eorundem consecrationem, denique communionem ejusque distributionem.

Justinus Martyr secundi saeculi scriptor et ab Apostolorum aevo non adeo distans, in apologia secunda ad Antoninum Pium romanumque senatum enumeratas jam partes et ipse recenset; quanquam ob *disciplinam arcani* mysterium Missae infidelibus occultare modis omnibus studeat. Scribit itaque: *Solis* qui dicitur die, omnium, qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, et commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert,

leguntur. Deinde lectore quiescente praesidens orationem, qua populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet; sub hac consurgimus communiter omnes et precationes profundimus; et sicuti retulimus precibus peractis, panis offertur et vinum et aqua, et praepositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces et gratiarum actiones fundit; et populus fauste acclamat dicens: Amen. Et distributio et communicatio fit eorum, in quibus gratiae sunt actae, cuique praesenti, absentibus autem per Diaconos mittitur. En ergo Liturgiam aevo Apostolorum proximam et partes, quas in omnibus antiquioribus ac recentioribus Liturgiis deprendere licet, quarum liturgiarum aliquas praecipuas hic summarie attexere vacat.

.... „Wenn schon die Trennung der Bildungszweige Sünde ist an dem Heile der christlichen Gemeine, so würde die positive Herabwürdigung eines oder des anderen Bildungszweiges an dem künftigen Geistlichen noch mehr verderben; denn er würde z. B. irregeleitet, die liturgischen Handlungen für leere, nichtsbedeutende Dinge, oder die Pflege des inneren Lebens, den vertrauten Umgang mit Gott, für Schwärmerei anzusehen: so würde er im Beichtstuhle ein Apostel der falschen Freiheit, am Krankenbette ein geistloser Geselle, und am Altare ein Scandal des Volkes sein. Beispiele sind leider nicht schwer mit Tauf- und Geschlechtsnamen anzugeben." (Sailer a. a. O. S. 42.)

„Was die Liturgie insbesondere betrifft, so wird der Vorsteher nicht nur den Sinn der vornehmsten Kirchen-Ceremonien und den ganzen Geist der Liturgie (estne haec mystica significatio?) enthüllen, sondern sie auch in allen Handlungen vorüben müssen, damit sie die göttliche Wahrheit von dem ewigen Heile der Menschen in Gott durch Christus nicht blos als Prediger, als Kinderlehrer, als Seelensorger, als Krankenfreunde mit Wort, sondern auch als Priester, als Liturgen mit geistvoller Verwaltung des öffentlichen Gottesdienstes, mit salbungsreicher Ausspendung der h. Sakramente verkünden mögen. Der Geistliche, der den Vorsteher bilden soll, muß doch wohl geistlich sein, d. h. es muß sein Innerstes, Vernunft, Wille, Gemüth zu Gott erhoben, mit dem Geiste aller Geister vereint (en asceticam significationem) geistlich sein; es muß sein Aeußeres von dem inneren Geiste durchdrungen, auch geistlich sein; es muß in ihm und an ihm alles geistlich sein; in ihm der Gedanke, der Vorsatz, das geheimnißvolle Sehnen, an ihm die Mienen, die Blicke, Geberden, die Handlungen; denn das wäre weiter nichts als theatralische mimische Künstelei, wenn der Geistliche, um am Altare geistlich erscheinen zu können, erst in seinen Mienen und Geberden das Phänomen der Geistlichkeit

erzwingen müßte. Nicht so. Der Schein der Geistlichkeit muß, um wahr zu sein, aus dem Innern kommen. (Sailer a. a. O. S. 42 u. ff.)

Q. IV. *Quae ergo sunt liturgiae praecipuae sive orientalis sive occidentalis ecclesiae?*

℞. Praecipuas inter liturgias orientalis ecclesiae veniunt: 1ma Liturgia *s. Jacobi.* 2da *s. Basilii.* 3^tia^ *s. Chrysostomi.*

Liturgiae vero ecclesiae occidentalis sunt precipuae. 1ma Antiqua Hispana seu *Mozarabica.* 2da *Gallica.* 3^tia^ *Ambrosiana.* 4ta *Romana.* De quibus amplum sane disserendi campum vel praestant vel indigitant liturgici, quos hinc inde citavimus autores. Nos qui brevitati studemus, concisas enumeratis jam liturgiis notas subjiciemus.

Q. V. *Annon et liturgia, quae S. Petri dicitur, praedictis liturgiis annumerari meretur?*

℞. Catholicorum negaverit nemo, Apostolos ecclesiis a se institutis certos quosdam sacrificandi ritus caeremoniasque tradidisse; quanquam temporis antiquitas, damno sane maximo posteriorum temporum, fidelibus pretiosa in hac monumenta eripuerit. Hae interim liturgiae, quae Apostolorum nomine hodie circumferuntur, vel spuriae, vel dubiae saltem fidei ab autoribus taxantur. Quibus et illam s. Petri adcensent, quam anno 1585 e codice manuscripto Card. Sirletti graece latineque edidit Guilelmus Lindanus, Episcopus Jandavensis, et Antwerpiae typis Plantinianis adjecta Apologia autentiam pariter probare adnisus est. Ast cum de hac liturgia annis plus quam mille quingentis siluerint scriptores ecclesiastici, inquit Bona c. VIII. p. 353, canon etiam liturgiae romanae posterioris certe aetatis eidem insertus sit; compilata etiam videatur e liturgiis: latina s. Jacobi, Basilii et Chrysostomi; hi aliique suppositiones caracteres eandem genuinam dicere vetant.

Q. VI. *Sed an idem judicium de ea, quae S. Jacobi dicitur, formandum est?*

℞. Nulla ferme major catholicos criticos se inter et hos inter et protestantes nata est disceptatio, quam de autentia liturgiae s. Jacobi. Haec tamen inter catholicos et protestantes intercedit differentia maxima, quod catholici hanc liturgiam s. Jacobo abjudicantes, eandem tamen tanquam pretiosum antiquitatis catholicae monumentum, maxima, qua par est, veneratione prosequantur. Protes-

tantes vero eandem, ut dolo malo confictam, falsam, suppositam, et ut zizanium frumento Dominico superseminatum traducant*).

Catholici interim autores has prae caeteris afferunt suppositionis notas; primam, quod vox: *Homôusion* in hac liturgia non semel occurrat; qua P. Nicaeni et Constantinopolitani tanquam decisiva contra Paulum Samosatenum, Arium et Macedonium uti potuissent ac debuissent, qua tamen tanquam in liturgia s. Jacobi contenta usi non sunt.

Secundam. Et titulum *Deiparae* haec liturgia tribuit beatissimae virgini Mariae. Hoc titulo patres Ephesini confundere potuissent Nestorium ejusque asseclas. Nec tamen hi ad liturgiam s. Jacobi provocarunt.

Tertiam. Et haec liturgia ex epistolis Paulinis quosdam allegat textus; quarum epistolarum tamen plerasque post obitum Jacobi lucem primo aspexisse notum est. Econtra alii catholici scriptores pro autentia liturgiae Jacobeae tanquam pro aris et focis militant; quos inter eminent Leo — Allatius, C. Bona, C. Bessarion, Benedictus XIV. P. M. et Claudius des Saintes Theologus Parisiensis et postea Eboracensis Episcopus aliique plures.

Argumenta eorum praecipua sunt: *Primum.* Perpetua ecclesiae graecae traditio hanc liturgiam s. Jacobo Apostolo adjudicat.

Secundum et Syri eandem traditionem, cujus et apud ipsos initium non invenitur, semper custodivere.

Tertium synodus etiam Trullana can. 32. ejus liturgiae utitur autoritate ad refellandum errorem duplicem, nempe Armenorum, qui in sacrificio solum vinum, et Hydroparastarum, qui solam adhibebant aquam.

Motivis itaque utrimque non contemnendis pro et contra certantibus, non possumus aliter, quam autentiam liturgiae s. Jacobi dubiam fateri.

Q. VII. *Liturgiae sanctorum Basilii et Chrysostomi suntne genuini foetus?*

℟. Ecclesia graeca diutissime usa est liturgia s. Jacobi, donec tandem s. Basilius, qui obiit anno 378, novam adornaverit liturgiam, ea motus ratione, quod fidei fervore languente plures de nimia prolixitate liturgiae s. Jacobi conquesti sint; ideoque, ut refert Proclus Constantinopolitanus opusculo de traditione divinae Missae, salubri usus consilio liturgiam s. Jacobi in compendium redegit. Alteram

*) Bona pag. 354.

quoque causam novae liturgiae adfert scriptor vitae ejusdem: Basilium nempe a Deo ipsomet, queis esset verbis offerendum, edoctum fuisse.

Jacobus Goar in Euchologio Graecorum geminam diversis temporibus a Basilio liturgiam fuisse exaratam scribit, unam quidem prolixiorem, alteramque breviorem, hancque dicit posteritati traditam omniumque consensu approbatam. His binis annumeratur tertia, quae bibliothecae patrum inserta est. Liturgia s. Basilii certis tantum diebus utuntur Graeci, in Dominicis quippe sanctae et magnae Quadragesimae, palmarum tamen Dominica excepta; in sancta et magna feria quinta; in magno sabbato, in vigilia nativitatis et in festo ipsiusmet Basilii *).

Reliquo anni tempore Graeci liturgia Chrysostomi utuntur, qui, ut testatur Proclus ejus discipulus et in cathedra successor, eadem, qua Basilius ratione permotus, componendae formulae concisiori manum admovit.

Excerpsit quaedam Chrysostomus ex basiliana liturgia et in unam transtulit **).

Liturgiam s. Basilii scriptores catholici autenticam pronuntiant, sicut et aliam s. Joannis Chrysostomi.

Q. VIII. *Qua liturgia Hispani quondam utebantur, et cur dicta Mozarabica?*

℟. Utebantur liturgia, quae *Gothica* et *Mozarabica* appellabatur. Nomen primum a tempore Gothorum, qui Hispaniae dominabantur, sumpsit ***).

Alterum vero nomen ab illa Epocha, qua Arabes Hispaniam pene universam occuparunt, liturgiae hispanicae adhaesit. Christiani siquidem tunc Arabibus mixti, Mixtarabes, et corrupto vocabulo: Mozarabes compellari coepere. Unde et illorum liturgia ad distinctionem ab aliis Mozarabica dici consuevit.

Qui hujus liturgiae fuerint autores; quove sit concinnata tempore, nusquam convenit inter doctos. Quanquam vero fateantur omnes, a viris sanctis orthodoxisque hanc liturgiam fuisse compositam; devastata tamen ab infidelibus Hispania tantis scatuit erroribus, ut Elipandus Toletanus Episcopus e depravatis officiis plura hauserit testimonia, ad comprobandam haeresin suam de filiatione Dei adoptiva in Christo Domino adstruenda †).

---

*) Bona cap. IX p. 357. — **) V. Bona lib. 1 cap. IX Num. 3. — ***) Romsee Tom. 4. pag. 14. — †) Bona Cap. 11. p. 363. — Le Brun T. II. p. 146. etc. seq.

Dici viguit hic ritus in Hispania et Gallia etiam Narbonensi aliisque regionibus Gothorum imperio subjectis, donec tandem autoritate Gregorii VII, qui obiit anno 1085, liturgia mozarabica Romanae tractim locum cesserit.

Ne vero tantae antiquitatis monumentum interiret penitus, vir celeber, Franciscus Ximenius Archiepiscopus Toletanus et Card: ritum hunc accurata et sincera fidelitate Latinis caracteribus conscribi et excudi curavit anno 1500, instituitque sacerdotum collegium, qui in hodiernum usque diem (1802) hoc ritu divina quotidie officia et missarum solemnia celebrant in sacello, quod in majori ecclesia toletana aedificavit.

Q. IX. *An Gallia pariter olim propriam sibi et a romana distinctam habuit liturgiam?*

℟. In Gallicana ecclesia plures olim et diversas obtinuisse liturgias, pluribus probat sanctus Card. Tomasius, qui harum tres antiquissimas publico donavit, et ad novam quasi vitam e pulvere protraxit; nempe Missale Gothicum, Missale Francorum, et Missale Gallicanum vetus; quae omnia Missalia et saeculum et Imperium Caroli M. antecedunt. His tribus quartam adjunxit liturgiam clarissimus Mabillonius.

Quisnam harum liturgiarum primus fuerit auctor, desuper certi parum dici potest. Totum, quod ex antiquitatis obsoletis ruderibus adhuc eruere licet, est, quod ab antiquissimis temporibus Gallia hic et alibi peculiarem sibi liturgiam celebraverit, et usque ad Pipini et Caroli Magni tempora multum diversam a Romana. Interrogavit aliquando Gregorium M. R. P. Augustinus Anglorum Apostolus, cur, cum una sit fides, diversae sint ecclesiarum consuetudines, et altera consuetudo Missarum in Romana ecclesia, atque altera in Galliarum ecclesiis teneatur? respondit Gregorius in epistola ad Augustinum data: Novit fraternitas tua Romanae ecclesiae consuetudinem, in qua se meminit enutritam, sed mihi placet, ut sive in S. Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas et in Anglorum ecclesia, quae adhuc in fide nova est, instructione praecipua, quae de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas; non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt.

Perduravit vero in Galliarum ecclesiis antiqua liturgia ad Pipini et Caroli M. usque tempora, quibus ad preces Pontificum in Romanam fuit mutata. In praefatione homiliarum, quas jussu Caroli M. Alcuinus collegit, ipse fatetur Carolus, genitorem suum, nempe

Pipinum, totas Gallicorum ecclesias Romanae traditionis cantibus decorasse. Et lib. V. Capitularium cap. 219 sancitum fuit, ut unusquisque Presbyter Missam celebret ordine Romano *).

Quae vero et qualis fuerit in Galliis sacrificiis offerendi ratio, specialis quaestio est, quae exercitatissimis in re liturgica viris multum facessit negotii. Omnes interim calamo concordi castigarunt impudentissimam audaciam *Matthaei Flacci* patria Illyrici, professione Lutherani et centuriatorum Magdeburgensium profecto non ultimi. Hic ex antiquo codice manuscripto typis evulgavit Argentorati Missam quandam sub titulo: Missa latina, quae olim ante Romanam circa septingentesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetustissimo ac autentico codice descripta. Hanc a se evulgatam Missam ipsissimam veterem esse Gallicanam persuadere voluit, et hac eadem evulgata Missa se causae Lutheranorum multum adjutorii adferre, rei vero catholicae se nocere posse, sibi persuasit. Ast fefellit se ipsum. Catholicorum enim dogmata de sacris ritibus, de invocatione sanctorum, de reali praesentia Christi in eucharistia, de oratione pro Defunctis, de confessione auriculari aliaque plura Missa ista adferebat, confirmabat. Unde exemplaria brevi a Lutheranis coëmpta, flammisque tradita fuere. Impedire tamen potuerunt minime, quin plurima in Catholicorum manibus manserint.

Missam vero hanc antiquam esse Gallicanam, ne vel umbram veri habet. Etenim, ut id innotescat paucis, Missa Illyrici Introitum, Epistolam, Graduale, Evangelium, Offertorium, Secretam, Praefationem, Communionem, et Postcommunionem generatim tantum et sine speciali applicatione nominat, cum haec tamen omnia juxta exigentiam festorum varient. Unde Menardus notamine 997 in sacramentarium S. Gregorii inquit: destruitur falsa Illyrici opinio existimantis, unicam fuisse Missae celebrandae rationem absque ullo discrimine temporum ac festivitatum.

Secundo Missa Illyrici non commemorat martyrum passiones, quorum tamen passiones Hilduino teste in Missis Gallicanis descriptae erant.

Tertio in eadem Missa Sequentiae memorantur, quae ante saeculum decimum erant ignotae.

Quarto demum in lytaniis Missae subjectis S. Adalbertus, qui saeculo decimo exeunte primum martyr coronatus est.

Quis vero tandem fuerit specialis Missae gallicanae antiquae

*) Bona Cap. XI. pag. 363. et seq. — Le Brun Tom II. p. 124.

ritus? Card. Bona opinatur, veterem Missam gallicanam similem fuisse ei, quae Toleti, et per Hispaniam, atque in Gallia narbonensi ritu mozarabico agebatur.

Inter alia suae opinionis fundamenta affert epistolam Caroli Calvi Imperatoris ad clerum Ravennatensem: usque ad tempora, in quibus abavi nostri Pipini gallicanae ecclesiae, quam Romana, vel Mediolanensis ecclesia divina celebrabant officia, sicut vidimus et audivimus ab eis, qui ex partibus toletanae ecclesiae ad nos venientes secundum morem ipsius ecclesiae coram nobis sacra officia celebrarunt.

Idem C. Bona id probat e duobus codicibus a se repertis, quorum unus ante nongentos annos litteris quadratis et majusculis scriptus erat, et cujus initio praefixus est titulus recentiori manu; Missale Gothicum. Bonae suffragatur Mabillonius lib. 3. de liturgia gallicana pag. 475, ubi illud idem Missale Gothicum, esse vetus gallicanum praesertim Galliae narbonensis, Gothorum hispanicorum regno olim subjectae pronuntiat; quisquis demum ille sit, qui recentiorem titulum adposuerit, ignoratur.

His accedit Thomasius, qui pariter demonstrat, veterem Missam gallicam ei, quae in Hispania antiqua celebratur, nempe mozarabicae simillimam esse. (V. Thomasium in suis antiquis sacramentorum codicibus et in praefatione).

Q. X. *Liturgia Ambrosiana: an S. Ambrosio indubitate adscribenda?*

℟. De autore hujus liturgiae non convenit inter eruditos. Vetustissimam tamen censent, quod a Romana multum differat *). Quanquam vero sententia verosimilior eandem S. Ambrosio adjudicet; omnimodam tamen dare securitatem illius sententiae patroni nolunt. Recentiora etiam Missalia Ambrosiana a veteribus plurimum discrepare noscuntur eo, quod Archiepiscopis Mediolanensibus hinc inde aliqua addere, innovare, vel demere placuerit, ita tamen, ut ritui romano magis semper magisque appropinquaverint **).

Q. XI. *Liturgia Romana, cujus aetatis est et quem habuit parentem?*

℟. *S. Petrum Apostolorum principem* Romanae Ecclesiae ritum quendam divina celebrandi mysteria tradidisse, ambigere poterit nemo, qui novit eundem S. Petrum Romam venisse, sedem suam pontificalem ibidem fixisse, Evangelium, methodumque Deum in lege

---

*) Le Brun Tom II. p. 96. — **) Bona lib. 1. cap. X. §. 1, 2, 3. p. 361.

nova colendi praedicasse et glorioso tandem martyrio diem clausisse supremum. Haec vero, utpote notissima, negare velle, est niti contra torrentem. Ut enim de pluribus, iisque invictissimis, sileamus documentis, quae in confirmationem afferri possent, vel sola constans Ecclesiae Romanae traditio, et praedicta omnia, et speciatim liturgiam quandam, seu ritum divina celebrandi mysteria a S. Petro communicatum, evincit.

Communissima tenet opinio, ritum hunc eundem esse, quem S. Justinus Martyr. supra retulit. Liturgiarum vero occidentis varietas traditionem hanc evertit minime, si in principalioribus liturgias omnes partibus convenire quis perspexerit, quales sunt: Oblatio, Consecratio, realis donorum transsubstantiatio, oratio Dominica, Communio. In caeremoniis vero occidentalibus liturgias occidentalis ecclesiae, sicut et orientalis disconvenire mirari desinet, quisquis norit, particularem quamvis ecclesiam adeoque! Episcopum quemlibet liturgiam suam, vel novis quibusdam potuisse exornare ritibus et caeremoniis; vel veteres minuere, salva ceteroqui in omnibus substantia.

Q. XII. *An liturgia illa primigenia, quam Romanam ecclesiam per traditionem a. B. Petro habere dictum est, adhuc extat?*

℟. Quanquam dicatur verosimiliter, liturgiam hanc fuisse eandem, quam supra S. Justinus Martyr tradidit, nihilominus certo hactenus ausus nemo est, determinatam S. Petri liturgiam assignare; eo minus, quod in confesso sit, quod, ut ait Cl. Muratorius in liturgiam romanam veter. cap. 3 de Sacramentario Leoniano, ad primi, secundi, et tertii saeculi preces additamenta identidem facta fuerint, prout Ss. Pontificibus videbatur magis idoneum, ad augendam sanctorum venerationem, populique christiani devotionem, quarto autem et quinto saeculo potior orationum adjectio, uti suspicari licet, facta fuerit.

Mabillonius (lib. V. de liturgia gallicana cap. 2.) triplicem velut ordinem et statum liturgiae Romanae considerandum proponit: primigenium ab ecclesiae nascentis exordio ad Gelasium usque romanae ecclesiae Pontificem. Secundum a Gelasio primo ad usque Gregorium Magnum itidem Pontificem Romanum, et tertium a temporibus Gregorii Magni, unde hic de sacramentariis: primo Leoniano, secundo Gelasiano, tertio Gregoriano paucis disserendi opportuna sese offert occasio *).

---

*) „Mabillons rastlosem Nachsuchen haben wir die Liturgia Gallicana zu

Q. XIII. *Liber Sacramentorum seu Sacramentarium cur sic appellatur?*

℞. Liber Sacramentorum, qui et mysteriorum dictus eo, quod non complecteretur tantum ordinem Missae, sed et ritus conferendi ordines, conficiendi oleum sanctum, et sacrum chrisma, poenitentes reconciliandi, benedicendi nuptias etc., qui sacramentorum liber expost a Missa tanquam parte principaliori, etiam nomen Missalis assumpsit *).

Q. XIV. *Sacramentarium Leoninum, estne foetus autoris, cujus nomen praefert?*

℞. Josephus Blanchinius oratorii romani presbyter, antiquissimum romanum sacramentarium edidit anno 1735 sub titulo: Codex sacramentorum vetus romanae Ecclesiae, a S. Leone Papa confectus, primum prodit ex manuscripto libro ante mille annos conscripto, qui extat in Bibliotheca amplissima Capituli Veronensis. Quanquam vero codex ille autorem non referret, Blanchinius eundem tamen adjudicavit Leoni Magno. Quare plures hac in parte nactus est adversarios **).

Clarissimus Muratorius idem Sacramentarium recudi curavit, et primo suo tomo liturgiae romanae veteris inseruit, ut pretiosum hoc antiquitatis monumentum perennaret securius.

Nihilominus sententiae Blanchinianae illimitatae non subscribens, pluribus Pontificibus, ut supra vidimus, primigeniam ecclesiae romanae liturgiam adscribere voluit; unde loco citato adfert clarissimus P. Eusebii Amort sententiam, cui et ipse suffragatur: *Sacramentarium istud*, inquit Amort, *non est opus unius, alicujus Pontificis, sed est Sacramentarium Romanorum Pontificum, seu usu receptum primis temporibus; auctum tamen et interpolatum per varios Pontifices usque ad tempora Gelasii Papae. Specialiter in hoc Sacramentario agnoscuntur manus Sixti tertii, Leonis primi, et Felicis tertii. Ideoque non autorem, sed amplificatorem antiquissimi Sacramentarii Romani fuisse Leonem censet.*

---

verdanken, wie auch das Sacramentarium gallicanum, welches er uns in seinem Musaeum italicum gab, wo auch mehrere ordines Romani vorkommen, deren Fragmente früher Br. Hittorgius zu Cöln herausgegeben hat." (Binterim, Denkw. B. 11. Th. 1. S. 105. — *) Romsee Tom 4. p. 12. — **) Vide primam part. Praelectionum P. R. D. Praesidis eruditissimi Förster in historiam librorum Liturgicorum.

Q. XV. *An Gelasianum Sacramentarium Gelasio primo jure merito adscribitur?*

℟. Gelasium primum sub finem V. saeculi Sacramentorum tradidisse formulas, evincunt eruditi his praecipue motivis:

Primo. Liber pontificalis in vita Gelasii refert, eum confecisse Sacamentorum praefationes, et orationes, cauto sermone. Cui addit Blanchinius; eundem Gelasium et hymnos in modum B. Ambrosii scripsisse *).

Secundo. Joannes Diaconus circa annum Christi 591 scribens de Gregorio M. in ejus vita (lib. II. cap. 17.) inquit: qui Gelasianum codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit. Et revera nono adhuc saeculo Gelasianos superfuisse codices, testes sunt C. Bona, et Dacherius in Chronico centulensis Monasterii anno 831, qui in eodem codices Gelasianos quatuordecim, et Gregorianos tres repertos fuisse scribit.

Ex his interim inferri nequit, quod Gelasius novum concinaverit codicem liturgicum, vel novum composuerit Missarum ordinem; sed potius, quod solennes precum et sacramentorum formulas jam usitatas novo ordine digesserit, hisque plura ipse addiderit, et omnia tandem in unum compegerit codicem.

Hunc codicem diu desideratum C. Josephus M. Thomasius in suis antiquis sacramentorum codicibus anno 1680, romanis typis evulgavit inscriptum:

„*Liber Sacramentorum Romanae ecclesiae.*"

Sacramentarium hoc tribus constat libris;

primus inscribitur: de anni circulo, sive de mysteriis, quae per anni circulum celebrantur a Vigiliis natalis Domini ad octavam Pentecostes.

Secundus liber tractat de Natalibus sanctorum. Et *tertius* tandem est pro Dominicis diebus post Pentecosten cum canone. Libri singuli habent orationum, praefationum ac benedictionum additamenta pro privatis necessitatibus.

Q. XVI. *Sacramentarium Gregorianum tandem cui suam debet existentiam?*

℟. S. Gregorio Magno, romano Pontifici.

NB. Iste Pontifex adpellatur *Pontifex Marianus*, ob suum

---

*) Vid. Partem II. praedictorum. — V. le Brun T. II. p. 85. praet. Förster.

tantum amorem erga Beatissimam sine labe conceptam Virginem, cui tanquam suae reginae auream rosam, quae die *Laetare* pro consuetudine benedicebatur, *Loretum* dono cum splendido apparatu transmisit. (Vid. Nadasii ann. coelest.)

Siquidem Joannes Diaconus, uti vidimus responsione praecedente, in vita s. Gregorii testetur, quod is Gelasianum codicem multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctaverit *).

Gelasius Papa tam a se, inquit, quam ab aliis compositas preces dicitur adornasse, et Galliarum ecclesiae suis orationibus utebantur, quae et adhuc a multis habentur; et quia tam incertis autoribus multa videbantur infecta et sensus integritatem non habentia; curavit B. Gregorius rationabilia quaeque coadunare et seclusis iis, quae vel nimia, vel inconcinna videbantur, composuit librum, qui dicitur sacramentorum, sicut ex titulo ejus manifestissime declaratur. In quo si aliqua inveniuntur ad hunc sensum claudicantia, non ab illo inserta, sed ab aliis minus diligentibus postea credenda sunt superaddita.

En testimonium autentiae simul, et occasionem sacramentarii Gregoriani. Dolendum interim maxime, interpolationes, de quibus conqueritur Strabo causam esse, cur nullus amplius codex adeo antiquus supersit, qui purus genuinusque s. Gregorii foetus indubitanter dici possit. In lucem variae quidem prodierunt editiones sibi omnino dissimiles, quarum autores pro sua quique militant.

Patres Mauriani novam editionem operum s. Gregorii meditantes in praefatione fatentur, se praemissa sat longa deliberatione, quam editionem eligere oporteret, tandem caeteris praetulisse eam, quam anno 1715 curante potissimum Dyonisio Sammerthano parus adornarunt Menardianam, quam nempe Hugo Menardus ex vetusto codice Corbeyensi, quem s. Eligii nuncupant, vulgavit. Hanc tamen editionem Thomasius, Mabillonius et Muratorius suo non probarunt calculo. Malunt interim primas dare codici Gregoriano, quem ex vetustissimo manuscripto edidit Jacobus Pamelius canonicus Brugensis anno 1571 Tom. II. liturgicorum.

Alles, was das christliche Volk in seinen Versammlungen zum öffentlichen Gottesdienste sieht, hört, thut, empfängt, soll 1. et=

*) V. secundam partem praedictorum praelectionum in hist. libr. Liturg. — V. le Brun Tom II. p. 86. — Suffragatur Walafridus Strabo in libro de rebus ecclesiasticis cap. 2.

was von dem großen Geiste des ganzen Christenthums (Versöhnung und Regeneration des menschlichen Geschlechtes) andeuten, das heißt einen geistlichen Sinn haben; dieser geistliche Sinn soll 2. dem Volke aufgeschlossen werden; an diesen geistlichen Sinn soll 3. das Volk recht oft erinnert werden; der Ausdruck des geistlichen Sinnes durch das Sichtbare und Hörbare und der Eindruck, den er macht, also, sowohl die Offenbarung und Belebung des Innern durch das Aeußere soll 4. so wenig als möglich gestört, sondern vielmehr gefördert werden.

Denn hätte das Aeußere keinen geistlichen Sinn, läge in dem Aeußeren keine Andeutung des sündigen Geschlechtes mit Gott, von der Vereinigung des getrennten Geschlechtes mit Gott; so könnte es das Leben der Religion nicht offenbaren, nicht durch Offenbarung beleben *).

Quid aliter desiderat Sailer hisce verbis, quam mysticam significationem rituum et dispensatores aureos scientes, quid faciant populoque fideli frangant hunc panem et non ligneos, luridos — mercenarios; ut se ita reddant, pergit:

„Die liturgischen Gegenstände richte nicht nach dem Maaßstabe der fünf Sinne, nicht nach dem Maaßstabe der bloßen Verständigkeit für die sichtbare Welt, sondern nach dem Richtmaaße des geistlichen Lebens; und:

Begnüge dich nicht, den höchsten, so wie den abgeleiteten Grundsatz der katholischen Liturgie nach dem Buchstaben aufzufassen; sondern lerne sie nur aus dem Gesichtspunkte des Geistes betrachten und anwenden **)".

§. XI.

De Missis, quae in ritibus et caeremoniis accidentalibus variant.

Q. I. *Quot sunt Missae in ritibus et caeremoniis accidentalibus variantes?*

℞. Inter plures aliquos notatu digniores seligemus, de quibus necessaria scitu paucis dabimus; quae sunt: *Missa publica;* Missa privata; Missae de tempore; Missae de sanctis, Missae praesanctificatorum; Missa catechumenorum; Missa fidelium; Missae votivae; tandem missae defunctorum.

Inde colligitur, quanta cura, sollicitudine sub assistentia spiritus sancti ordo Missalis institutus sit, sed qua quoque

*) Sailer a. a. O. p. 141. — **) Sailer a. a. O. p. 143.

scientia et doctrina et notitia praediti esse debeant ii, qui tam formidolosum illud sacerdotii munus susceptum tam digne fungantur, ut a Jesu Domino nostro non evomantur ex ore suo sancto.

Annus christianus de eo die orditur, quo ecclesia gemebunda suspirans gemit: Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum. Inter nempe Adventum desiderio desideramus, anhelantes Nativitatem Salvatoris. Color violaceus monet, ut fleamus ob lapsum protoparentum lapsumque nostrum.

Festo Christi nati praesepium visitantes, vocem exultationis vocibus miscentes angelicis et toto pectore puerum regiae majestatis nostris brachiis amplectentes, gratias agentes, quod in nostra hac humana carne apparuerit, ut mundo vitam daret, quod particeps fieri voluerit infirmitatis nostrae, quasi propria experientia sentire voluerit debilitatem et imbecillitatem nostram, ut sciret: dicam quomodo adjuvaret, quomodo succurreret. In Circumcisione dolemus, quod nostra gratia primum dolorem, quanquam erat tener infans, perpessus sit! ne obliviscamur ingentis maeroris ejus, B. sine labe conceptae Virginis, per cujus animam primus penetravit gladius, quum Simeon tristia illa verba fecit.

Epiphania regem indubiae majestatis agnoscentes, offerimus ei cum Magis thus adorationis et hostiae ipse nostrae myrrham mortificationis et aurum caritatis — bonorum operum.

Purificationis festo offerimus nostram innocentiam Deo ac Virgini sine labe conceptae, discimus ex obedientia Dei hominis, ut et nos obediamus, voluntatem esse Dei. Quadragesima defleamus peccata populi, cinerem manducantes cum cibis, majori cura manum ad coelum attollentes, ut parcat populo suo. Paschatis solemnitate in omni verbo inest summa laetitia, clamamus: O felix culpa, quae talem ac tantum meruit redemptorem; Christo a mortuis resuscitato primitias adorationis, devotionis et gratitudinis offerimus, ut cum eo mentes quoque nostrae velut resurgant.

Ascensionis festo id agamus, ut haec terrena despiciamus eoque avolemus, ubi regnat omnipotentia, regnat misericordia, regnat sapientia.

Praeparemus animos nostros ad excipiendum Spiritum s., ut Pentecostes festo super nos descendat cum omni sua virtute ac donis.

Vos sacerdotes festum hunc potissimum solemniter celebrare debetis. Festum missionis vestrae, ut cum fructu pro vobismetipsis et populo vobis concredito seminetis semina vitae in corda fidelium ac non credentium.

Hoc festo accepistis assistentiam Spiritus sancti, qui vos in omnia bona ducat, vestrisque laboribus, sudoribus, ango-

ribus et inopiis benedictionem gemitibus inenarrabilibus continuis efflagitare et conciliare studeat, ut vinea sua, quam *ferus Aper* exterminare conatur, vestra virtute ab ultione defendatur et irrigetur, qui porro sua virtute nobis omnipotentiam gratiamque suam promiserit.

Dein quum festum ad adorationem propter collata multa illa dona ac data, propter liberationem tot et tantorum malorum aggrediamur, quum festum ssmae Trinitatis celebramus; Ss. enim Trinitatis providentia corpus totum ecclesiae sanctificatur, regitur et disponitur, nemo est, qui oblivisci atque gratias toto pectore divae Trinitati agendas denegare possit.

In archidiocoesi Coloniensi hoc festum, quod ei prout decet, maxime colendum est ac venerandum, dies serenus est, quo mediator ipse Deus et homo sponsam suam ecclesiam catholicam decore induit, quo inthronisatus est Dominus noster Venerabilis Archiepiscopus noster Dilectissimus Clemens Augustus.

Adjungitur festum Theophoriae, festum, ubi processionaliter Jesus nostras plateas, agros camposque circumiens benedicit, ut in humana carne vivens.

Utinam vos pastores ecclesiarum hoc festum majori reverentia, summa cum celebritate et decore celebretis! Nil sublimius est, quam in ordinatione et celebratione festorum sacerdotes zelo divino ardentes, atque populum summo gaudio sequentem videre, ut majus decus concilietur numini divino.

— Ex variis et propriis. —

„Die Hauptfeste sind die lyrisch-dramatische Darstellung der verschiedenen Momente des Erlösungs-Prozesses — wenn dieser Ausdruck erlaubt ist; die anderen dienen als Nebenpartheieen, Episoden, zu künstlicher Vollendung der Geschichte, welche die Kirche immer von Neuem darstellt *)".

Q. II. *Quae Missa dicitur publica?*

℟. Autores ii, qui discrimen Missam publicam inter et solemnem statuunt, publicam vocant, quae coram numeroso fidelium coetu in ecclesia celebratur; solemnem vero describunt, quae augustioribus cum caeremoniis perficitur, utpote cum cantu, cum ministris, et clero assistentibus, suorumque ordinum majorum minorumque

---

*) Räß und Weiß, die Feste des Herrn. B. I. p. XII. Einleitung. Mainz 1835. Ueber das Kirchenjahr siehe Sion 1838. Seite 1161 u. ff. Eine kleine Symbolik des Frohnleichnam-Festes siehe Sion 1839. Seite 605 u. ff. Ueber Leiden und Mitleiden zur Feier der Passions-Woche, siehe Sion 1842. p. 273. eine ganz vortreffliche Abhandlung.

ministeria obeuntibus, et olim praesente et communicante populo*). Placet interim nunc vel nullum, vel exiguum publicam Missam inter et solemnem discrimen notare; ita, ut utraque pro eadem sumi queat. Quae etiam quandoque aliis fuit compellata nominibus, quippe legitima, quod sacris canonibus videretur conformior, etiam generalis, quia populus generatim ad eam congregatur. Coetus vero ad Missam solemnem congregandi diversa quondam fuit disciplina, sive tempus spectetur, sive locus.

S. Justinus Mart. asserere videtur, sola die dominica populum ad Missam solemnem fuisse convocatum. Socrates lib. 5. cap. 21. scribit, etiam sabbathum conventui huic publico fuisse dedicatum ab omnibus ecclesiis, excepta Romana, et Alexandrina. Testis idem S. Augustinus est Epist. 118, quod suo jam tempore non quidem ubique, sed tractim quotidie Missa solemnis peragi coeperit. Si de loco sermo sit, non ab illo Missa publica et solemnis suum mutuavit nomen, cum in locis etiam saepe abditissimis coram numeroso populi conventu Missarum solemnia solemniter fuisse celebrata constet. Missa haec solemnis vetita quondam fuit in Monachorum ecclesiis, ne saecularium concursus monachos distraheret, et ab interna mentis tranquillitate avocaret.

Q. III. *Quae Missa nuncupatur privata?*

℟. Missa privata quatenus distincta a publica et solemni est: quae *sine ministris et cantoribus,* et cum uno tantum ministro sive in ecclesia, sive in privato sacello, vel oratorio celebratur, sive adsint audientes, sive non adsint, sive communicent adsistentes, sive non communicent. Haec et quotidiana nuncupatur, quia quotidie frequentari consuevit **).

Hanc Missam privatam immerito occultam et angularem nominat Lutherus, cum illa nomine ecclesiae a ministro publico pro salute totius mundi Deo offeratur.

Solitaria interim Missa cum privata confundi non debet; solitaria siquidem a solo quondam sacerdote, nemine praesente et ministrante, peragebatur.

Q. IV. *An ecclesia probavit has Missas solitarias?*

℟. Missas solitarias, quae a monachis quondam ex indulgentia vel concesso privilegio legi coeptae sunt, ecclesia tandem gene-

---

*) Romsee T. IV. p. 18. — Bona lib. 1. cap. XIII. p. 379. — **) Romsee T. IV. p. 19. — Bona lib. 1. cap. 13. §. 14. p. 381.

ratim vetuit *) Conc. Mogunt. sub Leone Can. 43 ait: Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte, quoniam enim dicit: Dominus vobiscum, vel sursum corda, admonebit habere, et alia multa his similia, cum alias nemo cum eo sit. Consonat synodus Parisiensis sub Greg. IV. (Lib. I. cap. 48) ubi loquens de consuetudine celebrandi sine ministro decernit: Quae consuetudo, quia apostolicae et ecclesiasticae auctoritati refragatur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujusmodi usus inhibeatur, prohibeatque unusquisque Episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum Missam solus celebrare praesumat. Unde tandem jure etiam communi cautum fuit, ut nonnisi cum ministro, qui sit Mas, Missa celebraretur.

Q. V. *An ergo nunquam sine ministro celebrare licet?*

℞. Sylvius 3 P. E. 83 art. 5 censet, sacerdotem casu, quo die festo copia non foret Missae audiendae, meliore consilio Missam praetermittere, quam sine ministro celebrare. In casu tandem gravis necessitatis, inquit, boni auctores existimant, sacerdotem non male facturum, si solus celebret, ubi respondeat, ac ministret, ut si alioquin aut ipse sacerdos, aut alius sine viatico moriturus esset.

Q. VI. *An Protestantes Missas privatas tanquam ecclesiasticae disciplinae veteri adversas jure merito carpunt?*

℞. Absque omni fundamento Protestantes Missas privatas tanquam veteri ecclesiasticae disciplinae contrarias sugillant, sive Missa dicatur privata a loco, sive a tempore non festivo, sive privata nuncupetur, quod solus adsit minister, sive quia solus in ea communicat sacerdos.

Etenim quoad locum notissimum est, et Apostolos et eorundem successores proximiores in privatis primo domibus, et dein in carceribus, in cryptis aliisque abditissimis celebrasse locis. Plurima etiam oratoria privata recenset ecclesiastica historia, et suum Constantinus M. extruxit oratorium in palatio, uti refert Eusebius in vita Constant. lib. IV. cap. 17. Concilium Agathense cap. 21 privata oratoria in agris permisit, in quibus Missa haberi posset, etiam in festivitatibus, exceptis diebus Paschae, Natalis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistae, et aliis, si quae fuerint, majoribus solemnitatibus **).

Quoad tempus non festivum S. Chrysostomus hom. III. ad Ephes-

---

*) Bona lib. 1. cap. XIII. §. 5. p. 382. — **) Bona lib. 1. cap. XIV. p. 385.

ios et XVII. ad Hebraeos quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam adfirmat. Concil. Vasconense II. a. 529. statuit cap. 3, ut in Missis Defunctorum semper Sanctus dicatur, eo ordine, quo dicitur ad Missas publicas.

Amalarius pariter lib. IV. C. 42 probat, loca quaedam fuisse, in quibus quotidie Missa pro Defunctis celebrabatur.

Si de Missa, quae uno cum ministro, et vel nemine praesente, vel coram paucis celebratur, sermo sit: Tertullianus lib. de fuga in persecutione cap. 14. scribit ac si diceret: Si die lucescente, atque omnibus congregatis celebrare non potes, noctu celebra, et privatim, etiamsi vel tres soli praesentes sint. Ita Bona l. c: Si colligere (i. e. celebrare) interdiu non potes, habes noctem, non potes discurrere per singulos, sit tibi et in tribus ecclesia.

S. Gregorius Nazianzenus oratione 19ma in laudem patris, eum in cubiculo suo sacrum egisse affirmat.

Paulinus Nolanus, teste Uriano in ejus vita, ante lectulum suum parari sibi altare jussit; ibique paucis ante mortem horis sacrificium obtulit. Innumera demum oratoria privata, quae antiquitas exstruxit, totidem sunt Missarum, vel solo praesente ministro, vel coram paucis celebratarum documenta.

Ast, quia Protestantibus bilem maxime movent Missae, in quibus communicat praeter sacerdotem nemo, aliqua plurimis omissis monumenta a veneranda antiquitate mutuabimus, queis et illae Missae, in quibus nemo praeter sacerdotem de altari participat, probantur. S. Chrysostomus homilia 3 in Epist. ad Ephesios: Frustra est, inquit, quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari, nemo est, qui participet. Idem homilia 16. ad Habraeos: Multi hujus sacrificii sunt participes semel toto anno; alii bis, alii saepe. S. Ambrosius sermone 36. populo, ut saltem dominicia die offerat et communicet, nervose suadet. At una monet, ut, qui non est impeditus, quotidiano sacrificio assistat. Felicitas haec quidem duobus primis ecclesiae saeculis et initio tertii obtigit, ut cum Missae interesset populus, etiam de coelesti participaret convivio, in quo anima de Deo saginatur, inquit Tertullianus; sed labente saeculo tertio fervor ille languescere coepit. Languorem hunc severe quidem varia reprehenderunt Concilia particularia; ast quotidianam Missae celebrationem nullibi propterea vel sustulisse, vel improbasse leguntur.

Non igitur favet Protestantibus vetus ecclesiae disciplina. Nec majus in historia institutionis sacrificii in ultima coena praesidium inveniunt; non enim omnia ibidem a Christo facta nobis praecepta

sunt: oporteret siquidem celebrare et distribuere eucharistiam nonnisi sub Vesperum, peracta coena, duodecim tantum, iisque viris, et foeminis quibuscunque exclusis. Quae omnia nec ipsimet probant Protestantes.

Q. VII. *Quae appellantur Missae de tempore?*

℞. Missae de tempore, inquit Merati, vocantur illae, quae correspondent variis anni ecclesiastici temporibus, in quibus vitae, passionis, et doctrinae Christi mysteria fideique nostrae sacramenta recoluntur. Sicut enim solaris annus quatuor temporum successione completur; ita fideles grata Festorum Domini celebritate annum absolvunt ecclesiasticum. Festivitates vero illas etiam quoad ritus principaliores, vel ab apostolis, vel eorum successoribus fuisse certis assignatas temporibus, antiqua probat traditio, aliaque evincunt documenta *).

Q. VIII. *Quae Missae de Sanctis nuncupantur?*

℞. S. Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichaeum haec inter caetera scribit: Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat: et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus; quamvis in memorias Martyrum constituamus altaria. De solis interim Martyribus loquitur, quia Confessorum festivitates serius celebratae sunt ab ecclesia **). Martinus Turonensis, qui secundum Baronii calculum anno 402 sanctus obiit, primus dicitur Confessorum, cui publicus fuit exhibitus cultus.

Caeteroqui vel a primis temporibus celebratione Missarum memorias Martyrum a fidelibus fuisse honoratas, probat epist. ecclesiae Smyrnensis, quo Polycarpi describunt martyrium apud Eusebium lib. quarto hist. eccles. cap. 15, ubi contestantur, se ossa Polycarpi in loco decente condidisse; et in eodem loco se natalem ipsius hilari conventu (qui sine sacrificio non erat) quotannis celebraturos. S. Cyprianus pariter epist. 37 ad Clerum suum diligenter annotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, ac sibi significari: ut, inquit, celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob memoriam eorum.

Q. IX. *Missa Praesanctificatorum, unde dicta?*

℞. Synodus Laodicena saeculo IV. celebrata can. 49. statuit:

---

*) V. C. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. XV. p. 388. — **) V. C. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. XV. §. 11. p. 388.

Non oportet in Quadragesima panem offerri, nisi in Sabbato et in dominico tantum die. His quippe diebus nullum apud Orientales erat jejunium; nec prohibita propterea celebratio. Reliquis vero quinque diebus Missas celebrari, hodierna adhuc vetat Orientalium disciplina, quam describit Goar in Euchologio Graecorum pag. 187 et seq. die nempe dominica praeter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum *). Tum diebus singulis sub vesperum conveniunt in ecclesia, et in ipso vespertinarum precum officio sacramentum antea consecratum sumunt; ideoque hoc officium praesanctificatorum, sive anteconsecratorum nuncupant. Ecclesia occidentalis sola feria sexta majoris hebdomadae Missam peragit praesanctificatorum; qua feria sacerdos non consecrat panem, sed pridie consecratum sumit **).

Haec Missa praesanctificatorum confundi nequit cum Missa sicca seu nautica; haec enim et consecratione caret et sumptione: et ideo sicca appellata. Et quia olim potissimum in mari et fluminibus ob periculum effusionis sanguinis frequentata fuit, dicta est Missa nautica; — eandem quidem commendat Genebrardus lib. de Lit. apostolica cap. 30***) pro his, qui mane integrae Missae interesse non poterant; pro navigantibus, pro infirmis; et quando defuncti post meridiem sepeliendi sunt. Modum quoque Missae siccae describit Durandus in Rationali lib. 4. cap. 1. Ast nunc provida Episcoporum cura ubique gentium ut puto obliterata et abrogata est, ait Bona †).

> Gavantus ait: Si ex gravi necessitatis causa fuerint Sabbato sancto (praeter publicum summum sacrum) de licentia Superioris celebrandae Missae, eo casu forte sufficit incipere a confessione, qua finita, sine *Introitu* dicat *Kyrie eleyson* novies et reliqua cum Vesperis usque ad finem Missae. P. 4. tit. 10. num. 43 et 44.

Missae etiam barbaro vocabulo bifaciatae, trifaciatae, a sicca se distinguebant, quod praedictae Missae bis, vel ter ab initio ad Offertorium exclusive repeterentur. Unde a duplici, vel triplici quasi facie bifaciatae, trifaciatae nuncupabantur ††). Ast sequebatur tandem et consecratio, et sumptio; unde a sicca destinguebantur. Has

---

*) V. Romsee tom. IV. p. 24. — **) V. C. Bona rer. Liturg. lib. 1, cap. XV. §. V. pag. 390. — ***) V. Romsee tom. IV. p. 20. V. C. Bona rer. Liturg. lib. 1. c. XV. §. VI. p. 390. — †) Rer. Liturg lib. 1. cap. 16. §. 6. — ††) V. C. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. XV. §. VII. p. 391. —

Missas veluti monstruosas, a clericorum saepe avaritia originem habentes, institutioni et consuetudini ecclesiae adversas reprobat, et detestatur ecclesia.

Q. X. *Quae Missa Catechumenorum, et quae Fidelium?*

℟. Missa Catechumenorum duobus vel tribus primis ecclesiae saeculis aliquot tantum precibus et psalmis absolvebatur: tumque dimittebantur Catechumeni, aliique, qui a Missa fidelium excludebantur. Episcopi tandem aliique ecclesiae ministri advertentes, quod sermones et scripturarum expositiones Catechumenis, Infidelibus, aliisque a Missa exclusis prodessent eximie, admiserunt omnes a Missae initio usque ad sermonem post Evangelium; quo finito a Diacono dimittebantur. Hic igitur finiebatur Missa Catechumenorum. Et quamvis Judaei, Infideles, Poenitentes, et Energumeni aliique eidem Missae interesse possent; a Catechumenis tamen semper praesentibus et numero majoribus Missa haec nomen sumpsit *).

Ab Offertorio tandem ad finem usque dicta est Missa fidelium, quibus solis eidem interesse licebat. Videantur Liturgiae S. Jacobi; S. Basilii, et S. Joannis Chrysost. Disciplina haec in ecclesia latina exolevit penitus. Apud Graecos interim, licet nulli praesentes sint Catechumeni, vel poenitentes; in singulis liturgiis usque huc solemni formula Diaconus pronuntiat: Quotquot estis Catechumeni, *recedite*; nequis Catechumenus supersit, quicunque fideles in pace Dominum oremus.

§. XII.

De Missis votivis.

Q. I. *Quae Missa dicitur votiva, et an cognita primis ecclesiae saeculis?*

℟. Missa votiva dicitur, quae ab officio diei discordans, expetentis, vel sacerdotis speciali celebratur desiderio et devotione: ideoque votiva nuncupatur **).

Ad prima ecclesiae saecula Missas votivas merito referimus. Notissima est Missa pro Catechumenis, quae feria quarta post quartam Dominicam Quadragesimae offerebatur, cujus mentionem facit Amalarius (lib. 1. cap. 8).

Compertum pariter est, quod olim calendis Januarii Missa spe-

*) V. C. Bona rer. Liturg. lib. 1. cap. XVI. §. I. pag. 391 et sequent. — **) Bona l. c. cap. XV. §. III. p. 389. Romsee Tom. 1. p. 21.

cialis celebrata fuit *ad prohibendum ab Idolis*, de qua Menardus agit in notis ad librum sacramentorum pag. 33, ut plurimas alias silentio praetereamus, quarum centum et quindecim pro variis necessitatibus et diversis hominum statibus e diversarum Missalibus ecclesiarum collegit Cornelius Schultingius (Tom 3. Bibliothecae ecclesiasticae part. 1).

Q. II. *Quotuplex Missa votiva?*

℟. Praeter eas, quae de quibusdam mysteriis per annum, et eas, quae de Sanctis celebrantur, de quibus infra; Missa votiva alia solemnis, et altera dicitur privata.

Votiva solemnis nuncupatur, *quae ob causam gravem auctoritate Ordinarii vel legaliter, vel specialiter indicitur.* Res gravis vel publica ecclesiae causa, (cum populi frequentia, ut addit Rubrica Missalis Romani Tit. VIII Nr. 4 et tit. XV Nr. 5 *pro licita votivae solemnis decantatione,*) diebus nempe alias prohibitis est ea, pro qua convenit Clerus cum Epicopo; id est: seclusis impedimentis merito conveniret, *vel apud regulares in eorum comitiis generalibus vel provincialibus, cum cantatur Missa pro re eorum judicio gravi.* Ita S. R. C. 19. Maji 1607.

Indictio vero Ordinarii *legalis pro re gravi* habetur in precibus *40 horarum*, ut declararunt Clemens XI. 1705 et Clemens XII. *1730*; adest et indictio legalis *Ordinarii pro re gravi* in solemni Missa pro creatione et coronatione summi Pontificis et in Anniversario Episcopalis consecrationis.

Indictio Ordinarii specialis pro re gravi habetur, quando ob causam specialem Ordinarius praescribit Missam votivam certa die solemniter cantandam, utpote pro obtinenda pace, aëris serenitate, contra pestem animalium etc. etc., pariter in gratiarum actionem pro beneficiis obtentis; si itaque alterutrum desit, quippe vel *res gravis*, vel *Ordinarii indictio legalis*, vel *specialis;* Missae votivae nequeunt solemnes vocari, sed privatis adcensentur *).

Missa votiva privata illa dici debet, quae etiam cum pompa ob causam privatam, vel sine autoritate Ordinarii indicentis celebratur. Hinc Missis adnumeratur privatis illa, quae celebratur pro receptione ad habitum religiosum, vel ad professionem, uti declaravit S. R. C. 14. Junii 1683; illa pariter, quae prima celebratur a Neosacerdote. Item privatis adnumerantur tres Missae votivae a Pontificali Romano Neoordinatis sacerdotibus praescriptae,

---

*) Vid. P. Herm. Janssens. in appendice ad tit. IV. de Missis votivis.

pro bono communi ecclesiae militantis et patientis ac ad gloriam triumphantis. Uti et illae, quae in benedictionibus nuptiarum, licet solemniter peraguntur etc. etc.

Q. III. *Queis diebus sive festis indulgentur Missae solemnes votivae, et queis interdicuntur?*

℞. Missa votiva solemnis, e. g. in precibus 40 horarum ultra Missam conventualem, ubi Rubrica ad hanc obligat, cantari potest omni die, sed in festis ac Dominicis primae et secundae classis, vigiliis nativitatis Domini et Pentecostes, die octava Ephiphaniae, feria quarta cinerum, infra hebdomadam majorem, ac octavas Paschae et Pentecostes cantari debet Missa officio diei correspondens, cum oratione de Venerabili sub una conclusione. Ita Breve Clementis XI. quod incipit: *Essendo* state, de quo S. R. C. 12. Junii 1749. *Instructio pro oratione* 40 horarum Romae jussa fel. recordationis Clementis XI. primum edita, extra urbem non obligat; laudandi tamen sunt, qui se illi conformare student, nisi aliud a locorum Ordinario statutum sit. Illud Coloniensi (quondam) archidioecesi applicavit Archiepiscopus Clemens Augustus (sit venia, si addo Primi M.) anno 1756.

Ast Directorium Dioecoesis Leodiensis, pro anno Domini 1805 a R. Eppo. approbatum et a Tossano J. Romsee revisum allegat Decretum S. R. C. editum 27. Martii 1799, vi cujus tantum cantari non possunt Missae votivae solemnes pro re gravi, vel publica ecclesiae causa in *Duplicibus primae classis*, *Dominicis privilegiatis*, *feriis cinerum, et majoris hebdomadae, vigiliis nativitatis Domini et Pentecostes,* in reliquis vero cantari possunt.

Ideoque si diebus mox exceptis Missa votiva solemnis pro re gravi, vel publica ecclesiae causa indicta sit, vel preces 40 horarum serventur, cantanda erit Missa conformis officio cum commemoratione Missae votivae et S. Sacramenti expositi sub una conclusione, vel infra Q. X. §. hujus.

Diebus vero supra non exceptis cantabitur Missa votiva solemnis pro re gravi, vel publica ecclesiae causa cum commemoratione Dominicae seu festi sub duplici conclusione conformiter ritui Romano. Ast sub una conclusione conformiter ritui in Coloniensi archidioecesi recepto. (Vide tamen iterum infra Q. X.)

Quodsi in Dominicis festivisque diebus de praecepto una tantum celebraretur Missa; tunc votiva solemnis cantari non posset, sed alia de Dominica vel festo cum commemoratione Missae votivae sub una conclusione. S. enim R. C. 22. Aug. 1744 decrevit; in

ecclesiis minoribus, ubi unica celebratur Missa, non potest omitti illa Missa occurrentis festi de praecepto ut cantetur votiva. Non abs re erit notasse, quod in Theophoria, quae alternatim celebrari solet, in parochiis post solemnitatem ss. Corporis Christi cantari debeat Missa vel dominica, vel festo duplici, idque conformiter decreto S. R. C. 8va Martii 1749. Ubi processio Ssmi Sacramenti in ejus festo vel per octavam ea, qua decet solemni pompa nequiverit haberi; designavit Episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique ecclesiae aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua celebrata Missa cum commemoratione ss. Sacramenti, juxta rubricarum praescriptam formam solemnis illius processio peragi possit.

Q. IV. *Queis diebus vel festis Missae votivae privatae prohibentur?*

℞. Missae privatae votivae, quamvis ritu solemni celebratae, prohibentur in Dominicis; nisi infra hebdomadam quaedam Dominicae antecipentur ante Septuagesimam vel ultimam post Pentecosten.

Prohibentur pariter in omnibus Duplicibus, necnon infra octavas nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, feria quarta cinerum, tota hebdomada s., in Vigiliis nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes.

Diebus igitur aliis et festis hic non exceptis, subsistente justa causa, Missae privatae votivae legi et cantari possunt. A regula tradita exceptionem postulat Missa votiva B. Mariae V., quae ex immemoriali consuetudine singulis diebus, vel solis etiam sabbatis cantatur; s. enim R. C. 19na Nov. 1633 (uti refert Romsee) concessit, Missam praedictam cantari posse omni die, exceptis solemnitatibus, sub quibus comprehenduntur: Dominica prima Adventus et Quadragesima, feria quarta cinerum, Dominica palmarum, cum tota hebdomada sancta, Dominica resurrectionis, et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, dies Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, et dies omnes, quibus celebratur aliquod festum B. Mariae V.

Haec ultima exceptio tenet etiam pro Octava alicujus sancti, infra quam si officium fiat de Octava, non licet legere Missam de eo votivam; nisi infra Octavam foret officium de festo semiduplici; quo casu liceret de sancto legere votivam sine Credo quidem; ast cum Gloria, quia infra Octavam esset semifestiva *).

---

*) Foss. I. Romsee praxis celebrandi Missam Part. 1. art. No. 3. —

Praedictum interim privilegium a. s. R. C. concessum pro Missa votiva B. Mariae V., ex consuetudine immemoriali quotidie, vel sabbatis celebrata, nequit extendi ad sanctos alios, in quorum honorem etiam quotidie Missae alicubi fundatae sunt; uti declaravit eadem S. R. C. 11ma Maji 1754.

Tandem in precibus 40 horarum diebus, quibus permittuntur Missae privatae votivae, omnes sine Gloria et Credo de Venerabili legi possunt. In Missis vero privatis correspondentibus officio diei additur collecta de Venerabili post omnes alias orationes de praecepto, exceptis tamen festis duplicibus primae et secundae classis, quibus aequiparantur Dominica palmarum et Vigiliae nativitatis Domini et Pentecostes.

Q. V. *An ad arbitrium sacerdotis diebus non exceptis legere licet Missas votivas privatas?*

℟. Rubrica tit. IV. N. 3. Missas votivas privatas sacerdotibus certis diebus legere indulgens addit: Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa et quoad fieri potest, Missa cum officio conveniet. Causa rationabilis censetur, vel necessitas aliqua, vel pietas specialis Missam petentis aut celebrantis; sine una vel altera contra Rubricas delinquitur; cum caeteroqui etiam caeteris paribus, sacrificium eo sit Deo acceptabilius et ad impetrandum petentibus eo efficacius, quanto rubricis, ecclesiae et ritibus et decretis conformius.

Q. VI. *Possuntne celebrari Missae votivae de tempore, et quibuscunque mysteriis per annum?*

℟. Quaedam per annum mysteria ita certo ac determinato affiguntur tempori, ut ritus ecclesiae de illis alio tempore Missas celebrare nullatenus ferat; qualia sunt: aliqua Dominica, nativitas Domini, Epiphania, Resurrectio et Ascensio Domini etc. etc. et de his nequit celebrari Missa votiva. Casu igitur, quo talis petitur Missa, sacerdos Missam celebret conformem officio juncta intentione colendi mysterium, in cujus honorem petita est Missa *).

Recoluntur vero et alia per annum mysteria, quae tempori non ita affiguntur, quin ecclesia eorum commemorationem, Missa etiam votiva peragere indulgeat: utpote passionis Domini — mysterii S. Trinitatis. — Spiritus sancti — venerabilis Sacramenti etc. etc. — Missae tamen hae non e locis propriis, sed e votivis, quae in fine Missalis assignantur, tanquam votivae sumi debent **).

---

*) Romsee T. 1. p. 21. No. II. — **) V. Merati P. 1. tit. 4. §. 3.

Q. VII. *An et de quibus sanctis et beatis dici possunt Missae votivae?*

℞. De sanctis omnibus, de quorum canonizatione certo constat, quamvis eorum nomen nondum Romano sit insertum Martyrologio.

De mere beatis vero Missae votivae celebrari nequeunt, sine speciali indulto apostolico; licet certis ecclesiis et personis indultum sit, annue in die horum beatorum horas canonicas et Missam, etiam festivam et privatam et conventualem celebrare *). Etenim S. R. C. 16. Dec. 1652 decrevit: nihil licere circa beatos quoad celebrationem Missarum, nisi quod nominatim concessum est. Itaque cum celebratio Missarum praecipue sit cultus publicus, qui fit nomine ecclesiae, is praestari nequit nisi ab illis, quibus expresse in *Brevi beatificationis* fuit concessa facultas; unde si haec afficiat locum quemdam, in eo, et non alibi celebrari de Beato Missa potest. Quod si haec facultas personis tantum concessa sit unius exempli gratia ordinis, et his solis licebit dictas de Beato Missas celebrare **).

Q. VIII. *Quid si sanctus, de quo celebranda Missa votiva, habeat Missam propriam, et quid si non habeat?*

℞. Si sanctus habet Missam propriam, haecque etiam extra festivitatem retineat verborum veritatem; vel ut haec servetur, modica tantum opus sit immutatione: utpote commutando solemnitatem, vel festivitatem in memoriam vel commemorationem; aut etiam pauca omittendo, tunc celebranda est Missa propria. Quodsi vero sanctus Missam non habeat propriam, vel si propriam habeat, extra festivitatem servari nequeat veritas verborum, nisi vel plura omittendo, vel immutando, tum sumenda erit Missa de Communi, vel intra, vel extra tempus Quadragesimale, vel Paschale pro temporis qualitate.

Quoad votivas de B. Maria V. decrevit S. R. C. 22. Decmbr. 1753. pro Missis ex fundatione aut ex alia quacunque causa in cantu celebrandis, sive de Assumptione sive de Conceptione B. Mariae V., extra ejus festos dies vel octavas earundem solemnitatum assumi nequit propria festivitatis, sed substituenda est ei una ex quinque votivis B. Mariae V., quae habetur in Missali Romano juxta congruentiam temporis.

Merati tamen cum pluribus aliis contrarium censet de Missa

*) Romsee Tom. 1. pag. 21. — **) Ita Merati, Benedictus XIV. Janssens et alii.

votiva septem dolorum B. Mariae V. quae incipit: *Stabat;* omittendo sequentia.

Quoad Missam vero auream sic dictam, quia primitive, ait Janssens, ob excellentiam mysterii fuit litteris aureis exornata, et quae feria quarta quatuor temporum mense Decembri maximo cum populi concursu ex legali indictione pro causa gravi cantatur votive, etiamsi occurrat festum duplex etiam majus, sumitur, inquam, Missa votiva de B. Maria Virgine tempore Adventus, quae incipit: *Rorate* etiam cum dicta feria quarta incidit in ipsam diem octavam immaculatae Conceptionis, vel pridie.

Die Ursache, warum der letzte Tag in der Woche der Mutter Gottes gewidmet worden, leiten Beleth und Durand von einem Wunder her, das sich zu Constantinopel ereignet haben soll. Jeden Freitag Abend bei der Vesper zog sich der Vorhang, der in der Kirche zu Constantinopel das gemalte Madonna-Bild bedeckte, von selbst hinweg und stellte das Bild dem Volke zur Verehrung am Samstage dar; nach gehaltener Vesper fiel dieser Vorhang vor den Augen der ganzen Gemeinde über das Bild wieder herunter und bedeckte es die ganze Woche. *)

Q. *Quae Sabbati significatio mystica?*

℟. In sensu allegorico Sabbatum fuit figura, quia sicut post opus creationis requievit Deus sabbato ab omni opere, quod patravit; ita in redemptionis opere suavius requievit in Virginis utero. In sensu anagogico sunt dies sabbati, ut quasi janua ad diem Dominicam, quo significatur vita aeterna; sic Maria est janua coeli et porta lucis fulgida. Durandus l. c.: Sicut enim per sabbatum pervenimus immediate ad diem dominicum, ita per devotionem B. Mariae V. citius et securius, quam alia via ad Dei gratiam et gloriam pervenimus: *Qui me inveniet, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.* Parabol. Salomon. 8.

Q. IX. *An hymnus angelicus dicitur in Missis votivis?*

℟. Rubrica Missalis tit. 8. Nr. 4: In Missis votivis, (privatis) non dicitur (Gloria in excelsis), etiam tempore paschali vel infra octavas; nisi in Missa B. Mariae V. in sabbato et angelorum.

Duobus hisce casibus Ritualistae communiter addunt tertium, nempe quando Missa votiva celebratur in die obitus alicujus sancti, cujus festum non habet nec duplicem, nec semiduplicem ritum; hanc enim Missam utpote mixtam ex festiva et votiva, vocant semifestivam. Ideoque si quis v. g. 4to Martii in festo S. Casimiri se-

---

*) Binterim, Denkw. 4. B. 3. Th. S. 243.

miduplici Missam velit dicere votivam de S. Lucio papa et martyre, cujus ea die pariter festum simplex agitur, Gloria addet *).

Demum ex Rubrica eodem tit. et numero et nisi Missa votiva (solemnis) *solemniter* (ex indictione nempe legali Ordinarii, vel speciali) dicenda sit pro re gravi, vel publica ecclesiae causa. In illa enim semper *Gloria in excelsis* cantatur, dummodo non celebretur in paramentis violaceis, in quibus in nulla unquam Missa dicitur *Gloria in excelsis.*

Q. X. *Quot in Missis votivis dici debent, vel possunt orationes?*

℞. Rubrica tit. 9. N. 14. in Missis votivis quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica ecclesiae causa, dicitur una tantum oratio. Ideoque nec Dominicae, nec festi duplicis in Missa solemni facienda est commemoratio, saltem in omnium sententia, quando haec Missa votiva solemniter cantatur post Missam conventualem, quae officio diei satisfecit. Uti etiam decidit S. R. C. 23. Junii 1736. Dum praeter Missam conventualem cantatur Missa votiva ex fundatione; in hac Missa non debet fieri commemoratio festi, de quo cantatur Missa conventualis **).

Sed difficultas movetur pro casu, quo in aliqua ecclesia non celebratur Missa conventualis, an et tunc in Missa votiva solemni addi debeat commemoratio dominica, festi duplicis, diei Octavae, diei infra Octavam privilegiatam et feriae majoris? Plures ritualistae, quos citat et sequi videtur Merati part. 1. tit. 4. §. 8. N. 44. censent, pro dicto casu addendam *esse commemorationem* Dominicae, non festi duplicis et caeterorum; quia arbitrantur, rubricam, quae unam tantum orationem praescribit Missae votivae solemni, loqui in hypothesi, quod celebrata fuerit Missa conventualis de Dominica, festo duplici et caeteris. Itaque pro casu posito conformiter ritui Romano fieri deberet commemoratio Dominicae et caeterorum sub distincta, secundum ritum vero quondam Coloniensem sub una conclusione ***).

Quodsi Missa solemnis votiva celebretur coram exposito ss^{mo} sacramento, Collecta de Venerabili additur orationi Missae votivae

---

*) Romsee Tom. 1. p. 29. No. III. — **) Romsee Tom. 1. p. 28. No. 2.

***) *Quondam,* ait eruditissimus lector, quum translata erat Archiepiscopalis sedes et in Episcopalem Aquigranensem mutata, et Reverendissimus ejus temporis praesul pro Coloniensi ritu substitui jussit romanum. Sed nunc Archiepiscopali sede gloriose restituta, iterum resurrecta, ut antiqua exercitatio ritus Coloniensis.

solemnis sub una conclusione. Et quando, die non permittente celebrari votivam solemnem, Missa cantetur de Dominica, vel festo primae, vel secundae classis coram exposito; tum orationi Dominicae, vel festi additur Collecta Missae votivae et alia de Venerabili sub una eademque conclusione.

Eruitur haec resolutio e rubrica post Missam votivam de ss^{ma} Trinitate: pro gratiarum actione dicitur Missa de ss^{ma} Trinitate, vel de Spiritu sancto, vel de B. Maria V. additis sequentibus orationibus: *Deus, cujus misericordiae* et pro Secreta: *Odorem Domine,* et pro Postcommunione: *Deus, qui neminem* sub una conclusione.

Si vero in Dominica, vel festo primae, vel secundae classis praeter Collectam Missae votivae et illam de Venerabili, alia adhuc fieri deberet commemoratio, e. g. de die infra Octavam privilegiatam; tunc Collectae festi, vel Dominicae unienda foret sub una conclusione Collecta Missae votivae ab Ordinario praescriptae, et dein oratio de die infra Octavam et illa de Venerabili aliam habebunt conclusionem.

Unio duarum in Missa orationum sub una et prima conclusione fit pariter in collatione s. Ordinum, pro qua semper celebratur Missa de Sabbato occurrente et nunquam de festo, uti decidit S. R. C. 21. Martii 1744, nisi Ordines extra tempora a jure praescripta conferantur. — Eadem unio locum habet in consecratione Episcopi, si Missa dicatur de festo, tunc enim orationi festivae additur Collecta: *Deus omnium fidelium pastor* sub una conclusione.

In aliis vero Missis votivis, quae privata ex causa, vel sine autoritate Ordinarii indicentis, vel legaliter, vel specialiter, quamvis solemniter celebrentur, saltem tres dici debent orationes.

Prima quidem Missae votivae, secunda ordinarie ea, quae officio diei correspondet, et tertia, quae secundo loco dici debuisset in Missa diei.

Quodsi et aliae in officio diei factae fuerint commemorationes, totidem et orationes addi debent in Missa votiva e. g. diei infra Octavam etiam non privilegiatam feriae majoris festi simplicis vel etiam Vigiliae.

Caeteroqui in Missis votivis privatis ad libitum Celebrantis tres, quinque, vel septem dici possunt orationes. Exceptiones a responsione veniunt prima: Rubrica tit. 9. N. 15: In votivis B. Mariae Virginis secunda oratio dicitur de officio illius diei, et tertia de Spiritu sancto. Sed in Sabbato, quando de Ea (S. M. V.) factum est of-

ficium, secunda oratio erit de Spiritu sancto, et tertia Ecclesiae vel pro Papa.

Ast si in officio facta sit aliqua commemoratio, oratio de Spiritu s. omittitur, quia completus est numerus ternarius.

Altera exceptio: In Missa votiva s. Petri secunda oratio est de s. Paulo, et tertia officii. Et vicissim in votiva S. Pauli secunda est de s. Petro, et tertia officii.

Q. XI. *An symbolum in Missa votiva dici potest, vel debet?*

℟. Rubrica tit. XI. de symbolo sub finem statuit: Item dicitur Credo in Missis votivis, quae solemniter pro re gravi, vel publica ecclesiae causa celebrantur; utique, ut supra subintelligi debet: dummodo praecedat indictio Ordinarii legalis vel specialis.

Itaque in quibuscunque *votivis solemnibus* cantatur symbolum, nisi Missae hae celebrentur in paramentis violaceis; nam extra Dominicam *Credo* nunquam dicitur in paramentis violaceis, excepta sola Missa sanctorum Innocentium Martyr., quando dicitur in paramentis violaceis. Ita S. R. C. 19 Maji 1607 *).

In Missis vero votivis privatis licet etiam cantatis et infra Octavam quamcunque habentem Credo; usque adeo infra Octavam propriam, infra quam in festo semiduplici de die infra Octavam celebratur more votivo, symbolum dici non debet, secluso speciali indulto apostolico. Unde siquis ex dispensatione pontificia ob defectum visus per modum simplicis de s. Maria festive legat, in omnibus per annum Dominicis dicet Credo ratione Dominicae. S. R. C. 1ma Aprilis 1661 concessit pariter, ut symbolum cantari possit in Missa, quae cum populi concursu celebratur in die alicujus sancti, sub cujus invocatione in quadam ecclesia erectum est aliquod altare.

Q. XII. *Quae regulae pro Praefationibus in Missis votivis servandae?*

℟. Rubrica tit. 12. N. 4: In Missis votivis dicitur etiam Praefatio propria, si propriam habeant, si vero non habuerint, dicitur Praefatio de tempore vel Octava, infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrari; alioquin Praefatio communis **).

Itaque si Missa votiva non habeat Praefationem propriam, nec dicatur infra tempus Quadragesimae, Passionis, vel paschale, neque infra Octavam, quae propriam habet Praefationem, tunc conformiter Rubricae dici debet Praefatio communis. Videatur etiam infra §. 24 in respons. ad quaest. 7. — Quia vero rubrica non addit: aut de

---

*) Romsee Tom. 1. p. 33. No. IV. — **) Romsee Tom. 1. p. 34. No. V.

festo occurrente; inferendum igitur, si votiva celebretur in festo Praefationem propriam habente e. g. in festo s. Joannis ante portam latinam; in Missa votiva non habente Praefationem propriam, non erit cantanda Praefatio de Apostolis, sed communis. S. R. C. pariter decrevit 2da Decembris 1684: Qui in Sabbato recitat officium de B. Maria V. volens celebrare Missam votivam de aliquo sancto, non debet dicere: Gloria in excelsis, neque Praefationem de B. Maria V., sed communem; quod si tamen in Dominica die celebretur votiva carens Praefatione propria, dicenda erit Praefatio de ss[ma] Trinitate utpote jam Praefatio de tempore.

Si tandem Missae addatur Collecta sumpta e Missa specialem Praefationem habente e. g. de B. Maria V. Praefatio *de Ea* non erit, sed communis. Caeteroqui quoties adderetur Collecta de Venerabili, sumenda foret Praefatio de nativitate, si Missa non haberet propriam, contra communem sententiam et praxin.

Q. XIII. *Quodsi celebretur Missa votiva infra Octavam habentem Communicantes proprium?*

℟. S. R. C. decrevit 16 Jan. 1683: Si urgente causa celebranda sit Missa votiva infra Octavam, quae habet Praefationem propriam et Communicantes, in Missa votiva debet dici Praefatio conveniens, Communicantes vero de infra Octavam, quia est propria de illo tempore. Sunt vero Octavae habentes proprium Communicantes, scilicet: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Pentecostes *).

Q. *Quis sensus mysticus Octavae?*

℟. In Evangelio habemus significationem in octo Beatitudinibus, quibus christiana exprimitur perfectio; tum aeternitatem gloriae, qua fruuntur Sancti et Beati. Insuper dies Octavae denotantur in praemium virtutum et laborum, id est, dies aeternitatis, quae una est, et illi nec succedit nox ulla neque caligo — Fortunatus lib. 4. C. 47: Celebretur, inquit, per septem dies opus septiformis spiritus, et octava die consummatio et glorificatio eiusdem operis, in sensu tropologico — cum Hesychio lib. 6. in Levit. concludimus, ut doceamur nos debere sanctorum sequi exempla, et toto vitae tempore, quod septenario significatur, Deo placere.

Q. XIV. *An in fine Missae votivae semper dicitur Evangelium s. Joannis?*

℟. Rubrica tit. 13 sub finem: In Missis votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium nisi s. Joannis. Unde in quibuscunque vo-

---

*) Romsee Tom. 1. pag. 35. No. VI.

tivis, sive solemnibus, sive privatis etiam in Dominicis et feriis *habentibus Evangelium proprium, semper dicitur* Evangelium s. Joannis, quia Rubrica *nullibi* excipit *).

§. XIII.

De Missis pro Defunctis.

Q. I. *Origo Missarum pro Defunctis unde repetenda?*

℟. S. Augustinus lib. IV. contra Donatistas Cap. 24. hanc tradit regulam: Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum, rectissime creditur. Unde cum Missas pro Defunctis semper celebraverit Ecclesia, nec rei hujus aliquod inveniatur alicubi initium, ad traditionem Apostolicam jure merito provocamus. Liturgiae etiam vetustissimae omnes utriusque ecclesiae, graecae et latinae, preces in sacrificio pro Defunctorum solatio et requie continent. Ideoque et Chrysostomus homilia 69. ad populum Antiochenum **): Non temere, inquit, ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio. Hujus quoque traditionis testes sunt: Tertullianus et Cyprianus, et primus quidem de corona militum cap. 3: *Oblationes pro Defunctis annua die facimus; et* Cyprianus Epist. 66. ad Furnitanos: Episcopi, inquit, antecessores nostri censuerunt, nequis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret; ac siquis hoc fecisset, non offeretur pro eo; neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare.

His adnumeretur Isidorus de officiis ecclesiasticis cap. 18: Sacrificium, ait, pro defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur; credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Ideoque et Tridentinum sess. 22 cap. 2 docet: Quare hoc sacrificium non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus; sed et pro Defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolicam traditionem offertur.

Ut rationes intelligamus, cur dies post mortem *tertius, nonus* et *trigesimus* in ecclesia speciatim pro sublevandis Defunctis per s. Missam ordinatus fuit, audiamus (Binterim Denkw. 4. B. 3. Th. S. 569.) „Zur Zeit des h. Gregors I. waren auch schon die dreißigtägigen Messen für die Verstorbenen

*) Romsee Tom. 1. pag. 36. — **) C. Bona C. XV. §. VI. p. 390.

üblich .... denn die apostolischen Constitutionen erwähnen des dritten, des neunten und des vierzigsten Tages, an welchem für den jüngst Verstorbenen die Messe gehalten werden sollte; endlich auch noch des Jahrestages." (Lib. VIII. constit. apost. cap. 42. fol. 419. edit. Coteler.)

Seite 570. „Der Priester Eustratius, ein Schriftsteller des fünften Jahrhunderts, leitet den 40sten Leichentag von der Zeit her, wo Christus nach seiner Auferstehung mit den Jüngern noch auf Erden wandelte." In his autem tertia offerri sacra refert, cui dominicae et triduanae resurrectionis mysterium in precationis subsidium atque auxilium adsumant. Novendialia similiter, quod post octavum a resurrectione diem visus iterum est a discipulis Christus. Praeterea quadraginta, quod post dies totidem a discipulis postremum visus, in coelos cum humana nostra natura ascendit. — (Bibliothec. Cod. 171.) *)

Q. II. *Quot Missae pro Defunctis in Missali assignantur?*

℟. Quatuor; prima dicitur in commemoratione omnium fidelium Defunctorum; pariter in Exequiis, die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, et ex novo Decreto S. R. C. etiam sacerdotum, pro quibus tamen etiam secundo loco posita dici potest. Ita 29. Januarii 1752 **). Haec ordine secunda dicitur in exequiis aliorum clericorum et laicorum; tertia in horum die anniversaria, et quarta tandem, dum per annum Missa pro Defunctis petitur praeter diem depositionis tertiam, septimam, trigesimam, et anniversariam.

Q. III. *Queis diebus celebrare non licet Missam solemnem exequialem?*

S. R. C. 5. Junii 1698 decrevit: In duplicibus primae classis, (dum est festum in populo) etiam praesente corpore non potest cantari Missa Defunctorum et multo minus dicenda est una Missa privata deficientibus clericis in choro.

---

*) Gregor XVI. erließ am 6. August 1842 an den Erzbischof v. Rheims, Thomas Gousset, folgende Verfügung: (Auszug.) „Pius V. habe nur jene „Kirchen von der Annahme des Römischen Missals und Breviariums ausgenom„men, welche wenigstens 200 Jahre sich eines eignen Missals und Breviariums „bedient hätten, mit der ausdrücklichen Bedingung jedoch, daß es „ihnen nicht gestattet sei, diese Bücher nach eigner Willkür zu „ändern oder umzuarbeiten, daß sie selbe, wenn sie wollen, nur be„halten können, um sich ihrer einfach zu bedienen. (Const. Quod a nobis. — „VII Idus Julii 1568, et constitutio: Quo primum. — Pridie Idus Julii 1570." — Siehe Sion Augustheft, Seite 92.)

**) Romsee Tom. I. p. 36.

Eadem tamen S. R. C. secunda Septembris 1741 excepit ferias secundam et tertiam Paschatis et Pentecostes. *Cum juxta rubricas ritualis Romani* absque Missa, quantum fieri potest, Defunctorum corpora non sint sepelienda; poterit praesente cadavere unica Missa solemnis pro Defunctis celebrari feria secunda et tertia post Pascha et Pentecosten. Haec autem Missa decantabitur in duplici primae classis haud festivo, si corpus praesens fuerit, haud pridie sepultum *).

Ex his decretis inferre licet, illa tantum excipi festa primae classis, quae observantur in populo, tam quoad obligationem audiendi Missam, quam vacandi ab operibus servilibus.

Praeter festa primae classis, quae observantur in populo, excipiuntur pariter, etiam praesente funere, feria Quinta coenae Domini, Sexta Parasceve et Sabbatum sanctum. Pro his insuper diebus in exequiis parvulorum statuit S. R. C. 16. Jan. 1677: In Exequiis parvulorum in feria quinta et sexta et sabbato majoris hebdomadae potest omitti Gloria patri in Psalmis, qui dicuntur pro conformitate temporis. Sabbato tamen post Missam Gloria patri addi debet, quia tunc conformitas id exigit.

Igitur praesente corpore cantari potest Missa exequialis Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimae. Quamvis enim hae Dominicae sint primae classis, si earum attendatur dignitas, quae quodvis aliud excludit officium, celebrantur tamen ritu vel duplicis vel semiduplicis.

Absente vero corpore nequeunt celebrari Missae exequiales in Dominicis et festis, quae servantur in populo; neque infra Octavas Nativitatis, Ephiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi; uti prohibet S. R. C. 12ma Septembris 1671 et die 5ta Julii 1698.

Possunt interim cantari solemnes Missae exequiales in die obitus, seu depositionis Defuncti, etiam non praesente corpore, in festo duplici et aequivalenti; dummodo festum illud non sit de praecepto.

Missae Defunctorum in die depositionis Defuncti possunt solemniter celebrari in diebus, in quibus cadit festum duplex, dummodo non sit festum de Praecepto. S. R. C. 19na Sept. 1654. Dies vero depositionis secundum rubricas est illa, qua non tantum corpus praesens cum precibus consuetis terrae mandatur; sed etiam dies, qua defunctus obiit, imo et pauci dies intermedii inter obitum et sepulturam dies depositionis dicuntur.

---

*) Romsee T. 1. p. 37).

Ideo enim etiam titulus Missae in ordine secundae de Requiem est hic: in die obitus seu depositionis Defuncti.

Quoad festum de praecepto S. R. C. 11ma Maji 1754: Festum majus de praecepto est illud, in quo occurrit officium recitandum sub duplicis majoris ritu cuique a legitimo Superiore annexum est praeceptum audiendi sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus; facultas tamen praedicta in festo duplici, non tamen de praecepto celebrandi Missam solemnem in die depositionis defuncti ad unam tantum ex intentione rubricarum S. R. C. limitatur. Quae insuper statuit: Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco dissito alicujus, potest cantari Missa de Requiem, ut in die obitus pro ejus anima, in festo duplici majori, vel minori; non tamen de praecepto, ut citius suffragetur animae defuncti; non relicta tamen Missa in cantu de festo duplici, quatenus adsit obligatio 4. Maji 1686.

Eadem tamen 24ta Julii 1683 respondisse dicitur, non posse legi, vel cantari Missam de requiem diebus per rubricas aut S. R. C. decreta prohibitis, in altaribus privilegiatis ecclesiae, vel capellae, ubi est instituta confraternitas fidelium Defunctorum.

Q. IV. *Quandonam in die anniversaria Defunctorum cantari potest Missa de Requiem?*

℟. Sub nomine Anniversariorum conformiter rubricae et S. R. C. decretis veniunt Missae cantatae fundatae, et quotannis ipsa die obitus recurrente, vel die obitus impedita, alia die ante, vel post diem obitus fixe designata pro Defuncto celebrandae.

Quodsi tamen ruri Parochus sine cantu Missam soleat in die anniversaria celebrare, haec jure Anniversarii gaudebit.

In ecclesiis parochialibus ruralibus, in quibus per annum unus tantum sacerdos celebrat sine cantu; potest dici Missa de Requiem, quando anniversaria ex testatorum dispositione, recurrente obitus die, incidit in festum duplex majus. S. R. C. 19na Junii 1700. Eadem 4ta Maji 1686 (Romsee Tom. 1. p. 42) decrevit: Anniversaria seu Missae quotidianae cantatae de Requiem relictae ex dispositione testatorum pro certis diebus iisque impeditis die dominico, seu festivo de praecepto cantari possunt in diebus subsequentibus, in quibus occurrunt officia de festo duplici majori, non tamen de praecepto. Igitur et Missae cantandae a testatoribus vivis pro certis et determinatis diebus per annum fundatis, anniversariorum gaudent privilegiis. Missa tamen in ordine quarta, seu quotidiana de Requiem cantanda erit, cum una tamen collecta illi, cui applicatur, accommodata. S. R. C. 23. Maji 1603 pariter decrevit: Officium

pro die tertio, septimo, trigesimo post obitum Defuncti, si cadat in die dominico, vel festivo, transfertur in diem sequentem cum eadem solemnitate. Itaque diebus in Decreto nominatis licebit in festis duplicibus etiam majoribus, non tamen de praecepto, Missas de Requiem more anniversariorum celebrare.

Quodsi tandem Missae quidem pro Defunctis ex fundatione cantandae sint, sed absque die determinata, hae anniversariis adcenseri nequeunt, sed iis eo modo ac de Missis Defunctorum quotidianis resolvendum erit; de quibus infra.

Praemissa nunc anniversariorum notione ad quaestionem respondetur: anniversaria proprie dicta, item et Missae omnes, quas anniversariorum privilegiis gaudere diximus, cantari possunt in duplicibus etiam majoribus, non tamen de praecepto, nec in festis secundae classis, neque in dominicis, pariter non infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi. Ita S. R. C. 12ma Septembris 1671 et 5ta Julii 1698 atque secunda Septembris 1741. Demum, inquit Toss. Jos. Romsee, ob diei solemnitatem excipi potest Vigilia Pentecostes.

Itaque anniversario officio Defunctorum praenominatis diebus impedito, transferendum est cum eadem solemnitate, vel quod suadendum, anticipandum erit die praecedente, etiamsi impedita per officium de festo duplici majori, non tamen de praecepto. Ita S. R. C. 23^{tia} Maji 1603. In anniversario tamen translato, vel melius anticipato non debet oratio mutari, sed tota cantatur Missa sicut in ipsa anniversaria die. S. R. C. 5ta Julii 1698.

Haec vero translatio, vel anticipatio anniversariorum, ipsa die anniversaria impedita, est obligatoria ita, ut non sufficiat celebrare de die, applicando fructum sacrificii Defunctis. Nam S. R. C. 22da Decembris 1753: Obitus die impedito non potest pro Defunctorum anniversario cantari Missa de occurrente festo, vel feria privilegiata per applicationem.

Quodsi tandem rurales parochiani ex privata devotione saepe per annum anniversaria pro parentibus et aliis petant, S. R. C. 19ma Junii 1700 respondit: Ex privata devotione parochianorum petentium saepius per annum anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis et aliis Defunctis, potest in ruralibus ecclesiis cantari Missa solemnis de Requiem, in festo duplici minori; altera cantata de festo, ubi adsunt plures vel saltem duo sacerdotes; dummodo sermo sit de die vere anniversaria, a die obitus.

Q. V. *Quando legere vel cantare licet Missam in ordine quartam, dictam quotidianam?*

℞. Missas de Requiem quotidianas, uti et privatas in exequiis legere tantum, vel cantare licet iis diebus, vel festis, queis et legere licet, vel cantare Missas votivas privatas, de quibus §. praecedens. Igitur hae Missae quotidianae prohibentur primo: In festo quocunque duplici, etiamsi non de praecepto. Secundo: In omnibus dominicis. Tertió: Infra Octavas privilegiatas, de quibus responsione praecedente. Quarto: In vigiliis Epiphaniae et Pentecostes. Quinto: Feria quarta cinerum. Sexto: In omnibus feriis infra hebdomadam majorem. Et haec quidem variis S. R. C. decretis innotescunt. Neque diebus et festis exceptis celebrare licet Missam privatam de Requiem, ut indulgentiae in altari privilegiato suffragentur Defuncto, etiamsi et ita voluerit fundator; Indulgentiae enim hae eodem modo suffragantur, si praenominatis diebus, sive festis, Missa officio conformis in altari privilegiato pro Defuncto celebretur. Ita Alexander VII. Bulla *Creditae* 21ma Nov. 1664 et alii Pontifices concessere.

Q. VI. *Quis sensus rubricae, qua ponitur sub finem Missae quartae pro Defunctis: Epistolae et Evangelia etc.?*

℞. Rubrica sic loquitur: Epistolae et Evangelia superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in altera Missa similiter pro Defunctis. Huic rubricae occasionem verosimiliter vetera dedere Missalia, in quibus una tantum extabat Missa pro Defunctis, sed sub hac eadem Missa continenti serie quatuor Epistolae et quatuor referebantur Evangelia *). Cum tandem Ecclesia quatuor pro Defunctis Missas distinxisset, cuilibet Missae et suam Epistolam et suum assignavit Evangelium; ita tamen, ut sicut olim sic et nunc sacerdoti, vel solam Epistolam, vel solum Evangelium, vel utrumque ex alia et alia Missa eligendi facultatem fecerit **).

Suadendum nihilominus, ut servetur ordo ab ecclesia discretus, cum electio apposite facta noscatur. Aliquando tamen ad acuendam devotionem conducet variatio in Missis quotidianis.

Q. VII. *Quot in Missis Defunctorum dici debent, vel etiam possunt orationes?*

℞. Rubrica tit. 5. No. 3 statuit: In die commemorationis omnium Defunctorum dicitur *una tantum oratio,* etiam in Missa privata. Non tenentur sacerdotes ea die applicare pro omnibus Defunctis,

---

*) Romsee T. 1. p. 36 et 37. — **) Cavalieri Tom 3. cap. 10. Nr. 16.

uti declaravit S. R. C. 4. Aug. 1764 et sanctissimus Dominus Benedictus XIV. in suis literis 1748 *); pergit rubrica: et in die depositionis, pariter in Missis privatis, dummodo permittantur, unica tantum dicitur oratio. Haec Missa in die depositionis, cum una oratione, diebus non exceptis applicare potest animae, quamdiu corpus nondum terrae mandatum est.

Continuat rubrica: et in anniversario Defuncti unica dicitur oratio, dummodo uti supra sit anniversarium proprie dictum, vel Missa anniversariorum gaudens privilegiis.

Addit rubrica: et similiter in die tertia, septima et trigesima, nempe post obitum, dummodo tamen hi dies stabiliter et cum distinctione serventur. Et tandem subjungit rubrica: et *quandocunque pro Defunctis* celebratur solemniter.

Unde si Missa quotidiana cum solemnitate celebretur, utpote cum Ministris; vel his deficientibus cum thurificatione et cum concursu populi, in ea pariter una dicitur oratio.

Demum numerum tertium concludens rubrica: *In aliis* Missis plures, ut de feriis et simplicibus dicetur infra in rubrica de orationibus. Itaque in Missa Defunctorum quotidiana, saltem tres debent, et quinque vel septem dici possunt orationes; de quibus insuper S. R. C. 2da Sept. 1741. In Missis quotidianis, quae pro Defunctis celebrantur, possunt quidem plures dici orationes quam tres, sed curandum, ut sint numero impares ..... dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium*.

Ideoque prima oratio erit semper Defuncto conveniens, pro quo Missa celebratur; sequens oratio vel sequentes orationes erunt in arbitrio celebrantis, et ultima erit *Fidelium*.

Missa die *tertia* post obitum significat, ut in anima reparetur imago Ss. Trinitatis — Alcuinus — ut absolvantur a peccatis commissis cogitatione, verbo et opere — propter triduum sepulturae Christi Domini. Clem. lib. 6. constit. apost. c. 48. *Septima* dies significat totius vitae purgationem (Durandus). Trigesimae diei observatio antiqua est enim in veteri testamento, unde in morte Moysis et Aaron flevit populus triginta diebus, Num. Cap. 20. In novo testamento non caret mysterio, vel quia Christus baptizatus fuit agens annum 30, vel quia in hac mensura aetatis plenitudinis Christi omnes resugemus, hinc enim ortus est ritus triginta Missarum, a. S. Gregorio approbatus. (Amalar. Gavanti p. 80.)

---

*) Romsee Tom. 1. pag. 44.

Q. VIII. *An in omnibus Missis Defunctornm dici debet Prosa: Dies Irae?*

℟. Rubrica tit. 5. no. 4: Sequentia pro Defunctis dicitur in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum et depositionis Defuncti, et quandocunque in Missa dicitur una tantum oratio *). In aliis autem Missis pro Defunctis dicitur ad arbitrium sacerdotis. Ideoque in Missis omnibus pro Defunctis, in quibus unicam tantum dici debere orationem notavimus, Prosa *Dies irae* dici debet. Et quanquam in Missis aliis, in quibus plures dici debent orationes, eandem Prosam arbitrio sacerdotis relinquat ecclesia, celebrans tamen sedulo propriae intentus aedificationi et animarum refrigerio, vix unquam hanc Prosam omittet.

Q. IX. *An Missae Defunctorum celebrari possunt in ecclesia vel altari, in qua, vel quo expositum est ssmum sacramentum?*

℟. Si ssmum sacramentum in aliqua Ecclesia expositum sit ob causam publicam uti in precibus 40 horarum, in nullo altari celebrari possunt Missae de Requiem. Ita instructio Pontificum Clementis XI et XII **); pariter nunquam celebrari potest Missa pro Defunctis in altari, in quo etiam in pyxide tantum est expositum Ss. sacramentum.

Possunt tamen Missae Defunctorum celebrari in aliis altaribus, si ssmum sacramentum non sit expositum ob publicam causam; prout contingit, dum feria quinta cantatur Missa de vel coram Venerabili. Ita S. R. C. 8na Maji 1746.

Q. X. *Sacerdos habens officium duplex et celebrans in ecclesia, ubi habetur officium semiduplicis, vel ritus inferioris; potestne celebrare Missam de Requiem?*

℟. Secluso speciali privilegio: Negative; cum enim concordia personalis cum officio eundem liget, localis vero concordia sit libera, tenetur Missam legere suo conformem officio; Prout etiam decidit S. R. C. 7. Maji 1746. Ast eadem S. R. C. 23ma Augusti 1704 regularibus concessit: Religiosi celebrantes ex quacunque causa in aliena ecclesia, ubi non agitur officium duplex et fiunt exequiae pro aliquo Defuncto, vel anniversarium, seu simile officium pro Defunctis, etiamsi ipsi religiosi recitaverint officium sancti duplicis, possunt se conformare cum ecclesia, in qua celebrant. Ita refert Spyridion Talii num. 780.

---

*) Romsee Tom. 1. p. 44. — **) Romsee Tom. 1. p. 38. Nota 2da.

Ob eandem promovendam conformitatem in Coloniensi Archidioecesi Rev. Ordinarius 23ma Novembris 1721 sacerdotibus quibuscunque facultatem fecit, celebrandi Missam de Requiem in exequiis in ecclesiis, in qua officium est semiduplicis, vel inferioris ritus, quamvis iidem sacerdotes officium habeant duplex *).

Q. XI, *Sed quid si sacerdos habens officium semiduplex celebrat in ecclesia, ubi fit officium de festo duplici, aut aequivalens, potestne celebrare de Requiem?*

℟. Negative, quia conformiter pluribus S. R. C. decretis sacerdotem ligat concordia localis.

Q. XII. *In quibus Missae pro Defunctis ab aliis se distinguunt?*

℟. 1) In Missis Defunctorum omittitur Psalmus *Judica.* 2) Ad Introitum *non se signat* sacerdos; sed sinistra supra librum posita signum crucis dextra manu format versus Introitum. 3) Omittuntur *hymnus angelicus et symbolum.* 4) Ante Evangelium non dicitur: *Jube Domine, et nec Dominus sit in corde meo etc.* 5) Evangelio finito *non osculatur* celebrans *ejusdem initium* nec dicit *per evangelica dicta etc.* 6) Aqua vino miscenda non benedicitur. Dicitur tamen: Deus *qui humanae etc.* 7) Sub finem Psalmi Lavabo ommittitur Gloria patri. 8) Ad Agnus Dei praetermittitur trina pectoris percussio; et loco: *Miserere nobis;* dicitur: *Dona eis requiem,* et tertia vice additur: *sempiternam.* 9) Prima oratio ante Communionem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.* non dicitur. 10) Loco Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, semper in plurali versus altare dicitur: *Requiescant in pace.* 11) Sacerdos in fine Missae non benedicit populo, sed dicto Placeat etc. post altaris osculum ad cornu Evangelii legit Evangelium s. Joannis. Denique in Coloniensi Archidioecesi cruce non signat initium Evangelii s. Joannis, sed altare **).

In Missis Defunctorum et de tempore infra hebdomadam Passionis omittitur Ps. *Judica cum gloria patri* — de hac omissione creditur (Tournefort de sacramento Eucharistiae) partim fieri, quia sit Cantus laetitiae; sed praevalet opinio Doctoris Binterim, magnanimi ac eruditissimi illius viri, qui *militis fidelis instar* gravissimis ex causis compassus est cum venerabili nostro Archiepiscopo *Clemente Augusto.*

Im 4. Bande Theil 3, S. 295, sagt Binterim: „Daß die Auslassung des Psalmes „Judica" deshalb stattfinde, weil am

---

*) R. D. Mohren dixerit in praelectionibus tempore prius assignato „in Coloniensi *quondam* archidioecesi — sede nunc restituta omittimus *hoc verbum.*" — **) Romsee T. 1. p. 43.

Passions-Sonntage ohnehin im Introitus der Psalm Judica gebetet würde, und es bekannt sei, daß die Sonntags-Messe in früheren Zeiten und auch zum Theil jetzt noch die Norm der Wochen-Messe ist." Seine Gründe sind, daß es auffallend wäre, den Psalm Judica als Introitus am Sonntage zu singen oder zu beten; wenn er ein Zeichen der Freude sein sollte, so wie das factum, daß dieser Psalm auch im 16ten Jahrhundert in den Todtenmessen gebetet wurde *).

Am Schluße des 4. B. III. Th. Denkw. S. 572. sagt Binterim: „Damit wir nichts vergessen, was einige Wichtigkeit haben könnte, bemerken wir noch aus dem römischen Ordo des Cajetan, daß der Pabst nie eine feierliche Seelenmesse hält, sondern dieselbe durch einen Bischof halten läßt." Ordo Rom. XVI. Musei ital. pag. 417. —

§. XIV.

De Lingua et voce, qua uti in Missa oportet.

Q. I. *Qua lingua in Missa usi sunt Apostoli?*

℞. Quanquam silente scriptura et constante saltem traditione certo definiri non liceat, qua lingua in tremendis Mysteriis usi sint Apostoli, sat tuto tamen dici posse arbitramur, Apostolos divina celebrasse Mysteria lingua cuicunque genti propria, cui lux Evangelii eorum praedicatione affulserat.

Etenim cum Apostolis donum linguarum vel ideo obtigerit, ut omnium gentium linguis loquentes, eisdem fidei dogmata tradere possent, hinc credere fas est, eos eadem divinis Mysteriis vacasse lingua, qua et Evangelium annuntiarunt. Unde antiquissimae etiam liturgiae aeque praecipuae, vel chaldaica, vel graeca, vel latina lingua exaratae noscuntur, quae linguae tres, ecclesia nascente, principaliores in orbe praeprimis celebrabantur.

Q. II. *An Protestantes ecclesiam lingua nunc populo ignota in divinis utentem Mysteriis, merito carpunt?*

℞. Minime. Etenim ecclesia justissimis de causis lingua primitus vulgari quidem, nunc doctis tantum cognita celebrat sacra Mysteria. Quomodo enim et in docendo et in credendo Unitas posset conservari, si in ecclesia, quae terrae tantum limitibus circumscribitur, innumeris populorum linguis divina celebrarentur Mysteria et fidei traderentur dogmata? Quomodo ecclesiae pastores in tradendis

---

*) Bona R. L. L. II. cap. 2.

hisce fidei dogmatibus unius labii et sermonum erunt eorundem, si una quadam lingua omnibus nota inter se communicare possint minime? Quomodo ad suffocandas in ortu haereses vel extirpandas jam natas; quomodo ad suborta solvenda dubia in unum congregari, si lingua non sit docta una omnibus communis? Nonne tantum tolleretur ecclesiarum particularium se inter et unionis Centrum Romanum pontificem communio? Etsi cujusque gentis idiomate divina celebranda forent mysteria et administranda sacramenta; nunquid in immensum augendi forent et missales et rituales libri?

Numquid variante saepe lingua apud eandem etiam gentem, immutare toties etiam oporteret eosdem libros? Nunquid et substantialis saepe corruptio irrepere posset? Verbo, ut absolvamus omnia; tot tamque ponderosis ecclesia permota rationibus linguas Apostolorum aevo in sacris Mysteriis coeptas retinuit, ut sapiens nemo et partium liber hanc ecclesiae praxin sugillare praesumat.

Haec fuit et quondam praxis Synagogae; cum enim ad captivitatem usque Babilonicam lingua sancta esset communis et officia sermone omnibus noto celebrarentur, finita tamen captivitate Psalmos et scripturas Hebraico sermone cantare et legere perrexit Synagoga; quamvis populus hebraicae linguae oblitus, chaldaice loqueretur. Unde etiam antiquissima et immemorialis ecclesiae consuetudo eandem praxin sanctificat. Nec enim in Occidente alias, quae principaliores et vetustiores sint, quam latinas deprehendere licet liturgias.

In Oriente vero liturgiae vetustissimae vel graeco, vel chaldaico idiomate utuntur; quamvis tres nominatae linguae ubique gentium vulgares esse desierint *).

Quamvis vero alicubi vi indulti Apostolici lingua vulgari celebrari divina posse Mysteria fateamur, et celebrata jam fuisse noscamus ad promovendam facilius integrae alicujus gentis ad fidem conversionem, cum ad disciplinam spectet, in qua lingua divinis sit vacandum, nullum tamen inde generali caetero, qui ecclesiae praxi nascitur praejudicium. Synodus etiam Tridentina Sess. 22. Can. 9 decrevit: „Si quis dixerit, ecclesiae romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere . . . . . . Anathema sit.

---

*) V. C. Bona r. L. lib. 1. cap. 5. §. 4 et Benedictus XIV. de sacrificio Missae sectione prima.

Cum eadem Tridentina Synodus eadem Sess. 22. Cap. 8 mandet, ut qui animarum curam gerunt, ea, quae ad sacram liturgiam attinent, fideli populo explanent, hinc illa quoque refellitur Protestantium calumnia, qua spiritualem fidelibus ob linguae imperitiam auferri fructum dictitant.

Nec causae eorum favet Apostolus, qui (1. ad Corinth. Epist. cap. 14 Vers 8) scribit: Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Si benedixeris spiritu (V. 16), qui supplet locum Idiotae, quomodo dicet: Amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas nescit.

Etenim Apostolus de quibusdam tantum sive canticis, sive Dei laudibus, sive instructionibus loquitur, quas privati quidam Christiani accepto linguarum dono, lingua non omnibus nota, in publicis conventibus proferebant, queis proin communicare, vel quas approbare Amen respondendo non poterant, non intelligentes.

Si vero de Missae sacrificio lingua non vulgari celebrato sermo sit, norunt fideles, utpote instructi, quid ibi agatur; eumque sacerdotem sciant, qua ministrum ecclesiae publicum, nomine ecclesiae nonnisi ad Dei Gloriam maximam et ad suam totiusque mundi salutem hostiam Deo immaculatam offerre et pro se quaecunque bona postulare, hinc ad sacerdotis benedictionem prudenter Amen respondebunt.

Q. III. *Qua voce in Missa uti opportet?*

℟. Rubrica generalis tit. XVI vocem tantum duplicem distinguit, et primam quidem *claram,* alteram *secretam* nuncupat. Cum vero in ordine Missae quater voce mediocriter clara, vel aliquantulum elevata, uti jubeat; hinc inde triplicis nascitur vocis discretio. Primam ergo cum rubrica appellemus *claram;* alteram *aliquantulum elevatam,* seu *mediocrem,* et tertiam *secretam.* Porro vox celebrantis illa dicitur *clara*, quae ab astantibus commode audiri potest. Vox vero *aliquantulum elevata,* seu *mediocris,* quae a proximioribus celebranti percipi potest. Et demum *secreta*, quae ita efformatur, ut celebrans se ipsum audiat et a circumstantibus non audiatur.

Q. IV. *An Protestantes contra praxin ecclesiae utendi voce secreta, praecipue in canone, fundate excipiunt?*

℟. Contra praxin hanc et vetustissimam et gravissimis innixam rationibus, aeque minus ac contra linguam non vulgarem in Missae sacrificio excipere valent Protestantes. Hanc siquidem praxin non

tantum sacri Canones, sed graecae pariter et latinae liturgiae probarunt constanter ac custodierunt.

Ejusdem etiam praxeos s. Basilius et testem agit et patronum lib. de spiritu s. cap. 27: Certos ritus, inquit, praescripserunt Apostoli et patres in occulto silentioque Mysteriis suam servare dignitatem; neque enim omnino Mysterium est, quod ad populares vulgaresque aures offertur. (V. Dissert. XV. super usu penes omnes ecclesiae saeculis omnibus in eo posito, ut submissa voce, seu silentio precum pars in Missa recitaretur. Auctore P. Petro le Brun, explicat. Missae, Tom. IV. pag. 209 ad p. 382.)

Igitur ad majorem praecipue conciliandam divinis Mysteriis majestatem, et ex parte populi reverentiam, ad hujus etiam aeque ac sacerdotis acuendam attentionem devotionemque et ne audita quotidie a popularibus auribus et vilescant et in perversum saepe sensum detorqueantur, aliisque ecclesia permota rationibus, hunc ritum introduxit, sacravit, custodivit. Ideoque Tridentina synodus uti supra sess. 22 de sacrificio Missae cap. 9. definit: Si quis dixerit, ecclesiae romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse — Anathema sit. Congruit etiam profecto, ut sacerdos totius ecclesiae ad Deum legatus cum Domini sui majestate, de salute totius mundi tractans, velut alter Moises in monte solus et hinc inde secreto loquatur.

Novella Justiniani Imperatoris anno 541 promulgata Episcopis quidem et Presbyteris alta voce sacra Mysteria peragere praecepit; sed tantum abest, ut haec causae nostrae noceat, quin faveat maxime; nam eadem novella praxin corrigere praesumebat, quam antiquissimam et universalem invenerat. Nec novellae huic paruit ecclesia, nec ulli unquam fuit inserta sacramentario. Demum vocem secretam populi nutrire ignorantiam calumniantur Protestantes; quaestione enim secunda praecedente a suis respective pastoribus populum iis, quae in Missa aguntur, instrui respondimus.

Q. V. *Quaenam in Missa privata sunt clara voce exprimenda?*

℟. Rubrica tit. eodem N. 1. in Missa privata clara voce dicuntur.

1) Cum praevia cruce *Antiphona et Psalmus* ad *Introitum.*

2) *Confessio et quae sequuntur* excepta oratione: *Aufer a nobis, et oramus te Domine per merita sanctorum tuorum.*

3) *Introitus, Kyrie eleyson et Gloria in excelsis.*

4) *Dominus vobiscum.*

5) *Oremus, flectamus genua, levate.*

6) *Oratio, vel orationes, prophetiae.*

7) *Epistola, graduale, versus, tractus, sequentia.*

8) *Evangelium, Credo, Offertorium, Orate fratres*, solum haec duo verba, sed voce mediocriter clara, quia ordo Missae dicit: voce aliquantulum elevata.

9) Praefatio incipiendo a Per omnia saecula saeculorum. Sive demum haec verba compleant tantum praecedentem Secretam, sive simul Praefationi dent initium. Voce tamen midiocriter clara dicitur *Sanctus etc.* usque ad Hosanna in excelsis inclusive, quia ordo Missae vocem ad Sanctus mediocrem praescribit.

13) *Nobis quoque peccatoribus* solum haec tria verba, sed voce iterum aliquantulum elevata, uti praecipit ordo Missae.

14) *Per omnia saecula saeculorum* cum *Pater noster, per omnia saecula saeculorum, pax Domini, Agnus Dei ter. Sed Domine, non sum dignus,* haec quatuor verba tantum voce aliquantulum elevata, uti iterum jubet ordo Missae.

15) *Communio, oratio* vel *orationes, postcommuniones, humiliate capita vestra* Deo; *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* vel *Requiescant in pace;* benedictio ab illis verbis *Benedicat vos,* et *Evangelium: In principio, vel aliud* Evangelium addit rubrica: alia omnia dicuntur secreto.

Eadem rubrica eodem titulo N. 2: Neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui tunc temporis in eadem ecclesia celebrant; neque tam submissa voce, uti circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quae et ad devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quae leguntur, intelligant. Eodem numero pergit; quae vero secrete dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat et a circumstantibus non audiatur.

Q. VI. *Quaenam voce paululum elata, seu mediocri pronuntianda sunt?*

℟. Abductis responsione praecedente rationibus haec quatuor.

1) *Orate fratres.*

2) *Sanctus* usque ad Hosanna in excelsis inclusive.

3) *Nobis quoque peccatoribus* — haec tria tantum verba.

4) Et haec 4: *Domine non sum dignus* *).

Q. VII. *Quae tandem secrete in Missa dicenda sunt?*

℟. 1) *Aufer a nobis, et oramus te Domine.*

---

*) Romsee Tom 1. pag. 179.

2) *Munda cor meum, Jube Domine, et per evangelica dicta,* post Evangelium.

3) *Ab oblatione panis usque ad per omnia saecula saeculorum* ad Praefationem exceptis Orate fratres.

4) *Integer Canon* usque ad orationem Dominicam exclusive, exceptis tantum his tribus verbis: *Nobis quoque peccatoribus* *), quae voce aliquantulum elevata pronuntiantur.

5) *A finita oratione Dominica* usque ad Antiphonam, quae dicitur Communio, omnia dicuntur secreto, exceptis *per omnia* post fractionem hostiae, *pax Domini, Agnus Dei ter* et *quatuor* his voculis: *Domine non sum dignus.*

6) Tandem *Placeat tibi s. Trinitas.*

Ea secreto dicenda sunt, *quia secretum* Mysterium est. (Hugo Vict. c. 7.) Tum quia significatur, in hoc sacrificio latere sacrificia antiqua. (Amalari lib. 3. cap. 19.) *Tertio* et e contra hoc sacrificium latere in antiquis. (Gemma lib. 1. cap. 40.) Quarto silentium sacerdotis Christi indicat latibulum, (Innoc. III. lib. 2. cap. 54.) Multoties enim latuit in vitae suae cursu Christus, unde et in Missa multiplex silentium. *Quinto* in passione Christi discipuli nonnisi occulte confitebantur Christum s. Thom. 3. p. Qu. 83— art. 4. 6. — *Sexto* ut videatur sacerdos loqui cum Deo, quocum corde magis loquimur quam ore. Septimo ne populus afficiatur taedio, neque sacerdos loco clamare voce deficiat. (Gemma lib. 1. c. 103 *postremo* ne ipsa verba in sacrificio potissima assiduitate aurium vilescant. (Alcuin. de celeb. Miss. l. c.)

§. XV.

De rubricis generalibus, quae concernunt crucis signationes, inclinationes, genuflectiones, junctionem, extensionem manuum, atque incessum.

Q. I. *Quotuplicem rubricae crucesignationem praescribunt?*

R. *Vel parvam, vel magnam;* prima, seu parva primis ecclesiae saeculis unica a fidelibus frequentata, vel in fronte tantum, vel ad os tantum, vel in pectore tantum. Venerandae hujus antiquitatis vestigium ad initium Evangelii in Missa custodivit ecclesia, ubi in designatis tribus corporis partibus una cum celebrante populus Missae assistens sese signat. Verum a multo nunc tempore crucis parvae praeter illam ad initium Evangelii nullus usus, et caeteroqui crux

---

*) Romsee l. c. p. 178.

nonnisi magna (quae fit dextram a fronte ad pectus et dein ab humero sinistro ad dextrum ducendo) a rubricis formanda praescribitur.

Dies Zeichen, sagt Sailer a. a. O., (des h. Kreuzes) ist zunächst und seinem Ursprunge nach ein Ausdruck, eine Offenbarung des lebendigen Glaubens an Christus und zwar an Christus den Gekreuzigten, ein Ausdruck, eine Offenbarung der Zuversicht auf ihn, und der Liebe zu ihm, und eine Erinnerung an den Gekreuzigten, eine Belebung des Glaubens an Christus; hat also im ursprünglichen Sinne gebraucht, den doppelten Charakter alles Aechtliturgischen: es offenbaret Religion und belebet sie. (Seite 235—236.)

Dies Zeichen ist seiner ursprünglichen Bedeutung nach so sinnreich als erhebend. Sinnreich, denn es erinnert an den Erlöser Christus, und an die Erlösung des Menschen-Geschlechtes. Erhebend, denn es erhebt zu dem Entschlusse, sich des Gekreuzigten nicht zu schämen, ihm das Kreuz nachzutragen und den Tod zu verachten. Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. (August. in Psalm. C. XLI.) Sed jam levi circumcisionis dolore non opus est populo christiano, qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriae mortis inscribit contentum, utpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse. Quis enim acu utatur ad proelium, cum telis instructus sit validioribus. (Ambros. Epist. 12.)

Dies Zeichen war schon in den ersten Jahrhunderten der Kirche ein allgemeiner Gebrauch geworden. Jeder Christ bezeichnete bei jedem Geschäfte, bei jedem Besuche seine Stirne.

Tertullianus de corona milit C. 3. Quaecunque nos conversatio exercet, frontem crucis signo terimus. —

Crucis signum formatur a superiore parte ad inferiorem, quia Christus descendit in terram; ab humero sinistro ad dexterum producitur, quia de miseria, quae significatur per sinistram, transire debemus ad gloriam, sicut Christus de morte transivit ad gloriam. (Innoc. III.)

In cruce Domini maxima mysteria reperiuntur, videlicet, longitudo, latitudo, sublimitas et profundum. (Bonav. exp. Miss.)

Q. II. *Quae praxis crucis parvae, et quae magnae?*

℟. Signans se cruce *parva,* palmam manus sinistrae extensae quinque digitis sibi invicem unitis applicat corpori infra pectus; et pollice manus dextrae similiter compositae, parvam ducit lineam a parte frontis superiore versus inferiorem; et reducto dein pollice ad medium primae hujus lineae format transversam a parte sinistra ejusdem frontis versus dextram. Eadem praxis ad os et pectus esto.

Magna vero cruce se signans, praevia manus utriusque compositione paulo ante delineata *) extremitate digitorum dextrae tangit physice frontem, dein pectus supra manum sinistram, tum relevata directe dextra circa medium pectoris pergit tangere humerum sinistrum, et tandem paululum incurvata manu humerum dextrum. Finaliter nec os nec pectus tangendum; sed saltem sub sacro ministerio manus regulariter jungendae sunt.

Q. III. *Quae methodus servanda, quando sacerdos alia a se distincta cruce signat?*

℞. Si sacerdos ostensorio benedictionem populo impertiatur, pedem ostensorii ejusdem sinistra sua, et nodum manubrii dextra sua manu tenet, ita ut hostia sit versus superiorem pectoris partem; et sub finem hymni (non vero ad versum *„sit et benedictio"* ita S. R. C. 3tia Februari 1639.) elevat ostensorium linea omnino recta, donec s. hostia altitudinem oculorum in eam semper defixorum attingat, dein dimittit eandem infra pectus, porro relevat eam usque ad partem pectoris superiorem, exin ostensorium ducit versus humerum sinistrum et tractu continuo ad dextrum; ac finaliter a dextro humero reducit versus superiorem pectoris partem, ubi aliquantulum sustinet Ss. sacramentum a populo adorandum, et a dextra sua conversus ad altare in tabernaculum reponit (vide etiam tractat. 2dum Tit. 4. §. 6. no. 8.) **).

Quodsi sacerdos manu benedicat populo, sinistram corpori applicat infra pectus, dextram vero ad coelum erectam junctis digitis omnibus, attolit versus frontem et statim linea recta dimittit usque ad pectus; tum eandem dextram per eandem lineam relevat usque ad partem pectoris superiorem; tandem a sua sinistra ad dextram format lineam transversam sine ulla manus signantis inflectione.

Si sacerdos cruce signet aliquid super altare collocatum, palmam manus sinistrae extensis pariter digitis altari applicat; si vero extra altare res benedicenda sit locata, sinistram corpori infra pectus applicat, dextram interim unitis pariter quinque digitis extensam tenet ita, ut digitus parvus respiciat rem benedicendam, et dextra tota sustineatur aeque distans a re benedicenda; porro quoad fieri potest, extremitas digiti parvi correspondeat extremitati rei benedicendae, a qua extremitate dextram manum linea omnino recta retrahit ad aliam ejusdem rei extremitatem versus se ipsum, tandem

---

*) Romsee l. c. Tom. 1. p. 54. — **) Romsee Tom. 1. p. 58. §. VIII.

religens eadem dextra eandem lineam usque ad medium, format lineam transversam a sua sinistra ad dextram.

Q. IV. *Quae et quot a rubricis requiruntur inclinationes?*

℟. *Capitis* et *corporis,* seu capitis conformiter caeremoniali Episcoporum dividitur in *Profundam mediam* et *minimam. Profunda* exhibetur tali capitis depressione, ut et modica accedat humerorum incurvatio. Haec capitis inclinatio supremum *cultum* seu *latriae* defert e. g. pronuntiato nomine Jesu.

Media fit solius capitis magna demissione; et haec formanda praecipitur, cum nomen Beatissimae Virginis exprimitur, cui ob maternitatem Dei cultum sic dictum *hyperduliae* exhibendum esse Theologia tradit.

Minima tandem capitis inclinatio levi tantum capitis depressione formatur, estque debita pronuntiationi nominis sancti, cujus Missa, vel specialis celebratur commemoratio, non aliorum in Missa occurrentium. Hanc minimam capitis inclinationem nomen etiam Romani Pontificis in canone et collectis sibi vindicat.

Inclinatio corporis vel *profunda,* vel *mediocris* a rubricis exigitur. *Profunda* tantam corporis incurvationem postulat, ut brachiis cancellatis digiti utrumque genu attingere valeant. Hanc rubrica vult, si: *profunde se inclinet,* vel *profunde inclinatus,* dicit; *mediocris* corporis inclinatio mediat inter capitis profundam et corporis profundam, et tunc exhibenda, quando rubrica *aliquantulum, vel mediocriter inclinatus,* dicit *).

a. Quando sit inclinatio facienda *profunda,* nempe corporis.

1) Sub *Confiteor.*

2) „ *Munda cor meum,* et — *Iube Domine benedicere.*

3) Sub *Te igitur Clementissime Pater* usque ad *petimus* . . . . .

4) *Supplices te rogamus* post Consecrationem ad usque: *et quotquot.*

5) Si sacerdos de paramentorum loco, et

6) Si ad eum locum iterum accedat.

7) Denique si altare accedat in quo Venerabile *non* inclusum tum ante accessum, quam ante confessionem generalis initium licet coram incluso.

8) Antequam ascendat altare, si non est expositum vel inclusum,

9) Dum descendat Missam incipiens.

---

*) Romsee Tom. 1. p. 40. art. 6.

b. Secunda, *vel mediocris* nempe humerorum fit, quando rubrica praecipit aliquantulum esse inclinandum

1) ad *Deus tu conversus* usque ad *oremus* exclusive autem: *aufer a nobis*.

2) Ad *oramus te* post ascensum ad altare,

3) sub in spiritu humilitatis,

4) sub suscipe sancta Trinitas,

5) sub Sanctus usque ad Benedictus exclusive,

6) sub utraque consecratione.

7) sub tribus orationibus ante s. Communionem,

8) Sub tribus Domine non sum dignus,

9) Infra Communionem Corporis Christi,

10) Sub placeat tibi sancta Trinitas. *Capitis maxime,* quando talia proferuntur, quae exigunt cultum latriae v. g. *Gloria patri*, vel *Deum* exprimunt v. g. *adoramus te*. *Inclinatio* capitis habetur in constit. Apostol. lib. 8. cap. 15 et 32 canone Arabico.

Q. V. *Pro genuflectionibus quae regulae servandae?*

℟. Si unum genu flectendum sit, corpore et capite manentibus erectis, genu dextrum lente ad terram juxta talum pedis sinistri demittitur et eadem corporis capitisque rectitudine manente surgit *). Quodsi genu utrumque flectendum sit, quod, an fieri debeat, rubrica docebit, tum primo dextrum genu demittitur, uti ante, et deinde sinistrum. Dum vero surgitur, levatur primo pes sinister et dein dexter, qui sistitur juxta sinistrum.

Genuflectio duplex ex praecedenti quaestione esse eruitur, *simplex*, si *unum genu, duplex,* si curventur *genua duo*. *Duplex* praescribitur,

1) coram exposito in aditu altaris,

2) — — in descensu ad infimum gradum,

3) si incensatur altare in supremo gradu a suppedaneo,

4) in recessu ab altari coram exposito.

S. Basilius significationem ejus explicat: Quoties genua flectamus ipso facto ostendimus, quod ob peccatum in terram delapsi sumus et per humanitatem ejus, qui creavit nos, in coelum revocati sumus. Lib. de spiritu s. cap. 27; usus ascendit ad vitam Salvatoris Lucae 22. 41. — Jesus avulsus est ab eis, quantum est jactum lapidis, et positis genibus orabat. — Ita Stephanus. Act. Apost. 7, 59. Petrus Apostolus — Actor. 9, 40. Paulus cum fidelibus.

---

*) Romsee Tom I. pag. 53. §. III.

Ibid. 21, 5; post mortem usque ad nostra tempora merito descendit. Herm. past. lib. 1. vis 1. Constitut. apostol. l. 8. c. 9. Tertull. ad Scapul. cap. 4. Euseb. hist. eccles. lib. 2. cap. 23. Chrysostomus serm. 4 de anno; August. de civitate Dei lib. 22. cap. 8.

Simplex coram incluso vel non incluso.

1) In accessu ad altare,

2) in descensu Missam incipiens,

3) in recessu ab altari,

4) in utraque consecratione,

5) post consecrationem uti infra.

Usus genuflectendi ortum habet ab antiquis, et habetur expresse III. Reg. cap. 8. Finis ultimus duplex est ad orandum et adorandum (S. Ambr. lib. 6. Hexaemeron Cap. 9). — Flexibile genu, quo Domini mitigatur offensa, ira mulcitur, gratia promovetur. Alcuin. cap. de Parasceve: ait per hunc habitum corporis mentis humilitatem ostendimus; et Honorius in gemma lib. 1. cap. 117 ait: Cadimus in terram, ut Christum adoremus in carne, ut item memoremus, nos cecidisse in Adam, et mole corporis gravati ingemiscamus, utque lapsum animae nostrae in vitia, dum corpore ad terram cadimus, poenitendo fateamur. Unde et Rabanus lib. 2. de instit. Clericorum c. 41 inquit: Inflexio genuum poenitentiae et luctus est indicium. In liturgia s. Petri poenitentiam facere, est genuflectere — ita Lindanus.

Quandocunque sacerdos sacrificans ex praescripto Missalis aut libri Ritualis genua flectit, non leviter genibus se incurvet, sed ut adorantes Deum vivum et verum in spiritu et veritate decet, profundissime usque ad terram sese in genua demittat, et internam animi sui humilitatem ac reverentiam, externa hac adoratione *Deo* omnipotenti sacrificet. (Octav. frang. Episc. Tricar. in direct. Disc. Eccl. pro Eccles. Colon. tit. de divin. off.) Item Decreta Max. Henrici: quotiescunque etc. pag. 91.

Et quamvis Concilium Nicaenum (Canon. 20. in vulg. Exempl. vel 29no apud Turrianum) statuerit, non genuflectendum in Dominicis neque tempore paschali, sed a stantibus esse orandum ad significandam libertatem, ut ait Rupert lib. 8. cap. 3. quam Christus sua resurrectione nobis acquisivit, tamen non prohibuit adorationes cum genuflectione. Quoad circumstantes tum ad doctrinam in Missa privata audiendam, quam ad orationem et mysteria tremenda, titulo adorationis curvantur genua a populo in tota Missa. Paulus in littore Tyri genibus positis oravit (Act. XX). paulo post Pentecosten. — Praeterquam dum legitur Evangelium; ita decrevit Anastasius Papa (de tonsura dist. 2. apostolica): sacerdotes

et caeteri omnes ad Evangelium stare debent, ut promptiores se ostendant ad credendum et obediendum Evangelio; sed antiquior Clemens (lib. 2. constit. apost. cap. 61) testatur Apostolos constituisse, ut etiam Laici assurgant ad Evangelium.

Genuflectendum est, quando elevetur ss^mum sacramentum, quia adoremus Christum in sacramento (Honorius III de celebrat. Missae Cap. sane, et s. Chrysostomus apud Durandum lib. II. cap. 40.) et genuflectimus in expiationem blasphemiae Judaeorum, dicentes flexo genu: *Ave Rex Judaeorum* (Vide Turrecremat. in Canone quoniam de consecr. dist. 3); ab omnibus autem initio Canonis genuflectitur. Caeremoniale Episcop. lib. 2. Cap. 8.

Q. VI. *Quomodo manus jungendae, et quomodo extendendae?*

℞. Manus rite *junguntur*, si palma unius manus physice applicetur palmae alterius manus, et digiti applicantur digitis sursum erectis; pollex vero dexter imponatur sinistro ad normam crucis. Manus rite extenduntur, quando cujusque manus digitis sibi unitis, palma unius manus respicit palmam alterius et utraque manus attingat altitudinem et latitudinem humerorum *).

Extensae habeantur manus ante pectus
1) inter orationes ante epistolam,
2) inter secretas et praefationem et postcommunionem,
3) intra fere integrum canonem,
4) — orationem dominicam,
5) — collectas.

Supra altare manus jungendae sunt, ita tamen, ut annularii digiti supra altare, auricularii vero ante antipendium ponantur **).

1) Sub oramus te Domine post accessum ad altare,
2) — in spiritu humilitatis,
3) — suscipe s. Trinitas,
4) — initio canonis *Te igitur*.
5) — genuflectione, quae immediate fit post hostiae consecrationem.

---

*) Romsee Tom I. p. 60. §. III.

**) His praemissis facile dijudicari potest, contra Ecclesiae mentem in mandatis rubricis esse, tegumenta altaris mensae lignea adhiberi, quae, cum non adeo sint unita mensa lapidea, ut reddant unum, rubricam illam praecipientem: ut manus in altari sint ponendae: supra altare jungendae: osculandum sit altare etc. ridiculam et inexplicabilem efficiunt. Aeque oportet, ut antipendia non tam larga taenia tecta sint, qua impediatur osculum ipsius altaris, cum altare, non lignum osculari debet.

NB. Hic tamen digiti auriculares similiter intra corporale positi esse debent.

6) Sub supplices te rogamus,

7) sub tribus orationibus ante s. communionem.

8) — placeat tibi in fine Missae.

Extensio manuum mos antiquissimus teste Tertulliano de orat. cap. II. Minut Felix in Octav., Chrysostom. in Expos. psalmi. Paulino teste oravit s. Ambrosius porrectis manibus ad horam usque natalitiarum suarum. — Gentium Doctor ait: Volo, viros orare in omni loco, puras manus sine ira. (Tim. 2, 8.)

Manus sint junctae ante pectus extra altare

1) ad Munda cor meum, et ad jube Domine benedicere,

2) sub Sanctus usque ad Benedictus ecclesiae,

3) sub initio tantum primi agnus Dei.

Exceptis tamen Missis Defunctorum, in quibus manus junctae ante pectus extra altare tenentur toto tempore trium Agnus Dei. — Manuum junctio tempore Nicolai I. nota erat (ad consulta Bulgar. cap. 54).

Quot fiant in Missa oculorum elevationes?

℟. Decies 1) antequam incipiat munda cor meum,

2) sub suscipe s. Pater, et non ultra,

3) — toto tempore oblationis calicis,

4) — veni sanctificator, et non ultra,

5) ante verba suscipe s. Trinitas,

6) sub Deo nostro in gratias agamus,

7) ante verba Te igitur,

8) sub verbis: Et elevatis oculis in coelum ante consecrationem panis,

9) dum species panis post consecrationem eleventur.

NB. Visus debet dirigi versus hostiam et cuppam calicis, quia ibi adorationis objectum.

NB. Quod coram exposito non ad crucem, sed ad augustissimum sacramentum fieri debeant elevationes, et quod cum oculis caput elevari non debeat, sicut non cum corpore caput solum.

Denique extra numeratos casus elevare oculos est contra rubricam ideoque cavendum, ne praescriptae elevationes omittantur aut augeantur.

Q. VII. *Qualiter rubricis conformari debet incessus?*

℟. Talis modestia, talisque gravitas moderentur incessum, qualis

tantam tantorum mysteriorum, quae celebrantur, decet majestatem. Gressus igitur sit lentus, corpus erectum, oculi demissi, elevata mens sursum. Omnis tamen etiam exulet affectatio *).

§. XVI.

De praeparatione ad Missam.

Q. I. *Quotuplex Missae praemittenda praeparatio?*

℟. Duplicem rubrica a sacerdote praeparationem ad Missam exigit, *remotam* unam, et *proximam* alteram.

Q. II. *Quibus perficitur praeparatio remota?*

℟. *Remota* praeparatio tribus praecipue perficitur.

1mo eximia animi corporisque puritate.

2do Jejunio naturali et

3^{tio} persoluto Matutino cum Laudibus.

Ac primo quidem ad animae integritatem quod attinet, notissimum omnibus est, hanc sacramentali tunc comparandam esse confessione, si lethalis conscientiam macula inquinet. „Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.“ 1 ad Corinth. cap. 2, quam probationem ecclesiastica consuetudo de confessione semper intellixit, inquit Trident. sess. 23. cap. 7. Unde eadem s. Synodus ibidem declarat, per contritionem divino non satisfieri praecepto. Quodsi divina celebraturo mysteria nil confessione expiandum conscientia exprobret, oportet tamen memorem esse illius Apostolici: „Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est.“ 1 Cor. c. IV. v. 4, et quia nescit homo, utrum amore an odio dignus sit. Eccles. 9. v. 1. **) Antiqui sacerdotes suam semper infirmitatem suspectam habentes, humanique cordis pravos profundissimosque recessus formidantes, cum timore et tremore confitebantur, quam saepissime, jugibusque sese poenitentiae operibus exercitabant. Et profecto, quis securitatem dare ausit sibi, inter millena, queis sacerdotem conflictari oportet pericula, etiam non advertenti, sed culpabiliter multa irrepere noxia, multa e memoria excidere, negligentias in officio etiam graves committi? Ideoque sacerdotes etiam felicissimis primis ecclesiae temporibus operaturi sacris, quamvis confiterentur saepissime, prolixis tamen poenitentialibus instabant precationibus, quas apologias ideo nuncupabant; quia iisdem sese excusabat sacerdos, quod peccator

*) Romsee Tom I. p. 61. — **) C. Bona r. l. lib. 2. cap. 1. p. 489 et 490.

et indignus ad sacra praesumeret accedere mysteria. Plures apologias refert Menardus p. 242 et in Appendice.

Neque sufficiet sacerdoti a noxis cavisse lethalibus, vel eas expiasse; haec enim praeparatio minima vel a laicis requiritur, veniales etiam defectus vigili debuit vitasse vel correxisse cura, animamque omnigena exornasse virtute. Quanta enim laicum sumentem inter et sacerdotem conficientem augustissimum sacramentum differentia dignoscitur, tanta et praeparationem debet distinguere diversitas. De corporis porro integritate, ne Theologis nota taediose repetamus (Bona p. 492), sufficiet notasse, non uniformia olim de innoxiis nocturnis illusionibus fuisse judicia. Caeteroqui Responsum S. Gregorii Magni ad undecimam interrogationem S. Augustini Anglorum Episcopi, quod Gratianus (Papa) decreto inseruit distinct. 6. cap. 1. placet afferre, nempe: consideret quisque, e qua radice illa processerit inclinatio. Dein sedulo perlustret, quomodo tentationis se gesserit tempore; desuperque cum suae directore conscientiae prima conferat opportunitate, et num casu recurrente celebrandum, an a celebratione abstinendum sit, deliberet.

Jejunium naturale altera est remota a celebraturo praerequisita praeparatio. De hac utpote, vel laicis notissima multa dicere erit operam perdere. Juvabit tamen paucis notasse, hanc ecclesiae disciplinam, cujus initium alicubi non invenitur, ad prima esse referendam tempora, et ab Apostolis traditam, uti multis probat C. Bona*).

Quamvis vero disciplina haec non semper ab aliquibus particularibus fuerit custodita; contrariam tamen hanc observantiam concilia et patres, tanquam abusum scelusque grande damnarunt; gravissima anathematis et depositionis poena castigarunt; et tandem eliminarunt ubique.

Tertia tandem praeparatio remota obligat celebraturum ad persolvendum praevie Matutinum cum Laudibus; erat haec quondam Graecis disciplina sancta, ut cum die postera sacrum foret celebrandum mysterium, noctis praecedentis totius pervigilium, et a sacerdotibus, et a populo servaretur. Testatur quippe Socrates lib. II. Hist. ecclesiast. cap. 8. referens Athanasii fugam: „Vespera quidem erat; populus autem per totam noctem vigilabat, quia synaxis futura erat“ **).

Autores plures, inter quos numerantur S. Antonius et S. Rai-

---

*) R. l. lib. 1. cap. 21. §. III. p. 423. — **) Romsee Tom IV. art. 7. p. 42 et seq.

mundus, affirmant, horum omissionem esse peccatum *grave,* nisi adesset causa gravis excusans; alii autores repugnant. In dubio autem tutior pars eligenda.

Hoc mandatum fuit in Concilio Coloniensi anno 1280 *).

Nec ab hac disciplina aliena quondam fuit ecclesia romana; non enim vel in ordine romano, vel in sacramentorum libris, Missarum legimus peracta solemnia mysteria, nisi prius in ecclesia nocturnae vigiliae cum Laudibus essent persolutae. Unde et ritum eundem etiam nunc servandum esse docent regulae romano Missali praefixae, quibus hora celebrandi determinatur §. IV. p. 492 **).

Ideo officium istud a nocte, *nocturnum* dicebatur; ex quo autem matutino persolvitur tempore, *Matutinum* compellari consuevit. Itaque hae preces matutinales cum Laudibus usu antiquissimo semper tanquam praeparatio praemittendae erant Missae solemni.

Easdem vero privatae etiam Missae praemittendas, Missale Romanum praescribit Tit. X. N. 1, ubi in defectus in celebratione Missarum occurrentes recenset: Si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. Quanta vero haec sit obligatio, Benedictus XIV de sacrificio Missae lib. 3. cap. 13. N. 4 docet: si sermo sit de Missa conventuali, peccatum videri mortale, Missam ante matutinum et Laudes celebrare; quia generali id adversaretur ecclesiae consuetudini ***).

Privatis vero Missis Matutinum cum Laudibus non praemittere, subsistente rationabili causa, ne veniale quidem videri peccatum. Cum vero Missale defectibus annummeret, non recitato Matutino cum Laudibus Missam celebrare; a veniali non erit immunis peccato, qui sine causa nominatas omiserit preces matutinales.

Q. III. *Proxima praeparatio sacerdotis quae postulat?*

℟. Quatuor, *mentis recollectionem,* dein precum quarundem recitationem, tertio devotam vestium sacerdotalium assumptionem, et quarto sacrorum tandem vasorum praeparationem.

A primo quidem postulat mentis recollectionem; si enim jussu spiritus sancti fidelis quilibet ante orationem debeat animam praeparare, ne fiat sicut homo quasi tentans Deum (Eccles. 18.) quantam quaeso mentis recollectionem exiget functio angelicis humeris for-

---

*) Vide Sion 1839 Sept. Heft Nr. 105. Vorbereitung zur h. Messe von Bischof Dr. Heinr. Hoffstätter in Passau p. 1027 et fac similiter.“

) Bona r. l. Lib. II. cap. 1. — *) Romsee Op. Lit. T. IV. p. 45.

midanda; imo quam obeundi ne coelestibus quidem spiritibus facta est facultas.

Et si unquam a terrenis omnibus abstractum et divinis totum immersum esse mysteriis oporteat sacerdotem, profecto urgentius nullum erit illo temporis puncto, quo Servator gratam a celebraturo postulat memoriam passionis et mortis suae. Itaque negotiis sacerdos valedicet quibuscunque, totum sese intra se recolliget, sanctamque praeprimis dominicae passionis memoriam instaurabit, sicque et obtemperabit *matri ecclesiae, quae jubet, ut aliquantulum vacet orationi.*

Praeter animi recollectionem antiquus ecclesiae usus obtinuit, ut psalmorum quorundam recitatione sese ad Missam praeparet sacerdos. Missa, quam vulgavit Matth. Flaccus Illyricus, praescribit: ut, antequam adsumat sacerdos sacras vestes, si tempus feret, septem psalmos poenitentiales cum precibus recitet, quibus adjungit alios septem psalmos. Missale Hispalense editum anno 1534 jubet, *dici* septem psalmos poenitentiales, vel *quam dilecta* .... cum reliquis, qui hodie in Missali Romano notantur. Horum caeteroqui psalmorum nec Ordo Romanus in prima, tertia, et quarta descriptione Missae, nec Amalarius, nec Alcuinus mentionem faciunt. Ex horum igitur silentio C. Bona *) conjicit, hos psalmos circa annum Domini 900 ante Missas solemnes recitari coepisse **).

Interim rubricam de illis quinque psalmis directivam esse innuunt verba: praeparatio ante Missam pro opportunitate sacerdotis facienda. Ideoque pro sua quisque devotione eosdem psalmos aliis supplere precibus poterit; quanquam suadendum, ut hosce psalmos, quorum autor spiritus sanctus est, aliis sacerdos praeferat precibus, eo magis, quod ecclesia eodem spiritu sancto directa eosdem una cum precibus praeparationi ad sacrificium accommodatis selegit.

> Sacerdos in administratione sacramentorum intentionem facere debet, juxta mentem ecclesiae agenda agere. „Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt ac conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia, anathema sit.“ (C. Trid. Sess. 7. Can. 11.) Dieser Satz stützt sich auf die Absicht Jesu Christi, nicht bloße bewußtlose Maschinen zu Ministern seiner Sakramente zu machen, sondern Männer, welche wissen, was sie thun (1. Cor. 4. 1) ***).

Immensa hujus Sacramenti dignitas, infinita Domini, quem hic

---

*) §. II. p. 491. rer. lit. lib. II. §. II. p. 492. — **) Romsee Op. Lit. Tom IV. p. 47. — ***) Schmidt, Liturgik, Bd. 1. S. 49.

vere tractamus et recipimus, majestas omnino requirit, ut nonnisi singulari cura ac praeparatione res tam sublimis peragatur. *Opus enim grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo* 1. Paral. 29. Causa (quod tremens dico), quare multi quotidie celebramus et post multos sacerdotii annos modica ex hoc incruento sacrificio et mirifico Sacramento dona coelestia recipimus, quia parum parati vita bona et consideratione sancta ad ipsum manibus offerendum et ore sumendum accedimus (ita P. Jacob. Alvae de Pag. de vitae Relig. instit. lib. 1. cap. 8. part. edit.)

Justum est, ut instante celebrationis hora conetur sacerdos exuere cogitationes omnes a futura actione alienas, et omnes de terrenis rebus curas ad fores seu valvas templi deponere, ut sola anima et intellectu comitante ad altare procedat (Molina Inst. sacerd. Tractat. 6. cap. 3). Nemo devotionem, quam cupit in Altari inveniet, si non eam ante per sedulam praeparationem quaesierit: (Joh. Trithem. Bened. Abbas Sponheim de tripl. regio. claustr. edit Busaei.) — Augustus Confalonerius Mediolanens Soc. Jesu: „Vocans gravem illusionem, cum quis ex negotio, aut studio, se confert ad sacristiam, facturus illico sacrum, nulla prorsus, aut brevissima et languente facta praeparatione; cum alioqui commode se potuisset colligere. Mirum est, ait, quod muscae aut horpyae non ad polluendum sacrificium, sed ad inquinandam hujus hominis mentem et distrahendam involent et incursent.

Hi sunt, qui breviter Missam expediunt, aut certe ex evagatione gravi persaepe errata admittunt. *Hi sunt,* qui graves non raro sentiunt conscientiae morsus, num satisfecerint ministerio et ea, quae sunt substantialia in toto mysterio expleverint.

Hi sunt, qui sacrificio peracto, quasi mucrones sentiant et lancearum cuspides toto corpore, ita orationem et gratiarum actionem obrumpunt, non modo ad studia revertentes, verum etiam ad nugas. *Hi sunt,* qui faciunt admirationem populi, vulgoque facile obloquenti, quomodo homines tremenda conficientes Mysteria pene quotidie pastique Deo ipso, ita tamen praecipites agantur perturbationibus animi, adeoque moribus corrupti (in opuscul. de celebr. Miss.).

Homo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo: nec accedet ad ministerium ejus. (Levit. 21.)

Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos (Exod 19). Sacerdotes sancti erunt *Deo* suo et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini, et panes *Dei* sui offerunt, et ideo sancti erunt. (Levit 21.)

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a caeteris populis, ut essetis mei. (Ibid. 26 et 21.)

A nullo plane *Deus* omnipotens majoris injuriae praejudicium tolerat, imo deterius nemo peccat, quam sacerdos, qui sacrificat indigne. (Petrus Dam.)

Bellarminus Card. ait: Considerate jam, quam triste et deplorandum sit spectaculum, videre sacerdotem divina mysteria peragentem, Angelorum choris undique septum, qui ad ea, quae ipse operatur et loquitur, stupent ac tremunt, et prae admiratione ingentes clamores excitant: et tamen sacerdos in medio positus totus frigidus, et quasi stupidus non attendit, quid agat: non intelligit, quid loquatur: et ita properat ad finem, ita signa involvit, quasi latrones post tergum haberet, et satis temporis ad fugiendum non esset, et tamen ut dixi, non propterea singultum conscientiae patitur. Sic res sacrae contemnuntur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia datur haereticis. Clamamus in Sacramento altaris Christum ipsum esse, et interim nonnulli ita se gerunt, ita ista Sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent, et quasi Deum marmoreum vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret. Sed mihi credite, Deum omnipotentem et vivum habemus, qui non dormit, nec irridetur; et omnia videt, omnia audit, omnia notat; et aliquando omnes injurias suas ulciscetur, et irrisores suos ipse videbit, cum eis repentinus venerit interitus. (Conc. 9. Dom. 4. Adv.) Preces ante sacrum consuetae constant ex quinque psalmis, ut, quidquid sacerdos quinque sensuum transgressione commisit, quinque psalmorum oratione detergat. Quarti l. c.

Hac igitur altera pariter pro Missa praeparatione proxima pergit rubrica tit. 1 de praeparatione sacerdotis ad Missam: Accedit (sacerdos) ad locum in sacristia, vel alibi praeparatum (non tamen in altari, nisi ubi aliter fieri nequit, et tunc non in medio altaris, sed ad cornu Evangelii sacris se induet vestibus) accipit Missale, perquirit Missam; perlegit (ut si qua commemoratio forte cum oratione officii eadem sit, illam mutet; vel si quid aliud sit notandum, notet) et signacula ordinat ad ea, quae dicturus est, (ne inter celebrandum volvendo et revolvendo diutius folia, vel se de ignorantia vel negligentia suspectum reddat, vel populo ob moram taedium creet) postea lavat manus. (Lotionem manuum vel ethnici sacrificium oblaturi adhibebant. Eadem ad Hebraeos religio fuit Exodi 30. Labrum aeneum cum aqua in templo positum legimus, ut sacerdotes

tabernaclum ingressuri manus lavarent *). Hinc eundem in finem veneranda antiquitas pro novae legis sacerdotibus non tantum, sed et fidelibus Laicis cantharos et conchas aquam continentes, vel etiam fontes ante fores templorum praeparavit; quatenus sacrificia, vel preces oblaturi puras ad Deum manus levarent **), et lotione externa internae admonerentur puritatis ***). Quae enim ratio est, inquit Tertullianus lib. de orat. cap. 11. manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? Sacerdos deinde praeparat calicem. Deinde super ejus os ponit purificatorium mundum (et super purificatorium cochlear parvum) super illud patenam cum hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea; tum velo serico †). Super velo ponit bursam coloris paramentorum (ita collocatam, ut pars illius aperta respiciat corpus sacerdotis calicem gestantis) intus habentem corporale plicatum.... (Igitur Latini in sacrario absque omni caeremonia panem patenae superimponunt; vinum vero calici infundunt, et aqua miscent in altari, post oblationem hostiae. Ast Graeci majori cum apparatu id ipsum praestant in minori altari ad laevam majoris posito, quod altare minus *prothesis* dicitur, ubi dona sacranda primo proponuntur, et 1^{mam} quodammodo sanctificationem sacerdotis precibus consequuntur ††).

Calice vestito sacerdos ad sacra pergit paramenta, et ad singula, quae assumit, preces in Missali praescriptas recitat — Bona §. VI. p. 493. quarum nec ordo Romanus, nec Amalarius, nec alii scriptores saeculi noni mentionem faciunt; unde vero 900 eas posteriores esse merito suspicari licet.

Pergit rubrica loco citato: sacerdos calceatus pedibus et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem pedis talum attingat, induit se.

Vestis, quae pedis talum attingit, inde *talaris* dicta est, *qua indutum vult rubrica sacerdotem celebraturum.*

Unde si is eandem non portet constanter, saltem eam ante Missam superinduat. Tolerari vero minime debet, vestibus sacerdotes indutos profanis et quandoque polymitis, tremendis appropinquare mysteriis. Hos profecto severam a Jesu eucharistico expro-

---

*) Bona r. lit. lib. 2. cap. 1. §. V. pag. 493. — **) Ut spiritualiter mundet actus Innocent. III. Lib. 1. c. 49. — ***) Romsee Tom IV. § IX. p. 50. — †) Romsee Tom I. p. III. p. 80. — ††) V. Bona bis supra citato §. VII. p. 494.

brationem formidare oportet. Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem. Matth. 22. v. 12. — Rubrica continuat.

Ac primum accipiens *Amictum* circa extremitates et chordulas osculatur illum in medio, ubi est crux, et ponit *super caput* et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria (*utique ecclesiastica*) circumtegens ducit chordulas (ante pectus in modum crucis) sub brachiis et circumducens per dorsum ante pectus reducit et ligat (interim dicens). *Impone Domine* *).

Amictus significat humanam in Christo naturam, qua tecta est Deitas, quae est caput Christi **).

Amictus significat operum fortitudinem, etiam velamen, quod Christi oculis obtentum est — seu spineam coronam, nam Amictus velat caput, non faciem ***).

Amictus . . . velamen significat, quo faciem Christi in domo Caiphae illudentes percutientes Judaei operuerunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit †). Significat fidem, fundamentum totius aedificii spiritualis, quae licet in omnibus, maxime tamen in hoc mirabili sacrificio necessaria est celebranti ††).

Tum *Alba* induitur, caput submittens, dein monicam dextram brachio dextro, et sinistram sinistro imponens, albam ipsam corpori adaptat; elevat ante et a lateribus hinc inde (interim dicens *Dealba me Domine* et *Cingulo* per ministrum a tergo sibi porrecto se cingit (*non circa pectus sed renes*) (dicens, praecinge me Domine). Minister elevat Albam supra cingulum, circum circa, ut honeste dependeat et *vestes tegat,* ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter supra terram aequaliter fluat.

Alba, qua cordis significatur munditıes — vestis alba, qua ab Herode Christus ad ludibrium indutus est, et (ut ait G. Biel l. c. p. 7) ad Pilatum remissus est — (et l. c. p. 9) corporis, mentisque candorem, munditiam et castitatem significat.

Cingulo, quod sacerdotalem continentiam — funes, quibus medius constrictus est Christus in horto, vel (juxta Durandum lib. III cap. 4.) flagellum a Pilato jussum.

Cingulum, manipulus, stola, tria ligamina, quibus Christus ligatus est in captione, flagellatione et crucis bajulatione (G. Biel l. c. p. 7). — Quamvis cingulum non incongrue ipsa flagella, quibus (ipsum ambientibus) flagellatus (pag. 8) vin-

---

*) Romsee l. c. Tom I. §. IV. p. 81. — **) G. Biel Exp. in Can. p. 8. ***) S. Thom. 3 part. 983 art. 5. — †) Gabr. Biel Expos. Canon. p. 7. — ††) Idem p. 8.

culum caritatis, quo nostram naturam Dei filius sibi copulavit. (Ibidem.)

Sacerdos accipit *manipulum*, osculatur crucem in medio, et imponit brachio sinistro (dicens *Merear Domine*); gestatur vero manipulus infra cubitum; deinde ambabus manibus accipiens *stolam* simili modo deosculatur, et imponit medium ejus collo ac transversando eam ante pectus in modum crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem ad dextram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram, sicque utramque partem stolae extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit (interim dicens) *Redde mihi Domine;* postremo sacerdos accipit *planetam* dicens . . . *).

Manipulus, qui vincla Christi — vincla, quibus sacrae manus tanquam hominis nefarii adstrictae sunt. (Innoc. III.) Manipulus, quem laeva gestat, bravium felicitatis aeternae, quam Christus in hac vita obtinuit **), vigilantiam ac cordis devotionem sacerdotis designat ***).

Stola, qua collum circumduitur, quia jugum Christi suave — funes, qui collo ipsius Domini injecti sunt, cum crucem bajulans ad montem Calvariae duceretur — juxta Durand. cap. 5. ligaturam ad columnam — vel crucem. s. Thomas loc. cit.

Induit eum stola byssina 1. Matth. 41, 42. cito proferte stolam byssinam. —

Juxta G. Biel. (pag. 7) ipsum crucis patibulum in humeris gestum. — Obedientiam Christi (pag. 8). — Stola obedientiae humilitatem, qua suave jugum Domini et leve onus ferendum est, — cujus duo fines potentiam et prudentiam vitae sacerdotalis necessarios designant. (Ibid pag. 9).

Casula vel *planeta,* quae velut vestis nuptialis significat caritatem, quae jugum Christi suave facit, — vestem purpuream, quae data est Christo in domo Pilati. Planetae usus reperitur jam saeculo septimo. (Conc. Tolet. IV. anno 638 celebratum. Cap. 28.)

Casula vestem purpuream significat, qua in praetorio Pilati dominus post flagellationem (tenerrimum Christi Corpus undique perfundentem) indutus est, illusus, percussus et inimicis Judaeis ostensus †). Planeta, quae vestis est superior caeteris formans et superexcellens ac tegens, caritas est, quae et vestis nuptialis dicitur, qua si caret sacerdos, in

---

*) Plura de vestibus sacris V. supra §. 7. — **) G. Biel. l. c. p. 8. — ***) Ibid. p. 9.) — †) G. Biel. l. c. p. 9.

hoc regali ac nuptiali convivio ligatis manibus et pedibus ejicietur in tenebras exteriores *).

Sex numero sunt vestes sacerdotales, in quarum sexario numero ait Zachas (Ant. de Missa lib. II. C. 1.) recolenda est illius passio, qui sex diebus mundum creatum — *sexta* aetate, *sexta* die et *sexta* hora eundem reparavit. Cogitet igitur sacerdos, cum se induit sacris vestibus, ex apostolo: „Induimini Dominum nostrum Jesum Christum virtutibus internis, ita se similem reddit, ac spiritu alia animae dona et ornamenta roget.

§. XVII.

De Ingressu sacerdotis ad Altare.

Q. I. *An ingressum sacerdotis ad Altare magna olim praecedebat et concomitabatur solemnitas?*

℞. Duplex quondam processio praecipua sacerdotis ad offerendum sacrificium euntis memorari meretur.

Prima quidem e propriis aedibus, et hanc ipsam eximia magnificabat praecedentium et subsequentium pompa, si celebrans erat Episcopus. Alteram a sacrario ad altare, processionem non minor illustrabat apparatus. Praeparato enim et suis ornato vestibus celebrante, antiquus in ecclesia romana mos obtinuit, ut praecentor stans coram Pontifice, ejusdem ad psallendum expectaret nutum; cumque annuisset praecentor ante fores secretarii egressus ministris acclamaret.

---

*) Biel l. c. p. 9.

Sion 1837 pag. 1040, Eichstädt. „Die Congregation der Ritus in Rom hat schon im Jahre 1819 eine Verordnung erlassen, nach welcher zu Humeralien, Alben, Altartücher, Corporalien, Kelchtücher und Pallen, nur aus Flachs oder Hanf gewobene Stoffe gebraucht werden dürfen. Das hochwürdige Ordinariat in Eichstädt hat diese Verordnung den Geistlichen der Diözese zur Darnachachtung bekannt gemacht, und beigefügt, daß der hochwürdigste Herr Ordinarius gestatten, die noch vorhandenen — d. h. aus Nessel, Batist, Mousselin, bis zu ihrer Unbrauchbarkeit ferner zu benutzen, um dem Kirchenfonds nicht eine Last aufzulegen, welche viele jetzt nicht tragen könnten. Dabei wird bemerkt, daß der Gewinn, welcher aus der Anschaffung von baumwoll'nen Zeugen dem Kirchenfonds zugehen soll, nur scheinbar sei, indem eine Albe von geringerem Leinen besser kleide, als die von feinerem Mousselin und dabei eine dreifache Dauerhaftigkeit habe." Ergo parochos oportet, ut suis hoc mandatum delucident, ut si quis dona offerre velint suadeant sibi secum normam allegatam faciendi, vel offerendi.

Sacerdos procedens ad altare, calicem ante pectus portans repraesentat Christum, passionis calicem semper ante oculos mentis habentem et intra pectus ob ingens illum bibendi desiderium *).

Accendite. Tunc tandem Pontifex magno cum apparatu e sacrario, quod olim in inferiori ecclesiae parte esse consuevit, per navim medium chorum procedebat ad altare **),

Sub Mandato Praesulis *Accendite*, videtur lumina accendisse solita.

Praecedunt flammantes cereoli, quos gestant candidis induti lineis vestibus ceroferarii, aut ad minimum ad altare ingredienti sacerdoti cerei accenduntur, in signum gaudii, quod in ortu Salvatoris omni mundo effulsit, de quo Angelus ad pastores (Lucae 2): *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Procedente autem sacerdote, quod omnis populus in genua velociter se prosternit, ad memoriam nobis reducit pastorum simplicitatem et humilitatem, qui audito novi gaudii nuntio festinantes ad praesepe adoraverunt Christum Salvatorem mundi. Itemque magnam illam Magorum fidem, quos stella novae lucis ad novum Virginis partum ex longinquis partibus adduxit adorandum cum muneribus.

Si ad omnes sacras functiones sancte accedendum, et omnes sancte peragendae sunt, multo majori sanctitate hoc divinum sacrificium offerendum est, quo nil sanctius, nil excellentius, nil divinius esse potest. Ad hoc omni conatu niti debes, christiane sacerdos, si tam sublimi et tremendo ministerio rite et perfecte fungi desideras. Qua in re ut tibi prosim, documenta quaedam generalia praemittam: deinde sigillatim proponam aliquot considerationes pro singulis sacrificii partibus, ex quibus pios elicere affectus possis et mentem utiliter occupare, ne distrahatur. Neque deterrearis, si hujusmodi considerationes et affectus aliquanto fusius explicavero: licet enim multis verbis describantur, possunt tamen in momento elici, nec Missae celebrationem solito prolixiorem reddent, ut re ipsa experieris; nam ipso usu memoriae tenaciter infigentur, adeo ut eos quasi naturaliter eliciturus sis, absque ulla capitis fatigatione aut ulla confusione.

Primum generale documentum est, ne toto sacrificii tempore Deum offendas ullo peccato veniali, nec ullo defectu et imperfectione tam venerandi sacrificii contamines. Id vero assequeris, si ea reverentia, attentione et devotione celebraveris,

---

*) Hugo de S. Vict. l. c. — **) C. Bona lib. II. cap. 2 et Martene de antiquis eccles. ritib. lib. 1. cap. 4. Art. 2.

quae omnem, vel levissimam animi evagationem excludat, si exactissime et scrupulosissime observaveris, quidquid in Missali praescribitur circa ritus et caeremonias eo modo, quo a viris serio perfectioni incumbentibus observari solent.

Secundo omnia verba, quae sive elata, sive submissa voce proferuntur, clare, distincte, ferventer, et absque ulla festinatione pronunciabis, nil interim mente revolvens, quantumvis bonum et sanctum videatur, quod a propria et litterali verborum significatione alienum sit, ut te menti ecclesiae conformes, quae omnes Missae preces, lectiones et sententias magno cum delectu ad sacerdotis et astantium instructionem et devotionem seligit. Ad hoc autem plurimum proderit, omnes Missae ritus perspectos habere, eaque omnia probe intelligere, quae tum in Lectionibus, Collectis, Evangelio, Versibus et caeteris hujusmodi, tum in Canone continentur, quae facile disces ex eorum lectione, qui de officiis ecclesiasticis scripserunt; quales sunt Isidorus, Amalarius, Rabanus, Berno, Hugo Victorinus, Rupertus abbas, Dionysius item in libro de ecclesiastica hierarchia, Germanus in Theoria rerum ecclesiasticarum, et ex recentioribus Gabriel Biel in Canonem, Durandus in rationali, Joa. Bapt. Scontia de sacrificio Missae, et alii plures; etiam omnibus his usus fui, et quod ad finem spectabat propositum, huic operi addidi.

Affectus vero elicies, quales infra proponam, eorum, quae recitas et agis, sensui et significationi convenientes.

Tertio sicut in Missali praecipitur, antequam sacris te vestibus induas, Missam celebrandam perquiris — perleges — et ad ea, quae dicturus es, signacula ordinabis, ne tibi postea contingat, aut in verbis haesitare, aut in caeremoniis deficere, aut perturbari. Utinam contrarium hujus consilii nunquam perspiceremus!

Quarto processurus ad altare, Crucifixum . . . . . humillima inclinatione salutabis, te tanto mysterio indignum reputans, atque ideo ipsius Christi sanctorumque opem implorabis. Tum ipsum Christum mente intueris, quasi cruce onustum et ad Calvariae montem iturum, ante te incedentem. Sequere ipsum primarium offerentem, cujus passio et mors a te debet repraesentari; sequere, inquam, cum modestia et gravitate, et agmina Angelorum te undique stipantia venerare; teque existima ex hoc mundo in coelum transferri.

Quinto cum perveneris ad Altare, coelum tibi desuper veluti apertum contemplare, et curiam coelestem, Deumque ipsum spectantem te pro universa Ecclesia hostiam libantem immaculatam. Memineris poenam mortis olim indictam bestiae, quae montem tetigisset, idque tibi applica hominum pessimo, et timorem concipe. Mox in Deum assurgens, satage quantum

potes ferventissimos actus caritatis elicere, cupiens in Christum totus converti, eique simillimus fieri virtutum imitatione. Cum denique librum aperis, memor esto libri, quem aperuit angelus, et septem signaculorum ejus, et desidera Christi fidem in universum orbem propogari *).

Q. II. *Quae a sacerdote ante egressum e secretario observanda sunt?*

℟. Rubrica de ingressu sacerdotis ad altare tit. 2. sacerdoti e secretario egressuro praescribit, quae sequuntur: Sacerdos itaque paramentis ornatus caput Birreto tegit, accipit manu sinistra manubrium calicis, dextram superimponit bursae, portatque calicem ante pectus. S. R. C. 1. Sept. 1703 decrevit: Sacerdotes non debent deferre manutergium super calicem tam eundo quam redeundo ab altari **).

Quodsi ergo sudariolo indigeat sacerdos, congruit ut album sub planeta ad dextram cingulo appendat. Reliqua, quibus opus esse poterit sacerdoti, quippe *specillum, clavis tabernaculi etc.* supra calicem gestari nequiunt, sed praevie ad altare deferenda sunt. Calicem porro a sacerdote ipsomet ad altare deferendum esse, eadem praescribit rubrica; nisi ergo justa excuset causa, utpote senium, debilitas, infirmitas etc. contra rubricam delinquens sacerdos ipsemet calicem non portans.

Accepto calice, cruci vel alteri imagini in sacrario exhibet capitis cooperti inclinationem, vel profundam, vel mediam, vel minimam; prout fuerit nempe imago vel crucifixi, vel beatissimae Mariae Virginis, vel alterius sancti.

Tum accedit ad altare praecedente ejus ministro, si fieri possit superpelliceo induto, qui portabit cum Missali alia ad celebrandum necessaria; nisi haec jam ante fuerint praeparata.

Non sic apud nos. — Stamus! genua nequimus curvare, quin imo nos (populus) vix genua curvare possumus; si ad adorandum species sacras sacratasque elevet sacerdos, et cum minima, si opera dignum existimamus (mimos agimus) capitis inclinatione sine pudore, salutamus Deum coeli et terrae.

O felix Bavaria. Monachiis flectit jam modo genua quisque, in platea vel ubicunque sit, si pulsatur campana Angelus Domini.

O ut et inter nos hic, et alii veteris Ecclesiae mores in

---

*) C. Bona Tract. ascet. pag. 101—105. — **) Romsee T. 1. p. 84.

usum veniant! Generatim sollicite debent sacerdotes in explicatione Liturgiae id agere, ut mores veteres in populo fideli resurgant, ut cum antiquo more descendat super nos misericordia divina. Salus etenim mundi pendet a sacerdote bono, ferventi ac vero. Sicut rex, ita grex; Amen dico vobis, ut sicut Jesus noster redemptor omnes salvos fieri voluit, ita impossibile est, ut pastorem pro suo grege ferventer impetrantem inexauditum dimittat? dictum est: petite et accipietis, non dictum est: comedite, bibite, omnia lucrifacietis, etsi repugnetis mihi — menti sponsae meae, attamen exaudiam vos? — potius evomere te incipiam ex ore meo.

Q. III. *Quem rubrica sacerdoti incessum praescribit?*

℞. Procedit sacerdos corpore erecto, et oculis ad terram demissis, incessu gravi, mente ad Deum elevata, et meditatione passionis mortisque dominicae occupata *). Nil tamen vocaliter recitandum, prout in recessu ab altari ordinat rubrica: non vero in accessu ad altare. In via neminem salutabit, nisi Praelatum, vel Magnatem, coram quo transit et quidem capite cooperto, prout et sacerdotem ab altari recedentem, cui a dextris suis pro transitu locum dabit.

In processu ad altare hic admirare verbum divinum passioni destinatum egrediens de sinu patris. (Gavant. l. c.)

Sacerdos se patri pro nostra salute offerentem repraesentans . . . . animo commemorans, quemadmodum Christus bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum **).

Sacerdote tandem ad sanctum altare ingressuro debet tam ipse sacerdos, quam et tota Ecclesia praesens dilatare animam suam et amplo fidei sinu tenere memoriam incarnationis, passionis, resurrectionis et ascensionis D. N. Jesu C. et memoriam sanctorum, qui tum ab initio mundi votis expectaverunt, gestis praefiguraverunt, dictisque scriptisque prophetaverunt, et in eorum contemplatione in voces erumpere praecinendo Antiphonam, quae dicitur ad Introibo ***).

Veteris Testamenti sacerdotes velato capite offerebant. Sacerdotes econtra novi detecto offerre debent, quia caput nostrum nobis Jesus conspicuus et manifestus est †).

Q. IV. *Quam sacerdos altare majus transiens exhibere reverentiam debet?*

℞. Si transeat altare majus, in quo non est tabernaculum, vel

---

*) Romsee Tom. 1. pag. 85. — **) G. Biel l. c. pag. 11. — ***) Rupert. Tuitiensis lib. 1. cap. 28. de div. off. — †) Cornel. a Lapide l. c.

si sit, non actu continens ss. sacramentum, capite cooperto exhibet cruci inclinationem profundam; si altare majus actu contineat ss. sacramentum, uno genu flectit capite manente cooperto. Si tandem ss. sacramentum in altari sit expositum, licet in pyxide tantum, flectit duobus genibus capite tecto, quod detegit post genuflexionem nec prius; tenetque biretum dextra inclinata supra bursam, ita, ut bireti apertura respiciat pectus sacerdotis. Dein capitis inclinatione profunda adorat ss. sacramentum. Tum adhuc flectens reimponit capiti biretum, surgit, et sine ulteriori reverentia externa iter ad altare, in quo celebraturus est, prosequitur *). Ad dictorum confirmationem juvabit afferre duo S. R. C. Decreta. Genuflectio utroque genu est facienda a transeuntibus ante ss. sacramentum, etiamsi fuerit in pyxide patenter expositum, 7ma Maji 1647, et alterum: Sacerdos Missam celebraturus privatam dum transit ante altare, in quo est expositum ss. sacramentum, post factam adorationem flexis genibus aperto capite, dum se erigit, caput cooperiat, 7ma Septemb. 1638.

Q. V. *Quid si sacerdos transeat altare, ubi ab alio sacerdote Missa celebratur?*

℟. Si transeat, vel ante consecrationem, vel post communionem, nullam exteriorem tenetur exhibere reverentiam. Quodsi vero transeat infra consecrationem, flectit utroque genu, deponit birretum et ea observat omnia, quae responsione praecedente coram exposito ss. sacramento observanda, notavimus. Cumque elevantur sacrae species, capitis inclinatione adoret easdem, nec surgit prius, quam celebrans deposuerit calicem super corporale, et tecto capite surgens, iter prosequitur. Si vero transeat altare, in quo celebrans ad eam pervenit Missae partem, quae inter consecrationem peractam et communionem inclusive mediat, unico genu flectit capite cooperto; cum enim sacramentum corpore celebrantis intermedium sit absconditum. Sicut eidem incluso unius genu flectio exhibenda est, ita et in casu nostro.

Quodsi sacerdotem contingat transire altare, in quo reliquiae solemniter expositae sunt, non tenetur externam quandam exhibere reverentiam, nisi sint reliquiae sanctissimae Crucis, coram quibus uno genu flectere tenetur. S. enim R. C. 15. Sept. 1736 decrevit: Si loco principe reliquia s. Crucis super altare fuerit exposita, tum transeuntes ante illam unico genu usque ad terram venerari

---

*) Romsee T. 1. p. 87.

debent, diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata reliquia recondita erit intra Custodiam.

Q. VI. *Quam reverentiam praestabit sacerdos transiens populi communionem?*

℟. Flectit utroque genu et praestat omnia, quae praestare tenetur coram exposito transiens sanctissimo Sacramento; vide Quaest, IV. non tenetur tamen exspectare, donec finita sit populi communio.

Missam celebraturus transiens ante altare, ubi fit populi communio, non debet permanere genuflexus, donec et quousque determinatur communio. S. R. C. 5ta Junii 1698.

Q. VII. *Quae observabit sacerdos adveniens ante altare, in quo celebrabit?*

℟. Caput manu dextra deteget et biretum ministro porriget, tum, si in altari sit crux tantum, profundam corporis inclinationem exhibebit. Quodsi adsit tabernaculum actu continens ss. sacramentum, uno flectet genu super infimum altaris gradum sine omni capitis inclinatione.

Q. VIII. *Quae sacerdotem post adventum ad altare agere oportet?*

℟. Praemissa vel corporis inclinatione profunda, vel genu unius flectione, corpore erecto ad medium altaris ascendit, ibique ad cornu Evangelii sistit calicem; statimque profunda capitis inclinatione crucem veneratur, junctis simul ante pectus manibus.

Hanc capitis inclinationem cruci sacerdos durante Missa praestabit toties, quoties vel ad medium altaris accedit, vel ab eo recedit; vel quoties coram exposito ssmo sacramento celebrans in eodem altaris medio genuflectere tenetur. Quodsi ad medium veniens conformiter rubricae exhibere debeat corporis inclinationem, vel altare osculari a praemittenda dicta capitis inclinatione deobligatur. Peracta capitis inclinatione bursam accipit manu sinistra, dum interim dextram ad altare deponit, qua tamen mox corporale e bursa extrahit, bursam vero sinistra manu deponit erectam juxta tabellam secretarum versus cornu Evangelii *). Ambabus dein manibus corporale expandit in altaris medio, ita tamen ut plica superior primo extendatur versus crucem; inferior vero *plica*, quae versus sacerdotem est, clausa maneat ad offertorium usque, ne velo calicis residuae e prioribus sacrificiis particulae dispergantur, et haec

---

*) Romsce Tom. 1. §. IV. p. 88, 89, 90.

ipsa plica sacerdotem versus post communionem prima claudi debet, ut sic sacerdotes celebraturi noscant semper, in qua plica prioribus in sacrificiis positum fuerit corpus Domini. Corporali sic extenso, manum dextram superimponit calici, et sinistra accipit nodum manubrii ejusdem calicis, sicque eundem collocat supra plicam corporalis clausam versus sacerdotem, velumque illius decenter componit. Si est consecraturus plures hostias pro communione facienda, quae ob quantitatem super patena manere non possint, locat eas super corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato, vel vase mundo benedicto ponit eas retro post calicem, et alia patena seu palla cooperit. Rubr. de ingressu sacerd. N. 3. Calice collocato jungit manus et praevia capitis inclinatione profunda versus crucem accedit ad cornu epistolae, verso totaliter latere sinistro ad altare, et Missale super pulvino, vel pulpito quiescens aperit, reperit Missam et signacula denuo suis accommodat locis. His dispositis iterum jungit manus et latere dextro ad altare verso regreditur ad medium altaris, et exhibita cruci profunda capitis inclinatione vertens se a dextra paulisper de medio versus cornu Evangelii, ne directe descendens tergum vertat tabernaculo, vel cruci, descendit oculis demissis post infimum altaris gradum ad planum capellae, ut ibi faciat confessionem. Quodsi altare plures habeat gradus diversi ordinis, descendit post gradum ultimum primi ordinis. Si vero nullum gradum altare habeat, recedet ab altari ad distantiam tantam, quanta ordinarie inter ultimum gradum et altare mediare consuevit. Quodsi vel ante descensum, vel in ipso descensu, Missa nondum inchoata, in vicino altari elevetur s. sacramentum, in loco, in quo erit, utroque genu flectet nec surget prius, quam celebrans calicem elevatum reposuerit super corporale.

§. XVIII.

De principio Missae et confessione facienda.

Q. I. *Quos ritus et quas caeremonias sacerdoti praescribit rubrica a Missae initio ad introitum usque?*

℞. Rubrica tit. 3. a numero 1mo ad undecimum usque sequentes sacerdoti ritus et caeremonias praescribit: Stans itaque post descensum sacerdos in plano capellae ante infimum altaris gradum, manibus junctis ante pectus, cruci exhibet profundam inclinationem corporis, vel ss^mo^ sacramento in tabernaculo (non vero in armario

laterali parietis) incluso, genu dextri flectionem, et erectus incipit Missam crucis signo.

Sacerdos conscius propriae humanae infirmitatis, ut se humiliet coram Deo; descendit sub infimum altaris gradum, ubi se crucis signo armat, a quo ex traditione Apostolica omnium actionum christianorum suum sumant initium — teste Tertull. de Corona militis Cap. III. Cavendum celebranti sub Missa ab omni indecoro et absurdo capitis, oris et reliqui corporis motu *).

De initio Missae usque ad Introitum.

Calice rite collocato, et missali aperto stans paulisper in medio altaris et facta cruci inclinatione, te cum Abrahamo quasi pulverem et cinerem ante conspectum Domini confiteberis, imitans Christum, qui coelos inclinavit et descendit formam servi accipiens: quo enim humilior fueris, eo gratior et acceptior erit Deo oblatio tua. Mox descendens ad crepidinem altaris verbi aeterni recole incarnationem, ejusque dilectionem et admirabilem promptitudinem ad opus nostrae redemptionis suscipiendum. Iterata autem inclinatione te intime humilia et Deum adora pro omni creatura. Dum signo crucis te signans dicis: In nomine patris etc. animadverte, quale et quantum sit nomen, a quo sacrificium auspicaris, et sic te gere, ut tantam decet majestatem. Magni momenti est ss. Trinitatis praesentiam initio concipere, et ab ea nunquam deflectere; ad ipsam enim et ad ejus gloriam oblatio dirigitur; ejusque memoria robur tribuit ad improbos hostium conatus elidendos, qui semper tentant variis et inutilibus curis, atque imaginationibus mentem a sacrificio avocare. Sic concepta Dei praesentia, duos affectus raptim elicies, fidei contra infideles trinitatem negantes, et recordationis crucis Christi atque passionis in ea completae, ex qua fluxerunt omnia bona; hos autem affectus ad omne signum crucis renovabis.

Sequitur antiphona „*Introibo ad altare Dei,*“ quae ter repetitur ante psalmum, in ipso et post ipsum, ut intelligas spirituali impulsu et alacritate, ac summa veneratione totam Missae actionem peragendam esse, omni abjecta tepiditate. Admirare Dei bonitatem, qui te vocavit ad Altare suum; quis enim es tu, ut ad ipsum audeas introire? Ora abscondite in abscondito faciei Domini a conturbatione malorum spirituum, ne immittentes terrae phantasmata divinum perturbent minis-

---

*) Azor l. 10. c. 29. q. 2. — Soto in 4 Dist. 13. q. 2. a. 5 ad 12. — Sylvius 3. p. qu. 83. a. 5.

terium. Ora etiam renovari in te animae juventutem, quae est fervor spiritus, ex quo vera et solida praecedit laetitia.

Ad 1. Versiculum psalmi „*Judica me Deus*“ considera, ea praeparatione et dispositione ad altare accedendum esse, ut Dei judicium non pertimescas, ut discernaris a gente non sancta et iniqua, sisque purus et sine macula ante Deum, quantum fert humana fragilitas. Hanc autem puritatem humiliter petes, cum certa fiducia meritis Christi obtinenda.

Ad 2. „*Quia tu es Deus*“ Erubesce, quod toties tanti sacramenti divino alimento confortatus adhuc imbecillis es, adhuc tristis incedis, et cuicunque levissimae tentationi turpiter succumbis. Merito ergo repellit te Deus, merito te affligit inimicus, nisi ipse suppeditet vires, qui ut fortitudo tua et robur tuum.

Ad 3. *Emitte lucem tuam.* Pete divinum lumen, ut veritatem a vanitate discernens ipsam sequaris veritatem, cujus splendoribus interior sensus illustratus cum externo concordet sacrificio. Mons vero sanctus, qui in hoc versiculo commemoratur, altare est, Calvariae montem indicans, quia in eo Christi passio et mors repraesentanda est.

Ad 4. *Et introibo.* Magnum renova in te reverentiae affectum erga altare et sacrificium.

Ad 5. *Confitebor tibi in cithara.* Excita in te cordis laetitiam, quae per cytharam significatur, sed statim oculos ad tuam imperfectionem reflectens ingemisce et dic: *Quare tristis es anima mea etc.*

Ad 6. *Spera in Deo* ne despondeas animum; restat enim spes in salutari tuo, in quo tota fiducia collocanda est, quoniam ipse dabit, ut obtenta culparum venia, in ipso gaudeas, inque ejus laudibus perseveres.

Hac spe excitatus dicis cum ingenti fervore *Gloria patri et filio,* caput inclinans et offerens te ad omnia adversa adque mortem pro Deo sustinendam. Tum repetita antiphona *Introibo,* ut bene memineris, quo ingredieris et quid aggrederis; dices: *Adjutorium nostrum,* ut discas ponere fiduciam non in tuis viribus et industria, sed in eo, *qui fecit coelum et terram,* a quo duplex adjutorium postulabis, pro consequenda aeterna salute et mediis ad eam necessariis, et pro illa peculiari necessitate, pro qua offers sacrificium.

Subditur statim generalis confessio, quia *justus prior accusator est sui,* quam humiliter recitabis, actum eliciens contritionis, ut est distincta ab attritione, dolens scilicet de peccatis tuis et totius mundi super omnia mala, idque pure propter Deum super omnia bona dilectum, dabisque operam, ut verba illa: *mea culpa* cum magno doloris sensu proferas, et cum bona spe divinae misericordiae pro tuis et aliorum

peccatis. Confiteris autem non solum Deo creatori, redemtori et judici tuo, sed etiam B. Virgini, cujus innocentem filium sceleribus tuis interfecisti; B. Michaeli Archangelo, cujus obsequiis te ingratum exhibuisti; B. J. Baptistae et aliis sanctis, quorum monita et exempla contempsisti, fratribus quoque, quibus scandalo fuisti. Agnoscens autem fragilitatem et necessitatem, auxilium eorum imploras, quibus confessus es, ut pro te orent, quod humiliter facies; et cum astantes pro te preces fundunt dicentes: *Misereatur,* dum etiam ipsi confitentur, dum sequentes versiculos recitas, illum in te spiritum excitabis, quem verba sonant, a magno animi ardore et devotione.

Osculum altari semper figes tenero amoris affectu erga Dominum Jesum Christum, cum intenso desiderio semper ei adhaerendi, et ideo brevem sed ferventissimum amoris elicies actum *).

Si celebraturus sit coram summo Pontifice, sistit se ante infimum altaris gradum a latere, seu cornu evangelii ante ipsum Pontificem, ubi utroque genu flexus expectat ejusdem benedictionem, hac accepta erigit se et in eodem loco in plano capellae ante infimum altaris gradum aliquantulum versus ad altare incipit Missam.

Quodsi sit celebraturus coram Cardinali (juxta Gavantum ubique terrarum) coram Legato sedis Apostolicae aut Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis, non flectens sed stans ante infimum gradum altaris a cornu evangelii exspectat signum aliquod, quo dato facit profundam reverentiam Praelato et ibidem versus ad altare incipit Missam, recitatque cum ministro omnia, de quibus statim. In confessione vero coram s. Pontifice, Cardinali et dein Legato sedis apostolicae vel Patriachia, Archiepiscopo et Episcopo in eorum provincia, civitate vel Dioecesi constitutis loco: „*vobis fratres*“, dicat, „tibi pater“ et in fine loco „*vos fratres*“, dicat, „*te pater*“ quod utrumque dicens summo Pontifici uno genu flectit, et aliis Praelatis profunde se inclinat. Minister tamen non Praelato, ne quidem s. Pontifici sed celebranti paulo ad ipsum conversus dicit „*tibi pater et te pater.*“

Tandem dicto „*Oremus*“ si coram s. Pontifice aut aliis Praelatis celebret, facta genu unius flectione s. Pontifici et aliis Praelatis profunda reverentia, accedit ad medium altaris et prosequitur prout infra. Non praesente s. Pontifice, vel Praelato sacerdos stans ante infimum altaris gradum in medio, palmam manus sinistrae ex-

*) Card. Bona de sacrif. Miss. tractat. asceticus pag. 105, 109.

tensae, quinque digitis sibi invicem unitis applicat corpori infra pectus et extremitate digitorum dextrae extensae tangens physice frontem, dicit voce clara: *„in nomine patris"* et tangens pectus supra manum sinistram dicit *„et filii"* et tangens humerum sinistrum dicit *„et spiritus"* et tandem tangens humerum dextrum, et *„sancti Amen."* Dein manus jungit.

Cruce hac formata non attendit porro ad elevationem Ss[mi] sacramenti in alio altari. Idem tenet de ministris in Missa solemni; non item in Missa privata, nisi functione quadam impediantur *).

Sacerdos formata cruce et manibus ante pectus junctis voce clara pronuntiat antiphonam *Introibo,* et minister retro post eum ad sinistram genu utroque flexus respondet: *ad Deum etc.*

(*Introibo,* quo admonetur, quid acturus — qua antiphona etiam nil aptius in initio Missae. — Sacerdos dein cum Ministris, ut communis sit utriusque ad altare ascendentis fiducia, orat psalmum *Judica,* quem regius propheta cecinit, cum patria exul se solabatur spe Hierosolymam tandem revertendi, quo sibi ad altare Domini liceat accedere et sacrificia offerre. Hunc Psalmum praescripsit Coelestinus I. P. M. saeculo V. ad versum *Judica:* petit liberari ab exilio cordis, quod subinde non sanctis in cogitationibus versatur. Ad versum *Emitte:* optat media luce et veritate ad montem Calvariae et ad tabernaculum christianorum ascendere. Ad versum *Confitebor*: petat illam animi serenitatem et pacem, quae virtutes animi perficiat et actui religioso conveniat. Denique ad Hymnum glorificationis *Gloria patri:* quem ex traditione Apostolica accepimus, sanctissimam trinitatem laudat, et sic se praeparet ad ingressum altaris, invocat sacerdos divinum auxilium ex Ps. 131).

Sacerdos incipit et prosequitur alternatim cum Ministro Psalmum *Judica* usque ad Doxologiam *„gloria patri,"* sub qua usque ad Ly: *spiritui sancto* inclinatione capitis profunda crucem veneratur.

(*Gloria patri* . . . ex instituto Damasi Papae additum fuit, quanquam longe ante Damasum composita fertur a Nicaena synodo. Baronius autem ab apostolis ex s. Basilio comprobat fluxisse anno 325. — Nicaenum addidisse *„sicut erat"* hoc probat Baronius ex Concilio Vasense Can. 7. Tempore passionis — omittitur laus Trinitatis (Micrologus cap. 52) tum, quia introitus sunt de passione Christi tum, quia propter humiliationem capitis nostri proximam, omittenda est glorifi-

*) Romsee T. 1. p. 91.

catio sanctissimae Trinitatis, in qua filius Dei est idem cum aliis personis divinis). *)

Tum repetit Antiphonam *Introibo,* ministri responsione subjuncta *ad Deum* format dextra crucis signum sub versu: *Adjutorium nostrum*... et *quidem dicens* ad frontem *adjutorium,* ad pectus nostrum, ad humerum sinistrum, *in nomine* et ad dextrum *Domini.* Addita ministri responsione, *qui fecit,* sacerdos altari profunde se inclinat et manibus junctis dicit: *Confiteor* . . . voce quidem clara, quae tamen testis sit cordis vere compuncti.

Confiteor a Pontiano Papa praescriptum — dici potest ex apostolica traditione ortum. Bened. XIV. — alteram tamen habent formam Liturgia 1. Marci et Jacobi. — Confessionem dicit sacerdos, ut ait Pontifex Pontianus; quia „Justus in principio est accusator sui. Proverb. 18. 17. — ut excitentur pii motus poenitentiae et leviores remittantur culpae ac mente puriori Deo placeat. *Trina pectoris percussio* cordis significat contritionem ducta ab exemplo publicani, qui pectus sibi percutiens peccata sua confitendo veniam a Deo impetravit. Lucae 18. — Ab apostolis ortum esse hic ritus **).

Per confessionem ibidem B. Mariae V. et sanctis fieri solitam eorum apud Deum intercessionem pro remissione peccatorum efflagitare conamur, atque omnino laudabiliter, quum illi nos aliquando sint judicaturi Matth. 19. 28. Sacerdos divinam misericordiam implorabit illis verbis: *Misereatur* et populo et sibi indulgentiam petit, oratiuncula *Indulgentiam,* et subsequentibus orationibus peccatorum petit veniam, inter quas ea est, quae per totam Missam saepius dicitur: Dominus vobiscum (Ruth 11. v. 4.) et ex verbis Gabrielis archangeli Beatam sine labe conceptam Virginem Mariam ita salutantis desumpta (Lucae 1. 28). Ea jam usa est synodus Braccarensis anno 563 et postea ab ecclesia universaliter introducta ***).

Nemo ausus sit nomen alicujus sancti extra eos, qui in Confiteor nominantur, addi, nam ipsum nomen patroni Ecclesiae non sine speciali Indulto sedis Apostolicae nominari licet †).

Indulto gaudent nonnulli religiosi coetus v. g. ordines S. Dominici, quibus fundatoris nomen addi concessum est.

---

*) Ita Durandus lib. VI. cap. 60 in Dom. de passione. — Amalari de eccles. off. lib. IV. cap. 20. — **) Navar. de hor. canon. cap. 4. — ***) Bellarmin Lib. II. de Missa cap. XVI. 2. — †) Merati Tom. I. p. II. tit. 3.

Proferens verba *mea culpa*, semel *mea culpa*, et iterum et *mea maxima* culpa et *tertio* percutit pectus extremitate digitorum dextrae manus paulisper incurvatae, digitis vero unitis manentibus et manu sinistra infra pectus posita. Et junctis denuo manentibus prosequens finit confessionem manetque inclinatus, donec Minister finierit *Misereatur tui* . . . et sacerdos ipse dixerit *Amen*. Quo a se dicto et a ministro *confiteor* erigit se. Facta confessione a ministro respondet stans erectus *Misereatur vestri* sine ulla ad ministrum confessione, tum dicens *Indulgentiam*, format signum crucis, tangens frontem ad *Indulgentiam*, pectus ad *absolutionem*, humerum sinistrum ad: et *remissionem*; tandem dextrum tangens ad: *peccatorum nostrorum*, et ministro respondente: *Amen*, sacerdos manibus junctis et mediocriter inclinatus prosequatur: *Deus tu conversus*,

(*Deus tu conversus* — a tempore Pii V. in usum venerunt. Hic Pontifex amore divino accensus et infiniti valoris sacrificii incruenti convictus tot addimenta Missae inseruit, quae reddunt tesseram hujus. Ille Pontifex fuit Missalis ac Breviarii Romani autor ac Magister, videatur Bulla strenua Missali praefixa ac ejus Bulla de horis Canonicis in Appendice; nisi sacerdotes incurrere lubeant poenas, saepe eas mente revolvere et ut filii obedientes ecclesiae se gerere valeant).

cum ministro alternatim usque ad orationem *aufer a nobis*; cumque dicit adhuc mediocriter inclinatus et clara voce „*Oremus*“, manus non elevat, sed extendit linea recta, versus utrumque corporis latus, tum erigit se, junctis iterum manibus, ascendit ad medium altaris, incipitque secreto dicere „*aufer a nobis*,“ quam orationem durante ascensu lento ac gravi absolvit.

(*Aufer a nobis* — Petrus Damianus lib 4. cap. 14. cum dixisset: Nadab et Abiu filios Aaron divinitus esse crematos, quod sacrificium Deo offere alieno igne praesumpsissent, subdit: „Nam cum ad offerendum Deo terribilis sacramenti libamen accedimus, cavendum valde est, ne alienum ignem, hoc est, libidinis flammam, vel cujuscunque vitii fomitem inter salutares hostias deferamus; sed ille potius ignis in nostrarum mentium thuribulis ardeat, illa cor nostrum divini amoris flamma succendat, quam Dei spiritus per invisibilem gratiam nostris visceribus administrat).“ (Orationis hujus et ritus meminit Micrologus l. c. cap. 23.)

Proveniens ad altaris medium, mediocriter inclinatus manus junctas ponit super altare ita, ut digitorum annulariorum extremitates super altare quiescant; digiti vero parvi reliquis tamen uniti

manentes, frontem sive medium anterioris partis mensae altaris tangant; pollice interim dextro super sinistrum in modum crucis posito. Quae omnia, pergit Rubr. tit. 4 No. 1. semper observantur, cum manus junctae ante consecrationem et post sumptionem super altare ponuntur.

(Inclinatio profunda sub Confiteor significat exinanitionem verbi divini, quod servi formam accepit in similitudinem carnis peccati *). Sacerdos se signat *manu plena,* hoc est, quinque digitis junctis ad quinque vulnera Christi significanda **), sed tribus digitis crucis signum exprimendum esse, qui sub invocatione sanctissimae Trinitatis exprimitur) ***).

Sacerdos itaque situ corporis descripto dicit secreto: „*Oramus te Domine*", et cum dicit: *Quorum reliquiae hic sunt*", paululum ab altari recedens, illud osculatur in medio, manibus hinc inde extra corporale aequaliter extensis et palmis manuum eidem altari applicitis.

(In *osculo primo altaris et Introitu* cum versu geminato laude Ss. Trinitatis audi iterata desideria et voces sanctorum patrum antiquorum — *osculetur me osculo oris sui*, et *Veni Domine* . . . . ex Germano in Theoria).

Post osculum erigit se iterum mediocriter inclinatus, uti ante orationem terminat, qua absoluta erectus junctis manibus sine nova versus crucem inclinatione latus sinistrum vertit ad Altare et incessu gravi pergit ad cornu Epistolae. Quem modum se erigendi, facie ad crucem versa, dein se vertendi et incedendi observabit sacerdos toties quoties de medio recedet, vertetque ante incessum, vel dextrum vel sinistrum latus versus altare, quoties durante Missa ab una ad alteram altaris partem incedet; gressumque illo inchoabit pede, qui altari proximior est. Plura, quae concernunt cruce signationes, manuum junctionem et inclinationes, videri possunt §. XV. pag. 177, 78, 79 et seq.

Q. II. *Ritus Missam a signo crucis inchoandi estque antiquus et sacrificio praeprimis congruus?*

℟. Cum christianis nullo non tempore solemne fuerit a signo crucis auspicari omnia, uti testis est Tertull. lib. 1 de corona milit. cap. 3. hinc dubitandum minime, quin ritus ille operi religionis nostrae sanctissimo aeque ac augustissimo praemittendus, ab Apostolis

---

*) Durand. l. IV. cap. 7. — Hujus ritus meminit S. Cyprianus Epist. 641.
) Durand. l. c. cap. 46. — *) Innoc. III. Lib. II. cap. 45.

traditus sit. Congruit etiam, ut cum servator noster in memoriam sacrificii crucis Missam iterari praeceperit, a signo crucis exordium ducatur *). Cumque Apostolus omnia ad Dei gloriam facere nos jubeat, oportet profecto, ut jam in limine protestemur, nos in nomine et ad gloriam Dei unius et Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus s. Sacrificium auspicari **).

Q. III. *Cur versus: Introibo . . . . Antiphona nuncupatur?*

℟. Antiphona vox graeca, latine redditur: vox contrasonans, sive vox ab una parte sonans, et ab altera resonans. In ecclesia latina aeque ac graeca, vel a quarto saeculo mos viguit, ut psalmi a duobus alternis canerentur, vel recitarentur choris ***). E psalmo autem cantando pars quaedam excerpta et praesenti conveniens actioni praecinebatur, vel recitabatur ab uno, et repetebatur ab altero choro; ideoque haec pars nomen *Antiphonae* assumpsit. Cum itaque vêrsus *Introibo* alternatim dicatur a celebrante et ministro ante et post psalmum *Judica;* hinc versus ille Antiphona dicitur, quae profecto Missae inchoandae vel maxime accomodata est †).

Antiphonam Introibo cantandi oritur juxta aliquos ex Isaia IV. de Seraphinis, qui alternantibus vocibus *„sanctus, sanctus, sanctus Deus exercituum"* vicissim cantant. Etiam observetur, Ignatium discipulum fuisse sancti Joannis et primum, qui Graecos in hoc methodo instruxit. Vidit nempe s. Joannes in visione Angelos in choris positos sanctissimam Trinitatem alternantibus vocibus benedicere juxtaque hanc visionem mandavit in ecclesia Antiochena, ut Clerus imitaretur hanc canendi methodum, quem usum omnes Ecclesiae orientales suum mox susceperunt (vid. Socrates H. E. Nicephorum et multos alios); tempore S. Basilii ita cantari solitum fuit, v. Epist. 69 ad Clerum Neocaesariensem, ubi loquitur: Nocte longe ante Matutinum Ecclesiam adit populus, et post peracto labore, moestitia et indefessis lacrimis, persoluta tandem confessione coram Deo, surgant de precibus, psalmos decantant, *ordinant* se in duas partes alternatim psallentes. In occidentali Ecclesia s. Ambrosium primum fuisse istam methodum suscipientem, vide Paulinum in vita ejus sancti, et de hoc tempore super totam Ecclesiam occidentalam se extendisse. Philo Judaeus meminit hanc methodum apud Essenos, qui alternatim Cantum mimis concomitabantur externis, ut putant, Philonem sub his cantilenis illa intellexisse cantica dra-

---

*) Romsee Tom. IV. p. 52, 54, 55. — **) Le Brun Tom. 1. p. 52. — ***) Romsee Tom. 4. §. 4. p. 63. — †) Le Brun. Tom. 1. pag. 53 et 54.

matis. De hisce enim intelligere fas est illa officii B. M. V. verba „ante thorum hujus virginis frequentate dulcia cantica dramatis."

Q. IV. *An psalmus Judica adposite a sacerdote dicitur?*

℟. Vel maxime. Psalmus enim hic 42 exhibet exulem a sancta civitate et templo, qui Deum pro liberatione ab inimico et pro reditu rogans spondet, se Deo ad altare gratiarum actionem laudesque oblaturum *).

Sacerdos itaque velut peregrinus in terra exilii, hostibus circumdatus, ad thronum divinae majestatis in ara sancta pro liberatione ab hostibus et adjutorio pro se, — totaque ecclesia, imo pro mundi totius salute confugit, hostiam oblaturus valoris infiniti, quaeque omnium legalium differentiam hostiarum eminenter continet.

Q. V. *A quo tempore psalmus 42 in Missa dici debet?*

℟. Ante recognitionem Missalis romani a Pio V. epocha certa, qua psalmus ille in Missa dici coeperit, adsignari eo minus potest, quod neutiquam uniformis viguerit disciplina. Sunt, qui psalmum hunc jam tempore s. Ambrosii in Missa recitatum fuisse contendunt, adducuntque libri de initiandis cap. 8. et lib. 4ti de sacramentis caput 2dum. Ast, nec in uno, nec altero loco de sacerdote, nec de Missa sermo occurrit; sed de recenter baptizatis: his abluta plebs, ait Ambrosius loco priori, dives insignibus ad Christi contendit altaria dicens: *Introibo ad altare* Dei, et libro citato de sacramentis: veniebas, inquit, desiderans ad altare, quo accipere sacramentum dicet anima tua: Introibo; deposuisti peccatorum senectutem; sumpsisti gratiae juventutem; hoc praestiterunt tibi sacramenta coelestia Baptismi et Confirmationis, de quibus loquitur **).

Missale romanum a Paulo III. recognitum et Lugduni editum, anno 1550 praecipit, ut sacerdos vel manifeste, vel sub silentio hunc psalmum dicat, antequam ad altare accedat. Parisius de Grasiis in manuscripto caeremoniali s. Pontificis cap. 65 testatur, suo tempore arbitrarium fuisse, hunc psalmum dicere, vel omittere. Tandem Pius V. in recognitione Missalis romani statuit; ut a quolibet sacerdote, ad ritus uniformitatem psalmus cum Antiphona recitetur; quanquam Carthusiani et fratres praedicatores antiquum suum retinentes ritum, hunc psalmum omittant, nec illum recitat ritus Ambrosianus. Carmelitae vero calceati eundo ad altare, eundem

---

*) Romsee Tom. IV. p. 65. — et §. VIII. p. 71. — **) Romsee Tom. IV. p. 64.

psalmum persolvunt *). Psalmo finito sequitur hymnus glorificationis *Gloria patri,*

(Autorem Gloria patri fuisse Coelestium primum censet Walafridus c. 22. — Amalar. lib. 2. c. 5. Alcuinus lib. de div. off. quid signif. vestimenta. — Micrologus. cap. 1. Innoc. III. l. 2. c. 18. Sigebertus ad annum 426. Dionysius Carth. in cap. Miss. et Turrecremata can. Jacobus de consecr. d. 1. Sed omnino certum, ut referunt Thom. Wald. **). et Bellarmin. (lib. de Miss. c. 16) et alii multo antiquiorem, ut dilucidatur ex ipsomet s. Dionysio lib. de eccl. hier. c. 3. dicens: Pontifex, ubi orationem super divinum altare pergit et ipsum incensum adolere inchoans, omnem templi aditum circuit, demum ad sacrum altare iterum rediens, psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus ecclesiastici ordinis gradibus. Quod pars illa *Gloria patri* ante Coelestinum extiterit — forte Coelestinus, vel a Graecis ad Latinos transtulerit, vel ad meliorem ordinem redegerit).

qui a Philostorgio falso tribuitur Flaviano Monacho antiocheno; inter alios enim vel solum Basilius lib. de spiritu s. cap. 29 testatur, hunc hymnum, qui recitari solebat in gratiarum actionem ad lucernas, antiquum fuisse, quanquam autorem ejusdem ignorare se fateatur. Cum itaque autor aeque minus ac tempus assignari possit, quo coeperit, vel non in usu fuerit, hinc eam doxologiam ab Apostolis traditam probat Cardinalis Bona in lib. 1 de divina psalmodia cap. 16. §. 6to Admodum etiam verosimile est, fideles in ecclesiae primordiis in gratiarum actionem hunc hymnum sanctissimae Trinitati reddere edoctos fuisse, in cujus nomine baptizabantur.

Baronius ad annum 325. No. 175 arbitrabatur verba: *sicut erat* doxologiae accessisse concilii Nicaeni decreto contra Arianos. Saltem concilium Vasense secundum, vel ut aliis placet, tertium celebratum anno 529 testatur, additionem illam jam tum a sede Apostolica, et per Orientem, Africam et Italiam usurpari jubetque eandem etiam in Gallia recitari.

VI. *Psalmus Judica diciturne in omni Msisa?*

℟. Non dicitur in Missis defunctorum, nec in Missis de tempore a Dominica passionis usque ad Sabbatum S. exclusive, in quibus semel tantum dictae Antiphonae Introibo . . . . sacerdos statim subjungit: Adjutorium nostrum . . . . Rubrica tit. 3. N. 19.

Quia vero sub Missis de tempore non veniunt votivae, hinc in

---

*) Le Brun. tom. 1. pag. 54. No. 4. — **) Tom. 3. de sacram. tit. 4. c. 31. sotus 4 d. 13. 92. art. 4.

Missis votivis, tempore passionis Psalmus Judica dicitur. Hunc psalmum in Missis defunctorum et de tempore passionis ideo omitti arbitratur *) Pouget, institutionum catholicarum tom. II. pag. 25. ut conservetur in illis vestigium antiquitatis, qua psalmum illum ad Missam non dicebat. Placet aliis, hunc esse psalmum laetitiae, quam colligunt ex versibus: *Ad Deum, qui laetificat juventutem meam, item quare tristis es anima mea?* Ideoque hunc psalmum Missis defunctorum et de passionis tempore celebratis non convenire autumant **).

Q. VII. *Quandonam confessio Missae accessit?*

℟. Dicto versu, *Adjutorium nostrum,* quem etiam refert Missale Mozarabicum, sacerdos determinatam pronuntiat confessionis generalis formulam ***). Plurimas easque diversas particularium ecclesiarum confessionis formulas recenset et interim indubitato asserit, aliquam qualemcunque demum confessionis generalis formulam antiquissimam, et ab Apostolis fuisse traditam; falso tamen sive Pontianum, sive Damasum Papam a quibusdam autorem dici formulae, quae nunc viget, probat silentio veterum. In manuscriptis tamen multis Missalibus ante annum 1300 eadem refertur, quam nunc habemus, confessionis formula.

Et in Ordine romano 14to confessio, quae in Ritualibus et Missalibus erat diversis concepta verbis, ad eam fuit limitata formam, quam Missali a se recognito intulit Pius V. qui tamen bene verba: *Delectatione et consensu* post Ly: *peccavi nimis* omissit. Quia itaque *justus* est sui accusator, addunt 70 interpretes in principio sermonis Proverbiorum 18va, estque optima ad sacrificium praeparatio corde contrito et humiliato sacris appropinquare altaribus; hinc sacerdotes etiam veteris testamenti atque prophetae hanc consuetam sacrificiis ac deprecationibus praemittebant formulam: peccavimus Domine; injuste egimus; iniquitatem fecimus; — pariter et sacerdos novae legis trina percussione pectoris contritionem cordis prodit exemplo publicani, quocum etiam veniam peccatorum suorum a Domino sperat. Unde s. Augustinus in psalmum 146 inquit: quid aliud significat pectorum tunsio, nisi forte putamus, ossa nostra aliquid peccasse, cum tondimus pectus? sed significamus, nos cor conterere, ut a Domino dirigatur.

---

*) Romsee Tom. 4. p. 63. — **) Le Brun Tom. 1. pag. 55. — ***) Romsee pag. 73, 74, 75. Bona lib. 2. cap. 2.

Dominus vobiscum. Incepisse adhiberi in sacrificio ab Apostolis, constat ex concilio Braccar. I. c. 21, ubi dicitur retinendam, ut ab Apostolis tradita est et omnis retinet Oriens. Episcopus prima vice dicit *Pax vobis,* quia Episcopi sint specialiter Vicarii Christi pastoris summi, cujus prima post resurrectionem vox ad discipulos fuerit *Pax vobis,* ut patet ex s. Remigio, Stephano Heduensi. p. Damian., Innoc. III. s. Thoma, Durand. Waldensi et Glossa l. citat. Caeteris vero vicibus dicit Episcopus Dominus vobiscum, ut se unum ex ipsis ostendat (Innoc. III. l. c.)

Septem vicibus populus salutatur *το: Dominus vobiscum,* ut exclusis septem vitiis capitalibus populo donetur septiformis gratia, prout docet Innoc. III. (lib. 11. cap. 24) In hisce salutationibus sacerdos *ter* se ad populum non vertit, nempe in fine confessionis ante ascensum ad altare, quia totus est occupatus ad se purgandum a peccatis — (Pitroff. Theol. pastoral. Tom. 11. §. 165) — nec ante Evangelium, tunc enim totus intentus est ad nunciandum verbum Dei, neque ante Praefationem eo, quod cor sursum habeat ad Dominum jamque proximus occupetur sacrificio (ex Innoc. III. l. cit.) occurrit tamen idem Dominus vobiscum ante ultimum Evangelium s. Joannis. Ast non computatur intra supra recensitas septem salutationes, quia juxta praxin antiquam ante tempus Pii V. laudatum Evangelium proprie ad Missam non pertinebat.

Et 2. Tim. IV. ubi ait doctor gentium, vas electum „Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.“ Extat quoque in antiquissimis Liturgiis, prout refert Bona (lib. II. cap. VI.) — Per Ministrum optat ecclesia, ut idem Dominus, qui dignatur esse cum ecclesia, dignaretur quoque esse cum spiritu sacerdotis.

Remigius Antissiodorensis ad annum 880 in Expos. Missae explicuit verba haec: „Coetus, inquit, tam utilem salutationem laetus audiens, ei salutem refert orans, oratque referens. Quemadmodum sacerdos fidelibus cupit, ut Dominus cum iis sit, ita ipsi implorant, ut pariter cum eo sit, dicentes: *et cum spiritu tuo,* nec dicunt, sit *tecum* sed *cum spiritu tuo,* ut palam fiat, inchoatum opus spiritaliter attentaque mente, quae luminis et gratiae divinae capax est condita, perficiendum esse.“

Dicitur etiam, ut populum reddat attentum, quod mens ejus ad Dominum dirigatur, et ei per intentionem sedulam conjungatur *).

*) Durand. l. c.

Q. VIII. *Salutatio populi: Dominus vobiscum, unde desumpta est?*

℟. Sacerdos post confessionem quasdam adhuc depromptas e sacris paginis — preces, recitat, queis et peccatorum remissionem, et eam mentis petit serenitatem, quam sanctissimum postulat Missae sacrificium. Et tandem ad altare cum jamjam ascendit, salutat populum ea salutatione, quam pariter durante Missa saepius iterat: *Dominus vobiscum,* quae verba e libro Ruth cap. II. v. 4 selegisse videtur ecclesia. Sacerdoti respondet Minister: *et cum spiritu tuo,* quae vero similiter excerpta sunt ex epistola divi Pauli ad Galatas cap. 6. v. 18: *Gratia Domini Nostri Jesu Christi, cum Spiritu vestro fratres, amen.* Sicut enim populus Dei gratia indiget, ut optatum e sacrificio fructum reportet, ideoque eidem adprecatur sacerdos: *Dominus vobiscum;* sic reciproce, et a potiori Dei gratia opus est sacerdoti, ut immaculatum Deo sacrificium pro sua et totius mundi salute digne offerat *).

Dein dicto: *oremus,* sacerdos secreto recitat orationem: *aufer a nobis,* quam etiam refert Micrologus cap. 23, sed ante confessionem. Quae pariter extat in vetustissimis Missalibus et in Ordine Romano 14[to], qui et praescribit ritum modernum, quo dici debet. Sacerdos interim orans: *ut ad sancta sanctorum* puris mereamur mentibus introire. . . . videtur ritum memorare antiquum, quo pontifex Aaronicus semel in anno introibat sancta sanctorum, quae umbra tantum, et figura erant altaris novae legis. Unde et Apostolus in epistola ad Hebraeos cap. 7 tradit, Christum assistentem pontificem futurorum bonorum per amplius, et perfectius tabernaculum, per proprium sanguinem introisse semel in sancta aeterna redemptione inventa **).

Sic praeparatus ac dispositus sacerdos jam ascendere audet altare, astantes ad preces excitans dicit alta voce: *Oremus. Aufer a nobis* invenitur in Ord. romano post Litanias in benedictione ecclesiae, et extendit ac jungit manus, quasi colligit adstantium corda, quae cogit in Unam adorationem (ita Melchior Huetanus de Cerem. Missae).

Ideoque eo instantius petit sacerdos ab omnibus mundari iniquitatibus, ut pura mente mereatur ad sancta sanctorum introire per Christum Dominum nostrum, cujus nempe merita fons ille sunt inexhaustus, e quo gratiae omnes de coelo ad nos derivantur, ideo-

---

*) V. infra etiam §. 20. Resp. ad Quaest. II. — Romsee T. 4. p. 80.

**) Romsee T. 4. p. 81, 82.

que in collectis omnibus per Christi merita Deum ecclesia obtestatur.

Q. IX. *Quare sacerdos ad altare veniens illud osculatur?*

℟. Bouget institutionum catholicarum (Tom. 2. p. 827) ad Quaestionem, cur sacerdos accedens ad altare hoc osculetur, idemque faciat, quoties ab eo recedit? respondet: hoc salutationis genus est. Osculatur sacerdos altare, quod typus est Christi eoque osculo profitetur, adhaerere se Christo, cui sicut membra capiti, connexi sunt sancti, quorum reliquiae ibi servantur. Quanquam hoc addendum, non convenire inter eruditos, an osculum ad altare, an ad reliquias sanctorum in altari reconditas dirigatur. Caeteroqui non licere Missam celebrare in altari, in quo non sunt reconditae sanctorum reliquiae, supra §. 2 et 3 dictum est *).

Osculo, ait Pouget, profitetur sacerdos se adhaerere Christo, cui sicut membra connexi sunt sancti, quorum reliquiae ibi servantur **).

Osculatur altare. Meminisse debet celebrans desiderii et amoris sponsae, *osculetur me osculo oris sui.*

Caveat ergo, ne audiat celebrans vocem illam — *osculo filium hominis tradidisti,* Durand (lib. II. cap. 57), quod certe audiet, si osculetur *altare* a *latere* — v. g. uti perspicimus osculari altare, vel corporale versus cornu epistolae: osculum *fere similis Judae.* In medio osculari debet altare, ubi sunt reliquiae sanctorum, quia, quum per altare denotetur Christus, intuitu meritorum ejus Deum orat iterato pro iniquitatum remissione, cumque in finem ad merita sanctorum, quorum reliquiae in altari reconditae sunt, confugere praesumit.

Q. X. *Estne licita fidelium sepultura sub altari, in quo recondi debent sanctorum reliquiae?*

℟. Prohibentur fidelium sepulturae sub altari, aut etiam scabello ejusdem. Cum enim in primitiva ecclesia super corporibus Martyrum erigerentur altaria, et ad retinendum aliquod venerandae hujus antiquitatis vestigium hodie ecclesia nonnisi in iis permittit altaribus Missas celebrare, in quibus sunt reconditae sanctorum reliquiae. Hinc ne permissio sepulturae sub altari, vel scabello ejusdem videatur defuncti indigitare sanctitatem, neve oratio sacerdotis: *quorum reliquiae hic sunt* .... videatur sepultum sub altari, vel ejusdem scabello respicere, hinc S. R. C. 8va Novembris

---

*) Romsee tom. 4. pag. 83 et 84. — **) Binterim Denkw. 4. B. III. Thl. S. 257.

1599 decrevit: Non sunt consecranda altaria, sub quibus recondita sunt Defunctorum cadavera. Eadem 10. Nov. ejusdem anni: Si sub altari, vel ejus gradibus humata sint Defunctorum cadavera, non est celebranda Missa, donec alio transferantur. Denique 11[ma] Juni 1629: In altari, sub quo sunt sepulta cadavera Defunctorum, non potest celebrari *).

Quodsi sub altari cella (Gruft) quaedam extet profunda, et fornice a reliqua Ecclesiae structura separata, arbitratur Lacroix, recondi ibidem cadavera posse. Nec enim tunc etiam vel remota datur suspicandi ansa, ideo ibidem recondi mortuorum corpora, quia sancta censentur, nec oratio sacerdotis: *quorum reliquiae hic sunt,* ullum ad haec cadavera habere respectum dici potest.

Certe difficile est admirationem imo stupefactionem occultare, apud nonnullos quasi laborem videndi suos insanos ritus negligentiae, vel vituperationis, vel propriae siccae aridaeque mentis substituendi illis, quos ecclesia decrevit ac poenis nonnullis intimat. Inopia fervoris accensi vivi spiritus, vel defectus renovationis spiritus est causa impediens, sancta sancte tractandi. Pessima assuetudo viget, sed miraris, quod viget interdum apud probos, scrupulosos sacerdotes — nempe altare osculari in parte laterali versus cornu Epistolae vel Evangelii, et se inclinare, ut non solum stationem et curvationem corporis difficilem assumant, sed tergum incurvantes modo felis spectantibus ostensui se praebeant. Si scirent, quomodo fastidiosum circumstantibus id esset, non facerent.

In dicendo: Dominus vobiscum caveat sacerdos, ne vertendo ad populum inclinet versus istum, neque dorso innitatur altari, quo ulteriori etiam fit, ut paramenta confricatione, aut complicatione alterentur, vel corrumpantur **).

§. XIX.

De Introitu, Kyrie eleyson et Gloria in excelsis.

Q. I. *Queis ritibus et caeremoniis perficitur pars Missae ab Introitu ad Gloria in excelsis inclusive?*

℟. Perficitur sequentibus: Igitur oratione „oramus te Domine" terminata, sacerdos erectus, junctis manibus, sine nova versus crucem inclinatione, latus sinistrum vertit ad altare, et incessu gravi ac lento accedit ad cornu altaris sinistrum (i. e. Epistolae), ubi stans

---

*) Vide Janssens part. 1. et 2[da] tit. 4. N. 19. — **) Gavantus l. cit.

erectus, ac facie versa ad altare format crucis signum, uti sub initio, incipitque intelligibili, sive clara voce Introitum Missae et prosequitur junctis ante pectus manibus; cumque dicit: „*Gloria patri*" retinens manus junctas, profundam capitis inclinationem cruci exhibet. Introitum repetit, non iterans crucem et Introitu repetito ad versum usque, junctione manuum permanente ante pectus, accedit ad altaris medium, praemissa totali lateris dextri ad altare conversione *).

De Introitu s. Germ. in Theoria inquit: Adventum indicat filii Dei et ingressum in hunc mundum — et paulo post: Censeo enim ostensionem in Jordane et patefactionem Christi et Dei nostri ingressu Pontificis obscure designari. —

Introitus significat Christi adventum in hunc mundum. Ita introitum esse institutum ad significandas voces, clamores, atque suspiria prophetarum ac patriarcharum desiderantium adventum ejus. Ita nunc venienti in Eucharistia sunt impendenda, ut tam celebrans quam populus invisibilem et gratiosum ejus adventum sub speciebus sacramentalibus exoptent, misericordiam venturi precentur certique de promissione laetentur. — G. Biel in con. lect. 15.

Introitus Missae exortus a choro prophetarum, qui orantes annuntiaverunt Christum salvatorem in mundum. In primordiis ecclesiae, ordinante s. Petro et Apostolis, duae tantum fuerint partes integrales Missae scilicet: Consecratio, cum verbis sibi propriis, et oratio dominica (Gregor papa ad Joann. Episc. Syracusarum), cujus Missa quasi vestigium remanet in Parasceve, in qua tamen non fit hostiae consecratio. Idem s. Petrus addidit Antiochiae tres orationes (Innoc. III. in prael. ad libr. de Myst. Missae) nempe *Collectam, Secretam* et *Post — Communionem* (ex Lindano ad Liturgiam s. Petri). Crescente vero cultu christianae religionis adjecta sunt alia, quae visa sunt decentius convenire, quandoque alia dempta, alia in melius mutata. Etsi Lindanus contendit probare totam Missam a s. Petro fuisse praescriptam, paucis exceptis, ejusque successores vel firmasse aliqua decretis, vel restituisse neglecta, quod et nos cum Baronio affirmamus.

Dicto Introitu ad ssmam Trinitatem se convertit et ingeminata voce implorat, diciturque novies alternatim cum Ministro Kyrie — Christe — Kyrie; . . . idemque sonat ac Domine miserere. Eo fine a s. Sylvestro Papa ordinatum fuit, ut, antequam sacerdos dicat orationem, petat a Deo patre et filio et spiritu sancto misericordiam tum pro se tum pro populo,

---

*) Romsee Tom. II. p. 95.

quia pater et spiritus sanctus sint ejusdem naturae, filius vero quamvis sit ejusdem naturae cum illis, tamen et alterius naturae nimirum *humanae,* quam assumere dignatus est; qua novies multiplicata voce indicatur ardor desideriorum, quibus patriarchae et prophetae anhelarunt adventum Christi, et nos anhelare debemus adventum ipsius per gratiam et talem per aeternam gloriam.

Juxta codicem antiquum pertinet *Kyrie* ad divinam patris excellentiam. *Christe* ad humanitatis Jesu Christi formam. *Kyrie,* ut commendet nobis pater aurem misericordissimam, et denuo *Christe* ne permittat genus humanum terrena desiderare, ad coelestia vero anhelare. Invenitur in Liturgia s. Jacobi et s. Marci; — a Graecis Sylvester papa ad Romanos transtulit (Rodulph. prop. 23) Novies autem in Missa dici debet, docet Gregor lib. VII. epistol. 63, qui se dicit restituisse, non instituisse hunc ritum cum alternatione partim a sacerdote, partim a populo. Amalar. lib. 3. cap. 6. assignat causam, quia ante omnem orationem specialem sacerdotum necesse est praecedere misericordiam Domini, ut serenetur mens sacerdotis ad ea intendenda, quae ore dicit, ut dignus sit Deum alloqui et exaudiri (s. Thomas P. 3. Q. 83. art. 4. quod prius notaverat Innoc. III. lib. 2. cap. 19.) — Solus celebrans inchoat *Gloria,* quia solus angelus pastoribus annunciavit Christi nativitatem. E. Cod. Antiq. In Gloria sex in locis caput inclinatur versus crucem ob reverentiam. Ita s. Chrysostomus in Liturgia.

Albertus notavit, Missam non incipere more horarum Canonicarum, sed chorum ex abrupto statim prorumpentem in clamorem ad indicandum desiderium adventus Domini, quod ardor suspirantium ad amorem potius quam adorationem compellit, cui tandem additur in gratiarum actionem: Gloria patri quod coelos reliquerit et visitaverit sedentes in tenebris et umbra mortis suo in terras adventu in Missae introitu significato. Joh. Bapt. Scontia de sacrif. Miss. cap. XV.

De Introitu usque ad Epistolam.

Introitum et ea, quae sequuntur sedate, attente et devote recitabis, adhibitis magna cum honestate praescriptis caeremoniis, ut spiritualem ac divinam rem agi omnes intelligant. Attendes autem ad sensum verborum, et cum dicis: *Gloria patri* sanctissimam Trinitatem adorabis optando, ut omnes illi serviant. *Kyrie eleyson* ad singulas personas mente in coelum erectus diriges, petens remissionem peccatorum cordis, oris et operis pro te et aliis, et quia novies repetitur, quot sunt Angelorum chori, ipsorum vocibus tuam conjunges et cor ad illos elevabis. Ad *Gloria in excelsis* miraberis, quomodo pec-

cator in terra aliena canticum angelorum canere praesumas; tum alios affectus, laudis, adorationis, gratiarum actionis, fidei, spei, amoris, zeli gloriae Dei, petitionis et obsecrationis, juxta sensum verborum. Haec autem verba: *tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe* intensiori affectu caritatis et reverentiae erga Christum Dominum pronunciabis, desiderans ut ab omnibus ametur, honoretur, glorificetur.

Hymno absoluto sequitur salutatio populi per haec verba: *Dominus vobiscum.* Quoties autem ea dices, optabis intimo affectu ecclesiae Dei et toti mundo omnem Dei benedictionem, per quam singulis animabus id, quod maxime indigent, conferatur. Dicturus collectas erubesces, quod mediator Deum inter et populum esse audeas, qui toties alios ad malum pertraxisti. Cum dicis *per Dominum,* offeres Deo omnia merita Christi cum magna fiducia, quia scriptum est: *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Expendes autem verba orationum, quae et per se magni ponderis et efficaciae sunt, et cum in persona ecclesiae a celebrante recitantur, facilius postulata impetrant ob sacrificii praestantiam *).

Ad altaris medium veniens cruci caput profunde inclinat, et dein manibus junctis manentibus dicit voce clara, alternatim cum Ministro ter *Kyrie eleyson,* ter *Christe eleyson,* et iterum ter *Kyrie eleyson.* Quodsi Minister, vel qui Missae intersunt, non respondeant alternatim sacerdoti, ipse solus novies dicit Kyrie et Christe etc. Si legendae sint prophetiae cum orationibus, dicto ultimo Kyrie in medio, caput profunde cruci inclinat et verso latere sinistro ad altare, redit ad cornu Epistolae, ubi stans seque paululum vertens ad altaris medium dicit voce clara *„oremus“*, interim manus extendens linea recta versus utrumque corporis latus, eademque linea recta, easdem mox conjungens absque elevatione, caputque cruci inclinans, et conversus ad librum prosequitur: *„flectamus genua,“* extensisque aequaliter manibus supra altare, Missali in earum medio existente flectit genu dextro. Ministro respondente: *„Levate“* erigit se, manibusque extensis recitat orationem, eaque observat, quae §. de orationibus porro praescribentur. Legens dein prophetias et versus sequentes ponit manus super librum. Finitis prophetiis . . . redit ad altaris medium, factaque cruci inclinatione capitis profunda dicit: *„Gloria in excelsis“* prout statim. Quodsi Hymnus angelicus non dicatur, dicit: *„Dominus vobiscum“* uti infra dicitur.

---

*) C. Bona Thes. ascet. pag. 109—111.

Flectamus genua sacerdos Deum **orans** *stare* debet, qui prae se fert personam Christi stantis (ait 7) et orantis Patrem in coelis (Amalar. lib. 4, c. 7. Durand. lib. 5. cap. 5) hoc intelligitur de Missa solemni, Gavantus p. 1. Tit. 17. N. 3. Litt. l. —

Hymnus angelicus, quem Telesphorus papa Missae inseruit saeculo secundo, quem cecinerunt angeli Christo nato, Lucae II. 14. estque Cantus Dei laude et adoratione et gloria et gratiarum actione plenus. His angelicis vocibus nostras adjungimus, Deum laudamus, benedicimus et glorificamus, quod filium suum nobis nasci fecerit.

Gratias agimus tibi, id est, propter gratiam et misericordiam tuam erga nos — ad Rom: III. — „*Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.*“ Denique ad ipsum Christum nos convertimus, ipsum obsecrantes, ut peccata nostra, quibus vera pax impeditur, tollere dignetur dicendo: *Agnus Dei, et miserere nobis.* Quoad hymnum angelicum notandum duximus, cui addidere usque ad finem reliqua, varii recensentur doctores, cui vero tribuendus inter doctores lis est; uti autem dicatur in Missa, constituit Telesphorus (Innocent. III loco citato); idem asserunt Damasus, Rabanus et alii (Symmachus papa praeterea jussit recitari in diebus dominicis, in martyrum natalitiis) vide Alcuin — Amalar. — quia in dominicis significatur resurrectio Christi, per quem sociati sunt sancti in gloria et laudibus angelorum. — Dicitur feria quinta in coena Domini ex institutione Nicolai papae ob gaudium ejus diei, obque institutionem sacramenti (Durandus de coena Domini). Sabbato sancto, in cujus Missa cantatur *gloria,* quia pax data est renatis s. fonte baptismatis, et proxima est resurrectio Salvatoris (Durandus de Missa sabb. sancti). Admirandum est tener modus latens in diversis rituum ordinationibus, quam patens in tantis animum, devotionem et pietatem erga s. matrem ecclesiam excitans in mysticis significationibus.

Scrutamini ergo ritus eorumque sensum diligentissime.

Innoc. III. (in cap. Consilium de celebr. Missae) ait — in profestis, id est, procul festis? non dici *Gloria* apud Romanos, ut inter commemorationem et solemnitatem appareat differentia, et hoc asserit specialiter observari in Missis B. Mariae V., quod ex Rodulpho (Prop. 18) debent observare, qui diligunt decorem domus Dei. Nam sicut decor est, illum in festivitatibus recitare, ita decor est, illum omittere in diebus privatis; jucundius etiam suscipitur in festivitatibus, quod in profestis supprimitur et tacetur.

Osculatur altare tum ob reverentiam, tum ut ab altari per Christum repraesentato recipiat benedictionem populo per το.

Dominus vobiscum impertiendam. Quos enim salutamus, eis faciem repraesentamus. Amalar. lib. 11. cap. 2.

Decies in Missa osculatur altare, si pax detur, alioquin *novies*. Quis non videt in hoc numero mysterium?

Septies jungit manus super altare, *novies* elevat oculos in coelum.

Si prophetiae non legantur, dicto ultimo Kyrie eleyson, in medio stans corpore erecto, ad Gloria in excelsis extendens, elevansque manus ad latitudinem et altitudinem humerorum, incipit clara voce, si dicendum sit „Gloria in excelsis," cumque pronuntiat „Deo" manus extensas elevatasque jungens ante pectus, caput cruci profunde inclinat, quin tamen sive caput, sive oculos praevie, vel concomitanter elevet. Capite post inclinationem iterum erecto stans junctis manibus ante pectus, prosequitur hymnum; cum dicit *„Adoramus te; gratias agimus tibi; Jesu Christe, suscipe deprecationem*, et iterum *Jesu Christe*, caput cruci profunde inclinat, tandem in fine dicens: *cum s. Spiritu*, se ipsum signat a fronte ad pectus; cumque format lineam crucis transversam, ab humero sinistro ad dextrum, absolvit: *in Gloria Dei patris, amen*, absque manuum junctione, utpote quas mox ad altare extensas deponit, ut illud osculetur ante: Dominus vobiscum.

Q. II. *Quare rubrica praescribens, ut sacerdos post orationem: oramus te Domine: accedat ad cornu altaris sinistrum, addit, i. e. Epistolae?*

℟. Usque ad finem ferme saeculi XV. cornu Epistolae dicebatur altaris dextra a manu dextra celebrantis ad altare conversi; unde etiam autores ante hanc Epocham cornu Epistolae dextram, et cornu Evangelii sinistram altaris compellare consueverunt. Ast in pontificali edito Romae 1485 ordinatum est, ut deinceps dextra crucifixi in medio altaris collocati esset dextra altaris; et pariter sinistra ejusdem crucifixi esset sinistra altaris *). Ideoque rubrica exponens, quodnam nunc sit sinistrum altaris cornu, addit, i. e. Epistolae.

Q. III. *Introitus unde nomen sumpsit?*

℟. Introitus, qui ritu Ambrosiano „Ingressa" dicitur, vel a Missae initio, vel ab ingressu sacerdotis ad altare nomen sumpsit, sacerdote siquidem sanctuarium intrante solemniter ad Missam cantandam inchoatur. Communior opinio Coelestino papae auctori Introi-

---

*) Romsee Tom IV. pag. 88.

tum adjudicat. Prae caeteris auctor libri pontificalis in ejus vita sic scribit: Hic constituit, ut centum quinquaginta psalmi Davidis ante sacrificium psallerentur, antiphonatim, quod ante non fiebat, nisi tantum recitabantur Epist. s. Pauli et Evangelium, et sic Missae fiebant. Et Gemma animae lib. 1. cap. 87. scribit: Coelestinus psalmos ad Introitum Missae cantari constituit, de quibus Gregorius papa postea Antiphonas ad Introitum Missae modulando composuit. Quae facili componuntur negotio, si dicatur, Coelestinum ordinasse, ut psalmi antiphonatim i. e. alternatim ante Missam cantarentur; sed postea Gregorium Magnum unam e psalmis illis selegisse Antiphonam ad Introitum, prout et alias pro responsorio, offertorio et communione, e quibus in unum congestis librum composuit, quem *Antiphonarium* nuncupavit.

Vocatur et *liber gradualis,* quia quaedam, quae post Epistolam dicuntur, in loco eminentiori, ad quem per gradus cantores ascendebant, cantari consueverunt. In codice igitur Gregoriano Introitus praeprimis nomen Antiphonae sortitus est, postquam olim integer psalmus cantari solebat, nunc vero unus psalmi versiculus dicitur cum *gloria patri,* quae tamen Doxologia utpote festiva omittitur in Missis de tempore passionis tantum, non item in votivis licet etiam in passione Domini. Omittitur pariter in Missis Defunctorum. Doxologia finita repetitur Introitus, quem nonnullae ecclesiae in festis solemnibus ter psallunt. Ambrosiani Introitum nunquam repetunt, solis Defunctorum Missis exceptis; sed ingressa, uti loquuntur, semel sine psalmo et Gloria recitata sacerdos dicit: *Dominus vobiscum.* Quanquam vero Introitus antiquitus e solis excerperetur psalmis, successu tamen temporis ecclesia vel ex aliis scripturae libris Introitum selegit, uti in festo nativitatis Domini: *„Puer natus est nobis“...* vel ipsamet quosdam composuit Introitus; prout in Missis B. Mariae V.; *„Salve sancta Parens; Gaudeamus omnes in Domino etc.*

Sacerdos quondam choro Introitum praecinente, eundem non recitabat, nunc vero sicut in privata, ita in solemni Missa eundem legit.

Tandem Sabbato sancto, ac in Vigilia Pentecostes in Missa conventuali post Litanias Introitus non dicitur, cujus vices supplent Litaniae et aliae preces ac caeremoniae.

Graeci duplicem ad altare Incessum seu Introitum habent, parvum quippe et magnum. Parvus seu minor fit, cum Diaconus traditum sibi a sacerdote librum evangeliorum defert ad altare. Magnus

vero cum sacerdos sacra dona a prothesi ad S. bema solemni ritu deportat. Plura tradit Bona (lib. 2. cap. 3.)

Q. IV. *Voces graecae Kyrie eleyson, quomodo latine redduntur?*

R. *Domine miserere*, estque vox quasi naturalis in tribulatione positi, unde vel ab ipsis legitur frequentata gentibus. Et in veteri testamento Deum obsecrandi formulae etiam vulgo notissimae erant: *Domine miserere, miserere mei Deus, miserere nostri Deus omnium*, aliaeque similes. Eadem formula et caecus Jerychontinus et mulier Cananaea et decem leprosi Christum Dominum rogasse in Evangelio leguntur. Cum itaque vulnera et plurima et gravissima per peccatum Protoparentis inflicta sibi totique generi humano sentiat sacerdos, noscatque, miseriam inde partam a Deo sublevari, ab eoque solo mundum fieri posse de immundo conceptum semine, hinc eadem precandi formula in celebrantem populumque optime quadrat *).

Inculcatur Kyrie eleyson. Isaiae 33. — Domine miserere nostri; te enim expectavimus, Innoc. III. lib. 3. cap. 19. — Contra novem peccatorum genera: originale, mortale, veniale, cordis, oris, operis, infirmitatis, ignorantiae, et malitiae. (Gavant. part. II. Tit. XV. p. 173.)

In dem Kyrie und Christe eleyson wird das Flehen um Gnade neu und lebendig, und offenbaret sich in dem schönen Wettkampfe zwischen Priester und Volk: sie rufen wechselweise zu Gott um nichts als um Gnade. . . . Dies wettkämpfende Flehen um Gnade kann nicht unerhört bleiben; das ewige Wort in Menschengestalt (Christus im Fleische) erscheint der betenden Gemeine, und mit ihm kommt Huld und Erbarmen; die Reue löset sich in Dank; das Kyrie eleyson wird ein Gloria in excelsis Deo. Kühn und groß ist dieser alte Kirchenhymnus. Sailer a. a. O. S. 155: Es ist bemerkenswerth, wie gleich im Eingange der Messe die zwei Grundlehren des Christenthums sich so kräftig bewegen.

Der Mensch fiel, und Christus richtete den Fallenden wieder auf.

Schön ist's, daß auf das Kyrie unmittelbar das Gloria folgt; denn in dem Sündergeschlechte muß überall die Buße der Herrlichkeit erst Platz machen, überall die Thräne der Reue dem Jubel über die Rettungen der Gnade vorangehen. S. 156.

Q. V. *Cur et quando ecclesia latina graecas hasce voces ad Missam assumpsit?*

R. Ut ecclesia monstraretur *Una*, quae ex Hebraeis et Graecis

*) Romsee tom. IV. pag. 91.

primum, deinque ex Latinis collecta et coadunata est. Ideoque etiam hebraica verba: „*Amen, Alleluja, Sabaoth et Hosanna*" eadem ecclesia retinuit. His addi potest, tribus hisce linguis mysteria fidei nostrae ab Apostolis et Evangelistis, eorumque immediatis successoribus fuisse consignata. Erant enim linguae hebraica, graeca et latina toto orbe notissimae, queis propterea Pilatus titulum crucis conscribere voluit *).

Quando vero hae voces a Graecis ad Latinos manaverint, non una omnium est sententia.

Amalarius, Strabo, Micrologus, aliique plures a Gregorio Magno voces hasce graecas ad divina primum Mysteria assumptas volunt. Ast multis jam annis ante Gregorium Magnum a latina ecclesia easdem fuisse usurpatas voces, testatur conc. Vasense II. sub Felice IV. ad annum 529. celebratum.

Ipse etiam Gregorius Magnus lib. 7. epistol. 64 ad Joannem Syracusanum respondens quorundam murmurationibus, quasi vero ipse ad ecclesiam Romanam ritum ecclesiae Constantinopolitanae introducere vellet, inquit: Kyrie eleyson nos neque diximus, neque dicimus, sicut a Graecis dicitur, quia in Graecis simul omnes dicunt: apud nos autem a clericis dicitur, et a populo respondetur. Et totidem vicibus etiam Christe eleyson dicitur, quod apud Graecos nullo modo dicitur. Hunc ritum usque hodie Graeci custodiunt. Liquet porro ex allatis Gregorii Magni verbis, olim a Latinis toties dici consuevisse *Christe eleyson,* quoties *Kyrie eleyson.*

Refert Martene de antiquis ecclesiae ritibus (lib. 1. cap. 4. art. 3.) interim cantato et repetito semel et iterum pro solemnitatum varietate Introitu, chorus subjungit: Kyrie eleyson, Christe eleyson, quod tam diu olim repetebat, donec subsistendum celebrans innuisset.

Testatur idipsum Mabillonius in commentariis in ordinem romanum art. 6. N. 3. Breviarium Romanum ritum, ter tantum Christe, et sexies Kyrie eleyson dicendi in Missa, attribuit s. Gregorio Magno.

Constituit . . . ut in Missa Kyrie eleyson novies repeteretur. Mabillonius loc. citato addit: Verum in iis Missis, quae Litaniam sequebantur, Kyrie eleyson omitti mos erat, ut ex libellis nostris patet, ob eam videlicet causam, quod in Litaniis jam cantatum fuisset.

Qui ritum sequuntur Ambrosianum, ter has voces Kyrie eleyson dicunt, primo post Gloria in excelsis, dein post Evangelium et tertio in fine Missae.

---

*) Romsee l. c. p. 95. N. V et VI.

Q. VI. *Quid per tropos intelligitur, queis in quibusdam libris Kyrie interpolatur?*

℟. Sunt quidam versus harmonici inter Kyrie eleyson et Christe eleyson interpositi, utpote:

Kyrie, rex, genitor, ingenite, vera essentia, eleyson.

Christe, Deus formae humanae particeps.

Kyrie, spiritus vivifice, vitae vis, eleyson. Quidam tropi similes extant in Missali Romano sub Paulo III. edito Lugduni. Ast quia ejusmodi interpolationes saepe insulsae, et sensui minus cohaerentes erant, ideo jussu Pii V. in Missali Romano a se reformato nullum amplius locum invenere *).

Tandem a quo tempore imago crucifixi in altaris medio fuit collocata; Kyrie eleyson ad cornu epistolae in Missis privatis non amplius dicitur, prout mos ferebat antiquus, sed in medio coram crucifixo. In Missis tamen solemnibus antiqua retinetur consuetudo, quam in privatis Missis etiam retinuerunt Carthusiani, Carmelitae et fratres Praedicatores.

Q. VII. *Gloria in excelsis cur hymnus dicitur?*

℟. Hymnus idem est ac cantus in laudem Dei. S. Augustinus in Ps. 184: Si laudas, inquit, Deum et non cantas, non dicis hymnum, si laudas, quod non pertinet ad laudem Dei, etsi cantando laudas, non dicis hymnum. Hymnus ergo tria ista habet et canticum, et laudem, et Dei. Igitur praerequisitis hisce tribus perficitur hymnus, et si metriae non sit concinnatus. Et quia Gloria in excelsis praenominatas complet conditiones, ab antiquis patribus omnibus hymnus dicitur.

A Graecis Doxologia major vocatur ad distinctionem hymni Gloria patri . . . . quem Doxologiam minorem nuncupant.

Q. VIII. *Quisnam hunc hymnum concinnavit?*

℟. Prima hujus hymni verba *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* e coelo ad nos angelorum voce derivata sunt. Ideo et hymnus angelicus appellatur. Caetera quis addiderit, incertum est, inquit Bona **). Auctorem additamenti aliqui designant Telesphorum papam circa annum Christi 150, alii Symmachum, qui anno 500 floruit. Iterum alii Hilarium Pictaviensem episcopum, quanquam Athanasius Hilario Synchronus hymnum hunc cum additamento modo receptum usitatumque referat lib. de

---

*) Romsee Tom. IV. p. 94 et 96. — **) Lib. II. cap. 4. §. 4.

Virgine versus finem: Matutino tempore, inquit, hunc psalmum dicito: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Ubi diluculum fuerit, hunc recitabis: *Benedicite omnia opera Domini Domino,* hymnumque dicito: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis etc.* Ideoque cautius locuti sunt patres Concilii IV. Toletani, qui canone 12 ajunt, reliqua, quae sequuntur post verba Angelorum, ecclesiasticos doctores composuisse, quicunque illi demum fuerint. Quoad Telesphorum vero Papam auctor libri pontificalis in vita ejusdem ait, ipsum constituisse, ut ante sacrificium hymnus diceretur angelicus: Gloria in excelsis Deo. Sed non memorat reliqua etiam, quae sequuntur, a Telesphoro addita fuisse.

De eodem Telesphoro scribit Innocentius III. *) eundem tantum in Missa nocturna nativitatis Domini hymnum cantari decrevisse.

Integer habetur apud D. Clementem (lib. 7. constit. c. 47. 48. lib. 8. c. 10), omnino probabilius Apostolis tribuitur. (Jo. Bapt. Scontia l. c. c. 16.)

Liber pontificalis vero refert in Symmacho: hic constituit, ut omni die dominico vel natalitiis martyrum hymnus: Gloria in excelsis Deo, diceretur. Quod decretum ad solos Episcopos restrinxit Gregorius Magnus; initio enim libri sacramentorum Missae Ordinem describens, haec ponit: Item dicitur: Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit, tantum modo die dominico, sive diebus festis. A Presbyteris autem minime dicitur nisi in solo Pascha. Quando vero Litania agitur, neque Gloria in excelsis Deo, neque Alleluja canitur.

Q. IX. *Quibus in Missis hunc hymnum dici, vel omitti hodiernus jubet ecclesiasticus ritus?*

℟. Rubrica tit. 8. No. 3. — Gloria in excelsis dicitur in Missa, quandocunque in Matutino dictus est hymnus „*Te Deum*", praeterquam in Missa feriae V. coenae Domini et Sabbati sancti, in quibus Gloria in excelsis dicitur, quamvis in officio non sit dictum „*Te Deum* **)." An vero et quando in Missis votivis hymnus angelicus dicatur, videri potest §. XII. Q. IX. pag. 122.

Q. X. *Quis sensus verborum hymni: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam?*

℟. Magnum redemptionis beneficium magna procul dubio Deo gloria et nobis gratia extitit. Agimus igitur Deo gratias pro magno redemptionis beneficio, quo omnis ab hominibus honos, et gloria ad

---

*) Lib. II, cap. 20 de Mysteriis Missae. — **) Remsee Tom IV. pag. 102.

Deum venit; quo itidem a Deo ad homines gratiae demum omnes derivantur. Itaque Cyprian: *Gloriam* in hymno respectu nostri sonat gratiam; prout et alibi Dei gloria pro gratia sumitur; ad Romanos enim capite tertio docet Apostolus: *omnes enim peccaverunt, et egent gloria* (i. e. gratia) Dei *).

Q. XI. ***Interpolationes hymno angelico quondam adjectas, an probavit Ecclesia?***

℟. Interpolationes illae, vel pietate, vel simplicitate, vel zelo, qui non erat secundum scientiam, hymno angelico adjectae fuerunt: quae ecclesiasticam saepe non decebant gravitatem, et aliquando potius in decrementum, quam augmentum divini cultus vergebant. Notissimae sunt interpolationes hymni angelici in Missa B. Mariae V. Post *Domine Jesu Christe,* additur spiritus et alme orphanorum paraclyte; post *Domine Deus, agnus Dei, filius patris* — interseritur: primogenitus Mariae Virginis matris — post *suscipe deprecationem nostram:* adjicitur: ad Mariae gloriam. Tum sequitur: *quoniam tu solus sanctus* — Mariam sanctificans. *Tu solus Dominus* — Mariam gubernans. *Tu solus altissimus* — Mariam coronans. Jesu Christe cum s. spiritu etc. Has aliasque in aliis Missis interpolationes ecclesia post Tridentinum delevit, hymnumque angelicum ad primam suam, quae nunc legitur, compositionem reduxit **).

Ante Pium V. utebantur in dicto hymno sacerdotes ob honorem in tantam divam Virginem sine labe conceptam, gloriosam Matrem his verbis. „Quoniam tu solus sanctus: *Mariam sanctificas*, tu solus dominus: *Mariam gubernas,* tu solus altissimus: *Mariam coronas* etc.," quae amplius non sunt in usu.

Denique eadem ratione, qua supra Kyrie in Missis privatis in medio coram crucifixo nunc dicitur, hymnus etiam angelicus in medio dici debet, cum olim ad cornu Epistolae diceretur. Hunc interim morem ad cornu Epistolae hymnum hunc dicendi retinuerunt in Missa solemni Episcopi, pariter Carthusiani, necnon fratres praedicatores in omni Missa. Hi tamen accedunt ad Altaris medium, ut coram crucifixo dicant Gloria in excelsis Deo, sed ad librum revertentes reliquum in eodem legentes prosequuntur. ***).

---

*) Le Brun tom. 1. pag. 183. — Benedictus XIV. de sacrificio Missae Sect. VI. pag. 107. Romsee Tom. IV. p. 100. N. IV.

) Romsee Tom IV. p. 104. N. VII. — *) Romsee Tom. IV. p. 97.

§. XX.

De Oratione.

Q. I. *Quaenam Tit. V. de Oratione statuit Rubrica?*

℟. Dicto hymno Gloria in excelsis: vel si non sit dicendus, eo omisso celebrans osculatur altare in medio manibus hinc inde extra Corporale aequaliter extensis. Tum erigit se, manus jungit ante pectus, et absque capitis inclinatione demissis ad terram oculis vertit se a sua dextera ad populum, quem in ipso altaris medio salutat, dicens „*Dominus vobiscum,*" interim extendens linea recta manus ac mox easdem jungens. Vel si sit Episcopus, dicit „*Pax vobis*", quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est hymnus angelicus. In Missis siquidem de Requiem, in votivis communibus, et in Missis, quae celebrantur in colore violaceo, Episcopus hoc loco sicut semper in aliis Missae locis dicit: *Dominus vobiscum.*

Osculum altaris post Gloria habet rationem, quasi accipiens pacem a Christo per altare designato eam populo salutaturus.

NB. Qui utuntur perspicillis, ea antequam se vertunt ad populum, deponunt, nunquam vero super corporale, sed super Altare. Gavant. *Una* oratio significat Deum unum, *tres* orationes significant Ss. Trinitatem (communi Doctorum sensu.) *Quinque* passionem Christi quinque partitam (Micrologus cap. 4.). *Septem,* quia Christus in oratione dominicali septem constituit orationes (Microlog. l. c.), vel ob septiformem gratiam *).

Junctis ut prius manibus revertens per eandem viam transit ad cornu Epistolae absque praevia conversione et inclinatione ad crucem. Stans erectus ante librum, manus extendens versus latera sua aequali linea et illico per lineam eandem, easdem jungens ante pectus, caputque profunde cruci inclinans, dicit interim clara voce „*Oremus.*" Tum extendit iterum manus ante pectus ita, ut palma unius manus respiciat palmam alterius, digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem eorumdemque latitudinem non excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Manibus sic extensis stans sacerdos dicit voce clara orationem, cumque vertendum est folium, et una tantum utitur manu, alteram interim supra librum aut altare ponit. Si conclusionem orationis

---

*) Innoc. III. Lib. VII. Cap. 27.

incipiat: *„per Dominum nostrum“* jungit manus ante pectus, easque junctas tenet, usque ad ipsum conclusionis finem. Easdem ergo vertendis interim foliis, vel alteri cuicunque actioni applicare vetitum.

Quodsi aliter concludatur oratio veluti *qui tecum vivit,* vel *qui vivis et regnas,* tunc sacerdos dicens *in unitate* jungit manus absque omni ad crucem conversione vel inclinatione.

Cum porro in orationibus exprimitur nomen *Jesus*, sacerdos profunde caput versus crucem inclinat; et quidem sub expressione nominis tantum, quin inclinatio duret ad finem conclusionis. Quae inclinatio nomini Jesu in Epistola versus crucem, ast in Evangelio versus librum exhibenda est. Nomini *Mariae* ubicunque media praestanda est capitis inclinatio, nominibus vero aliorum sanctorum inclinatio capitis minima semper versus librum, dummodo tamen ea die occurrat festum sancti illius, cujus nomen exprimitur, vel dies infra octavam, aut de illo celebretur Missa votiva. Unde in communibus suffragiis, quae habentur in oratione *A Cunctis* ad solum nomen Mariae, non aliorum sanctorum caput inclinatur. Eadem minima capitis inclinatio versus librum debetur ubicunque expresso nomini Papae viventis. Si plures in Missa dicendae sint orationes, idem in eis, quoad vocem, extensionem manuum et capitis inclinationem, uti jam dictum est, observatur *).

Si altare, pergit rubrica, sit ad orientem versus populum, celebrans versa facie non vertit humeros ad altare, cum dicturus est, Dominus vobiscum, Orate fratres, ite Missa est, vel daturus est benedictionem, sed osculato altari in medio, ibi expansis et junctis manibus ut supra salutat populum et dat benedictionem.

Gavantus, Merati, Janssens aliique verba rubricae: *Altare ad orientem* intelligunt de altari, in quo sacerdos celebrans non solum crucem, sed et populum coram se habet, prout contingit, si altare majus collocatum sit in medio chori nullae adhaerens parieti, sicut saepe collocabatur antiquitus. Tum quippe non tenetur se vertere sacerdos ad populum, utpote quem jam sine conversione ad ipsum coram se habet.

De oratione cum prophetiis dictum est §. praecedente. Q. I.

· Oratio significat Christi praesentationem in templo (Durand. In oratione ea debet esse corporis compositio, quae et indicet modestiam humilitatemque, et sacerdotem atque adstan-

*) Romsee Tom. I. p. 7.

§. XX.

De Oratione.

...a manus Tertullianus . c. 30, alii affectum et ...plo Salomonis (lib. 3. reg. ...te altare Domini in conspectu ...anus suas etc. et infra: Si quis ...ai, et expanderit manus suas in ...n coelo, in loco habitationis tuae, ...acies, ut des unicuique secundum omnes ...videris cor ejus." D. Thomas 2. 2. Q. ...rationem vocalem constare quatuor partibus ...vocatione, obsecratione, postulatione et gratiarum ... I. Timoth. 2.

Q. I. *Quaenam Tit. V. de Oratio...*

R. Dicto hymno Gloria in e... eo omisso celebrans osculatur ... extra Corporale aequaliter ex... ante pectus, et absque capi... vertit se a sua dextera ... salutat, dicens „*Dom...* manus ac mox e... *sacerdos dicturus Dominus vobiscum praevie vobis*", quod d... angelicus. In ... variis placent auctoribus rationes hujus caeremoniae, et in Missi... dicunt aliqui, ut osculo erga Christum per altare loco sic... filialis sui signum amoris exhibeat, contestetur. ... alii sacerdotem altare osculantem benedictionem petere ... ut eam populo, ad quem se convertit, communicet dicens: Dominus vobiscum *). Sunt demum, qui hoc osculum salutationem altaris praeviam nominant, antequam sacerdos eidem tergum vertat. De salutatione populi Dominus vobiscum jam quaedam praelibata sunt §. 18. Q. 8. queis addere sequentia proderit.

Haec itaque salutatio praecipuam suam mutuasse energiam videtur ex verbis Christi Matth. 28: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi." Quia salutatio haec ad plures dirigitur, disciplina postulavit antiqua, ut Missae non celebrarentur, nisi duo saltem essent praesentes.

Ast contrariam ecclesia praxin probavit, celebrandi nempe Missam solo etiam praesente ministro.

Cum enim minister populi fidelis personam gerat; hinc sacerdos populum in persona ministri, sive ecclesiam salutare noscitur dicens: Dominus vobiscum. Responsionem populi: Et cum spiritu tuo excerptam verosimiliter diximus §. citato ex epistola B. Pauli ad Galat. cap. 6. Consonant ejusdem apostoli verba 2dae ad Timoth. cap. IV. „Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo." Universus olim fidelium coetus respondebat celebranti „Et cum spiritu tuo," nunc populi nomine soli respondent clerici, vel ministri. Chrysostom. hom. 18. in 2dam ad Corinthios, in tremendis mysteriis, inquit, ut sacerdos

---

*) Romsee Tom. IV. p. 105.

\e, ita plebs pro sacerdote vota facit; haec enim verba: Et 'u tuo, nihil aliud, quam hoc significant.

An Graeci eadem populum salutandi formula utuntur?

ᵛiae Basilii et Chrysostomi commonstrant, Graecos La- · formula, sed hac: *Pax omnibus.*

'versa quoque salutationis formula utuntur Episcopi?

..ia Graecorum consuetudine (ait Bona lib. 2. cap. 5.) ..risti exemplo et doctrina traxit originem, dimanasse reor, ..m latini Episcopi, cum prima vice salutant populum, dicant: *ax vobis,* illius vocem usurpantes, cujus pontificio funguntur.

Bracarense conc. can. 21mo statuit: Placuit, ut non aliter Episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur, et ut respondeatur a populo: Et cum spiritu tuo, sicut et ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet *Oriens,* et non sicut priscilliana pravitas immutavit. Observarunt dudum eruditi, mendum in hunc canonem irrepsisse et loco: *Oriens,* legendum esse *Occidens,* alium quippe morem in ecclesia Orientis viguisse, jam ante dictum est *). Canon itaque eam reprobat praxin, quam introducere attentabat Priscillianus, ut Episcopus non semel tantum, hoc nempe loco diceret: pax vobis; sed et in caeteris omnibus salutationibus, in quibus cum presbyteris dicitur Dominus vobiscum. Innoc. III. **) ideo ait: in aliis Missae partibus Episcopum cum presbytero dicere: Dominus vobiscum, ut declaret, se esse e numero sacerdotum. In hac vero Missae parte verbis Christi ad discipulos post resurrectionem salutare populum, ut in Episcopo reluceat dignitas major. Leo VII. Pontifex Maximus saeculo X. in Epistola ad Gallos et Germanos scribit: Consultum est etiam, utrum Episcopi pax vobis, an Dominus vobiscum pronuntiare debeant? sed non aliter per omnem provinciam vestram tenendum est, quam in s. Romana Ecclesia; in dominicis diebus et in praecipuis festivitatibus atque sanctorum natalitiis Gloria in excelsis Deo et pax vobis pronuntiamus, in diebus vero Quadragesimae et in quatuor temporibus, sive in vigiliis sanctorum et in reliquis jejuniorum diebus, Dominus vobiscum tantummodo dicimus. Colligere inde licet, hymnum festivum angelorum aeque minus ac salutationem jucundam pax vobis diebus poenitentiae non convenire.

Q. *Quare oramus ordinarie versus Orientem?*

℟. Ex traditione Apostolorum orandum est ad Orientem —

*) Romsee Tom. IV. p. 107. — **) De Myst. Miss. lib. 2. cap. 42do.

tes ad devotionem excitet. Extensionem manus Tertullianus innocentiam significare dicit in Apol. c. 30, alii affectum et desiderium impetrandi a Deo exemplo Salomonis (lib. 3. reg. c. 8): „Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiae Israel, et expandit manus suas etc. et infra: Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo, in loco habitationis tuae, et repropitiaberis, et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus.“ D. Thomas 2. 2. Q. 84. art. 17. docet, orationem vocalem constare quatuor partibus, nempe: invocatione, obsecratione, postulatione et gratiarum actione I. Timoth. 2.

Q. II. *Quare sacerdos dicturus Dominus vobiscum praevie altare osculatur?*

℟. Variae variis placent auctoribus rationes hujus caeremoniae, et quidem ideo dicunt aliqui, ut osculo erga Christum per altare repraesentatum filialis sui signum amoris exhibeat, contestetur.

Volunt alii sacerdotem altare osculantem benedictionem petere a Christo, ut eam populo, ad quem se convertit, communicet dicens: Dominus vobiscum *). Sunt demum, qui hoc osculum salutationem altaris praeviam nominant, antequam sacerdos eidem tergum vertat.

De salutatione populi Dominus vobiscum jam quaedam praelibata sunt §. 18. Q. 8. queis addere sequentia proderit.

Haec itaque salutatio praecipuam suam mutuasse energiam videtur ex verbis Christi Matth. 28: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“ Quia salutatio haec ad plures dirigitur, disciplina postulavit antiqua, ut Missae non celebrarentur, nisi duo saltem essent praesentes.

Ast contrariam ecclesia praxin probavit, celebrandi nempe Missam solo etiam praesente ministro.

Cum enim minister populi fidelis personam gerat; hinc sacerdos populum in persona ministri, sive ecclesiam salutare noscitur dicens: Dominus vobiscum. Responsionem populi: Et cum spiritu tuo excerptam verosimiliter diximus §. citato ex epistola B. Pauli ad Galat. cap. 6. Consonant ejusdem apostoli verba 2[dae] ad Timoth. cap. IV. „Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.“ Universus olim fidelium coetus respondebat celebranti „Et cum spiritu tuo,“ nunc populi nomine soli respondent clerici, vel ministri. Chrysostom. hom. 18. in 2[dam] ad Corinthios, in tremendis mysteriis, inquit, ut sacerdos

---

*) Romsee Tom. IV. p. 105.

pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit; haec enim verba: Et cum spiritu tuo, nihil aliud, quam hoc significant.

Q. III. *An Graeci eadem populum salutandi formula utuntur?*

℟. Liturgiae Basilii et Chrysostomi commonstrant, Graecos Latinorum non uti formula, sed hac: *Pax omnibus.*

Q. IV. *An diversa quoque salutationis formula utuntur Episcopi?*

℟. Ex citata Graecorum consuetudine (ait Bona lib. 2. cap. 5.) quae ex Christi exemplo et doctrina traxit originem, dimanasse reor, ut etiam latini Episcopi, cum prima vice salutant populum, dicant: *Pax vobis,* illius vocem usurpantes, cujus pontificio funguntur.

Bracarense conc. can. 21mo statuit: Placuit, ut non aliter Episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur, et ut respondeatur a populo: Et cum spiritu tuo, sicut et ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet *Oriens,* et non sicut priscilliana pravitas immutavit. Observarunt dudum eruditi, mendum in hunc canonem irrepsisse et loco: *Oriens,* legendum esse *Occidens,* alium quippe morem in ecclesia Orientis viguisse, jam ante dictum est *). Canon itaque eam reprobat praxin, quam introducere attentabat Priscillianus, ut Episcopus non semel tantum, hoc nempe loco diceret: pax vobis; sed et in caeteris omnibus salutationibus, in quibus cum presbyteris dicitur Dominus vobiscum. Innoc. III. **) ideo ait: in aliis Missae partibus Episcopum cum presbytero dicere: Dominus vobiscum, ut declaret, se esse e numero sacerdotum. In hac vero Missae parte verbis Christi ad discipulos post resurrectionem salutare populum, ut in Episcopo reluceat dignitas major. Leo VII. Pontifex Maximus saeculo X. in Epistola ad Gallos et Germanos scribit: Consultum est etiam, utrum Episcopi pax vobis, an Dominus vobiscum pronuntiare debeant? sed non aliter per omnem provinciam vestram tenendum est, quam in s. Romana Ecclesia; in dominicis diebus et in praecipuis festivitatibus atque sanctorum natalitiis Gloria in excelsis Deo et pax vobis pronuntiamus, in diebus vero Quadragesimae et in quatuor temporibus, sive in vigiliis sanctorum et in reliquis jejuniorum diebus, Dominus vobiscum tantummodo dicimus. Colligere inde licet, hymnum festivum angelorum aeque minus ac salutationem jucundam pax vobis diebus poenitentiae non convenire.

Q. *Quare oramus ordinarie versus Orientem?*

℟. Ex traditione Apostolorum orandum est ad Orientem —

*) Romsee Tom. IV. p. 107. — **) De Myst. Miss. lib. 2. cap. 42do.

S. Athanasius de plur. et necess. quaest. 14 addit causas, *primam,* quia ex psalmo 123 adorandum est, ubi steterunt pedes Domini, qui ex Zachar. 14 in monte olivarum in Oriente stare dicuntur. *Alteram,* quia Deus est lux vera; *tertiam,* ut respiciamus paradisum, unde Adam ejectus fuit. *Quartam,* quia Oriens est pars honoratior mundi; *quintam,* quia Christus in cruce respiciebat occasum eodemque situ coelum ascendit et inde venturus est ad judicium. *Sextam,* ad differentiam Judaeorum, qui ad Occidentem orabant, ut ex situ templi Salomonis colligitur; *septimam,* quia in aurora venit ad Apostolos Deus in Pentecoste; *octavam,* quia monemur convertere ad Deum.

Orationum ritus antiquissimus est, ut constat ex liturgia Jacobi, Marci et caeterorum, et Origine homil. 11. in Jeremiam, nunquam enim fideles congregabantur in ecclesia, quin finis esset oratio *).

Episcopus prima voce salutat populum cum *pax vobis,* quia (Innoc. III) prima vox Christi erat, cum eis post resurrectionem apparuit. —

Q. V. *Quare audito populi responso et cum spiritu tuo: sacerdos dicit „Oremus?"*

℟. Sacerdos dicens „Oremus" se ipsum populumque fidelem ad orandum excitat; hac eadem vocula olim sacerdos *orationem dare* dicebatur; ea enim a sacerdote data omnes astantes sub silentio orabant, brevi peracta oratione omnium preces sacerdos brevi pariter deprecatione concludens, collectam alta voce recitabat **).

Quandoque dicto „Oremus" sacerdos populo indicabat, ad quem oratio scopum esset dirigenda; quem ritum ecclesia in officio feriae sextae majoris hebdomadae retinuit, ubi pro quocunque hominum statu preces fundit.

Q. VI. *Quid denotat certis diebus, vel a sacerdote, vel a diacono dictum: „flectamus genua"?*

℟. Certis infra annum poenitentiae diebus optans ecclesia, ut populus fidelis et prolixius et instantius orationi vacet: utquo communi Deum humiliatione sibi reddere propitium conetur, eundem populum voce sacerdotis vel diaconi: flectamus genua ad orationem atque humiliationem provocat ***).

In Missa solemni olim diaconus non tantum *„flectamus genua"* sed et *„Levate"* clamabat.

---

*) Vide ad Timotheum, Justinum in Apol. 2. Tertull. in Apol. cap. 39. — **) Romsee Tom. IV. p. 109. — ***) Romsee Tom. IV. p. 113. N. VIII.

Flectamus genua dicitur ad indicandum — quod propter peccatum in terram delapsi sumus — *genuflectitur* — et per benignitatem Dei revocati sumus — *levatur.* — Basilius de spiritu s. cap. 2. deducit hunc ritum ab Apostolis.

Prolatis quippe primis verbis totus coetus in genua provolutus, per aliquod temporis intervallum in silentio orabat. Diacono clamante *Levate* surgebant omnes, audiebantque stantes recitatam a sacerdote collectam. Ast, inquit Bona loco supra citato, cum nullum hodie fiat intervallum inter flectamus genua et Levate, sancitum est, ut primum a diacono et alterum dicatur a subdiacono.

Q. VII. *Oratio cur pariter dicitur Collecta?*

℟. Oratio dicitur collecta, vel quia populo in unum congregato et collecto dicitur; aut quia sacerdos velut populi ad Deum legatus omnium vota in unum colligit, sive quia oratio e selectis s. Scripturae, vel ecclesiae verbis compendiose colligitur, vel tandem quia omnes collectis animis affectus suos, mentesque ad Deum attollunt. De his uberius tractant Claudius Espencaeus Tract. de collectis et Innoc. III. lib. 2. de myst. Miss. Cap. 27.

Adnotare interim oportet, collectam non ubique orationem indigitare, aliquando siquidem pro eleemosyna sumitur, uti in prima Corinth. c. 16. Quandoque etiam sonat coetum fidelium in unum convenientium, locum ad orationem. Unde phrases antiquis patribus familiares erant: collectas agere, congregari ad collectam, collectae adesse.

Benedictionis nomine collectam pariter aliquando insignitam deprehendimus. De ista Amalarius lib. 2. cap. 9. Episcopus vel sacerdos dicit: Oremus, ac deinde sequitur benedictio. Utroque nomine benedictionis et orationis vocatur oratio sacerdotis. De benedictione dicit Apostolus: „Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotae, quomodo dicit Amen super tuam benedictionem? quia nescit, quid dicas *).“

Olim collecta dicebatur super populum, quando cum universa ecclesia ad aliam processionaliter ibatur, tunc enim Episcopus vel sacerdos brevem orationem praemittebat. (Innoc. III. L. II. de Myst. Missae cap. 27.) Successu temporis creverunt orationes per varia pontificum decreta pro variis beneficiis a Deo obtinendis malisque avertendis.

Q. VIII. *Quem autorem collectae habent?*

℟. Card. Bona l. c. §. IV. collectas seu orationes breviores,

---

*) Romsee Tom. IV. p. 110.

quibus summa petendorum a Deo paucis verbis continetur, ab Apostolis etiam eorumque immediatis successoribus in sacris usurpatas fuisse conventibus absque dubio asserit. Collectas vero plurimas de tempore, queis nunc utimur in officiis, et Missis partim a Gelasio sub finem saeculi V, partim a Gregorio sub finem saeculi VI compositas verissimum arbitratur *).

Ante hos vero Pontifices collectas jam plures in ecclesia frequentatas commemorat Conc. Milevitanum celebratum anno 416, quod canone 12 decrevit: ut nulla deinceps oratio in Missa recitetur; nisi praevie in Synodo fuerit approbata. Quanquam interim S. Leo ante tempora Gelasii et Gregorii multas eleganti stylo orationes elaboraverit; cum hae tamen auctae ac restitutae fuerint a Gelasio et Gregorio, his tanquam auctoribus tribui consueverunt. Sunt et quaedam collectae a recentioribus editae, praeprimis de sanctis; quae inquit Bona ab antiquis facili sese negotio distinguunt. Elucet enim in antiquis veteris ecclesiae spiritus, elucet in rebus ipsis Apostolica quaedam gravitas; in sensu et collocatione verborum, grata quaedam et perspicua concinnitas, adeo ut brevi compendio multa contineantur.

Nomen *collectae* idcirco sacerdotali attribuitur orationi, quoniam sacerdos, qui fungitur legatione ad Dominnm pro populo, petitiones omnium in ea colligit et concludit, vel quoniam omnes astantes se debent illo tempore potissimum colligere in unum (cunctis abjectis mentis evagationibus), ut simul cum sacerdote mentem elevantes idem a Deo petant, quod ille omnium nomine palam a Deo postulat **).

Legimus Gelasium papam tam a se quam ab aliis compositas preces limasse politius et distincte disposuisse. Walefridus l. c. cap. 22, vel ut Sigebertus anno D. 487 loquitur, cauto limatoque sermone composuisse.

Q. IX. *Cur ad Patrem ferme omnes diriguntur collectae?*

℟. Christus Dominus Patrem rogare nos docuit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Matth. 6. pariter Joh. 6. Pater noster, qui es in coelis. Unde et praxis ecclesiae constans orationes ferme omnes ad Patrem tanquam originem filii et spiritus sancti dirigit. Nullum vero praejudicium filio vel spiritui sancto comparatur (inquit Fulgentius Ruspensis Episcop. lib. 2. ad Monimum cap. 1.) dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur; cujus consummatio, dum filii et spiritus s. complectitur no-

... 110 et 111. — **) Fr. Titelmann l. c. p. 26

non, ostendit, nullum esse in Trinitate discrimen; quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, et cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio.

Tertullianus pariter in libro de oratione monet: propter essentiae unitatem in Patre, filium et spiritum s. intelligi; cumque in fine collectae filius et spiritus sanctus vivere cum Patre et per omnia saecula saeculorum regnare dicantur, satis demonstratur, nos cum Patre filium et spiritum sanctum, Deum in personis trinum et in essentia unum, adorare. Igitur ad Patrem solum omnes ferme diriguntur collectae, paucae ad filium, nulla ad spiritum s. Non, inquit Bona (l. c. §. V) quia is donum est, et a dono donum non petitur, ut nonnulli cum Durando in suo rationali philosophantur; sed quia Missa repraesentatio est *ejus* oblationis, qua Christus se Patri obtulit, ac propterea ad ipsum Patrem liturgicae precationes diriguntur.

Raro dirigitur conclusio ad filium, nec antiquitus. Bellarm. de Miss. lib. 2. cap. 16: Ut filius etiam credatur Deus, eo casu concluduntur: *qui vivis et regnas,* aeque ac si ad ipsam Trinitatem dirigantur, ne videatur separari Christus a Trinitate. Hoc enim commune est omnibus conclusionibus, ut mentio in iis fiat semper sanctissimae Trinitatis, ut intelligamus, nullum fieri praejudicium reliquis divinis personis, quae in oratione taceri videntur, dum consummatio ostendit nullum esse discrimen in Trinitate — Fulgentius lib. 2 ad Maximum quaest. 1. — *In Unitate spiritus sancti Deus* ita legendum esse, non autem praeponendam vocem *Deus* — *Deus in Unit. sp. sti.* — tradit ex autoritate Romana Rodulphus — Prop. 23. Oratio, quae non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam fit in peccatum. s. Bernard. lib. de amore Dei cap. 8.

Q. X. *Cur collectae per Christum concluduntur?*

℞. Christus docens nos rogare Patrem loco citato, docuit pariter rogare in nomine suo. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, Act. Apost. c. 1. V. 12.

Unus etiam mediator Dei et hominum, Deus et homo Christus Jesus, 1. ad Tim. Cap. 2. et per eum solum habemus accessum ad Patrem, ad Rom. V. *). De hac quoque collectarum clausula: per Dominum nostrum . . . loquuntur Tertull. in Apologet. cap. 21. et Optatus Milevitanus. cap. 3.

---

*) Innocent. III. Lib. 2. cap. 26.

Cum igitur ritus concludendi collectas hac clausula nullibi inveniatur initium, eam ab Apostolis ad nos derivatam jure merito asserimus.

Conclusionem per Dominum nostrum decrevit Conc. Carthag cap. 23.

Q. XI. *Cur ad conclusionem collectarum populus respondet Amen?*

℟. Voculam hanc suo jam tempore frequentatam innuit Apostolus 1 ad Cor. cap. 14: Qui supplet locum idiotae, quomodo respondebit Amen? Eandem memorat Justinus Mart. Apologia 2da.: Absolutis precibus, inquit, et gratiarum actione, quilibet de populo, qui adest, faustis vocibus acclamat: *Amen*. Augustinus quoque lib. 2do contra Epist. Parmeniani cap. 7mo: Cum Episcopus solus intus est, populus orat cum illo et quia subscribens ad ejus verba respondet: Amen.

Vox haec hebraica interdum affirmantis est, *ita est*, aliquando est desiderantis: *ita fiat*, aliquando tandem consentientis: *consentio;* secundo potissimum modo in fine collectarum sumitur.

Significat etiam: *Verum est* — Origenes, Ambrosius — quasi affirmat populus verum esse, regnare Deum, in unitate spirit. s. Deus — Innoc. III. Lib. 2. cap. 26 — Durandus lib. 2. cap. 17.

Genebrardus imprimis graecis et hebraicis litteris eruditus ad Ps. 41 hanc particulam *Amen* notat, in singulis libris psalmorum repeti ad majorem confirmationem et inflammandum pios in Dei laudes et gratiarum actiones.

Q. XII. *Quot collectas in Missa ritus habuit antiquus?*

℟. Ordo Romanus et antiqui sacramentorum libri unam tantum pro singulis Missis collectam assignant. Amalarius scriptor saeculi noni lib. I. refert, se Romae inquisisse, ac didicisse unam tantum in Missa dici orationem, ac ritum hunc religiose adeo observari, ut in occursu duarum festivitatum, uti in die s. Petri et Pauli duae eadem die Missae cantarentur, una de s. Petro, altera de s. Paulo; ne duae orationes in eadem simul Missa miscerentur.

In Synodo Matisconensi celebrata anno 627 Agrestinus monachus Luoviensis arrogantis ingenii homo, s. Columbano objecit, eundem a caeterorum ecclesiasticorum decessisse more, quod sacra Missarum solemnia multiplicatione orationum celebraret. Ast s. Columbanum egregie defendit Eustasius vel Eustachius ejusdem monasterii Abbas. Multiplicationem orationum inquiens, omnibus proficere ecclesiis, quia tum plus Dominus quaeritur, plus invenitur et

cum uberius oratione pulsatur, eo citius exaudire probatur. Uti fuse narrat Jonas Aurelianensis in vita Eustasii *). Videtur inde colligi posse in monasteriis orationum numerum tractim multiplicari coepisse.

Ne tamen collectarum numerum ultra quam aequum est, augeretur, definitum est, ut non plures quam septem recitentur, uti post Belethum et Durandum observat Martene de antiquis ecclesiae ritibus lib. 1. cap. 4. art. 3. N. 11, qui ibidem addit: In veteri ordinario monasterii Tiscannensis ab annis circiter 400, manu exarato de numero orationum in Missa dicendarum haec scripta reperio: A traditione autem majorum nostrorum accipimus, in omni Missa unam, aut tres, aut quinque, aut septem orationes dici debere. *Unam* juxta romani ordinis distinctionem, *tres,* quia Dominus ante passionem suam ter orasse legitur. *Quinque*, propter quinquepartitam ejus passionem, in cujus commemorationem eadem celebramus officia. *Septem,* quia Apostoli septem petitiones dominicae orationis et consecrationem eorundem mysteriorum frequentasse leguntur. Rarissime siquidem diligentiores officii divini observatores alium in orationibus ad Missam numerum admittunt, nisi quem nos competenti mysterio insignitum hic notavimus.

Micrologus pariter capite 6 cum dixisset, unam tantum in Missa dici debere orationem, sicut una tantum dicitur Epistola, unumque Evangelium; addit, quod si plures dici debeant, tres, aut quinque, vel ad summum septem dicendae sint.

Ratio cur in Missis infra Octavas Paschae et Pentecostes solummodo duae dicuntur orationes *una de die, altera pro ecclesia vel papa* valet juxta Durandum (in Dom. de passione) ea, in qua cessant commemorationes sanctorum, ut scilicet nostra intentio feratur in Christum solum et elevetur spes nostra ad unicum ejus singulare refugium; pro ecclesia vel papa additur, pro quibus praecipue orandum, nullo alio mediante, neque B. Maria Virgine, quia Christus et spiritus paraclitus sunt tunc temporis supremi et unici advocati.

Q. XIII. *Quot collectas in Missa praescribit ritus hodiernus?*

℟. Ritus hodiernus regulas tradit sequentes:

A. In Missa festi duplicis una dicitur oratio. Si cum duplici occurrat Dominica, feria major, Vigilia, dies infra octavam, vel simplex, horum post orationem diei fit commemoratio.

B. Missae festorum primae, vel secundae classis, sive solem-

---

*) Romsee T. IV. pag. 111, 112 et 113.

nes, sive privatae excludunt commemorationem diei infra Octavam. Hujus tamen fit commemoratio, si Octava ut privilegiata nempe: Nativitatis Domini, Epiphaniae, et Corporis Christi.

C. Festa primae classis in omni Missa, et secundae classis in Missa cantata (non tamen lecta, nisi sit conventualis) omittunt commemorationem simplicis. S. R. C. 14. Febr. 1705.

D. In dominicis diebus infra octavas, semiduplicibus, simplicibus, et feriis *tres* regulariter dicuntur orationes, pro diversitate temporis diversae.

E. In Dominicis infra octavas *duae* tantum dici debent orationes, et quidem secundum ritum Coloniensis Archidioecesis sub una tantum conclusione, nisi commemoratio facienda numerum augeat *).

Pariter in Missis de tempore passionis; item infra octavas Paschae et Pentecostes *duae* tantum dicuntur orationes. Ubi tamen occurrente festo simplici oratio ecclesiae, vel pro papa omittitur, et secundo loco fit commemoratio simplicis. Ita S. R. C. 15ta Septbr. 1736. Idem in aliis tenet Missis de oratione „a cunctis", vel ad libitum, si aliae fieri debeant commemorationes de praecepto.

F. In simplicibus et feriis dici etiam possunt *quinque,* vel *septem* orationes ad libitum. Rubrica generalis de oratione tit. 9. N. 12. Digniores semper praeponuntur minus dignis. Itaque primo venit oratio de sanctissima Trinitate, 2. de Spiritu s. et 3. de Venerabili, 4. de Cruce, 5. de B. Maria Virgine, 6. de s. Angelis, 7. de s. Joanne Baptista, 8. de s. Josepho, 9. de Apostolis, et sic deinceps de sanctis juxta ordinem litaniarum majorum. De numero orationum in Missis votivis actum est §. 12.

Una collecta dicitur ratione mysterii propter unitatem divinitatis, vel *tres* propter personarum honorandam trinitatem, vel *quinque* propter quinque Jesu Christi plagas venerandas, aut *septem* propter septiformem spiritus sancti gratiam sive propter septem verba, quae in cruce Jesus novissima protulit. Innoc. III libro de off. Miss. septenarium numerum dicit sacerdotes excedere non debere, quandoquidem Christus in oratione, quam suos edocuit, septem petitionibus omnia necessaria corporis et animae comprehendit **).

Micrologus ait l. c. *unam* dici orationem propter Romanam traditionem; *tres,* quia Dominus ante orationem ter ante passionem orasse legitur; *quinque* propter quinquepartitam ejus passionem, in cujus commemorationem haec eadem celebra-

---

*) Romsee Tom. V. pag. 270. — **) Fr. Titelmannus l. c. p. 27—28.

mus officia; septem, quia et Apostoli septem petitiones dominicae orationis ad consecrationem eorundem mysteriorum frequentasse leguntur.

Q. XIV. *Quaenam in Oratione „a cunctis" specialim notanda veniunt?*

℟. 1) Ad litteram N. exprimitur nomen patroni ecclesiae, in qua celebratur. 2) Si erecta sit ecclesia sub patrocinio B. Mariae V., vel Ss. Apostolorum Petri et Pauli, vel titulum habeat sanctissimae Trinitatis, vel Salvatoris aut sanctissimi Sacramenti, vel patroni ecclesiae aliunde fiat specialis in Missa commemoratio, sive tandem si celebretur in oratorio patronum proprium non habente, in his casibus omnibus ad Litt. N. exprimitur nomen sancti vel sanctae, cujus in ea ecclesia asservatur insignis reliquia, vel praecipua agitur memoria *). Alioqui exprimitur nomen sancti ad libitum. 3) Si patronus ecclesiae, in quo celebratur, sit s. Michael, vel s. Joannes Baptista, Missale post orationem „a cunctis", statuit, ut horum nomina praeponantur nominibus Apostolorum Petri et Pauli. Spiridion Talu de omnibus idem censet angelis, ubi patroni sunt. Decrevit pariter S. R. C. 11ma maji 1743. In oratione *„a cunctis"*, et in suffragiis praeponendus est s. Joseph Apostolis Petro et Paulo. Itaque in tribus hisce casibus oratio *„a cunctis"* ordinatur hoc modo.... atque intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria cum beatis Angelis, vel. beato Jo. Baptista, vel beato Joseph atque beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus sanctis.

Q. XV. *Oratio ad libitum cur sic appellatum?*

℟. Non dicitur ad libitum, quasi pro libitu sacerdotis dici vel omitti possit, sed quia ejusdem electio est penes sacerdotem. Haec de praecepto dicitur tertio loco. Eadem suppleri nequit oratione ab Ordinario praescripta, uti decrevit S. R. C. 17. Aug. 1701.

Quod si secunda oratio sit *„a cunctis"*, tertia ad libitum assumi non potest de B. Maria V., vel de Apostolis Petro et Paulo, neque de patrono Ecclesiae; horum siquidem omnium facta jam est commemoratio in oratione *„A cunctis"*.

Demum si Missa celebratur coram persona in dignitate constituta, non permittit discretio assumere pro oratione ad libitum, eam, quae est pro ipso sacerdote.

---

*) Romsee Tom. V. p. 203.

Q. XVI. *An et quando in Missa pro uno, vel pluribus Defunctis collecta addi potest?*

℟. S. R. C. 2da Decembris 1684 decrevit: In Missa privata de festo semiduplici, simplici, seu votiva; vel de infra Octavam sive de feria non privilegiata potest penultimo loco dici collecta pro particulari Defuncto, puta: *Inclina,* vel *Deus qui nos patrem* etc. etc. et similia; sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis puta: „*A cunctis*", vel „*ecclesiae*". Nequit igitur in festo semiduplici, vel de die infra Octavam assumi collecta generalis: „*fidelium Deus omnium*", quae tamen addi potest in Missis festi simplicis, vel feriae non privilegiatae, ubi referente Romsee eadem decrevit. S. R. C. 31ma Julii 1665.

Denique oratio pro Defunctis non videtur assumenda pro oratione ad libitum. Cum enim oratio pro Defunctis conformiter decreto recitato debeat penultimo poni loco, oratio vero ad libitum tertio dici debeat loco, hinc orationum inverteretur ordo.

Q. XVII. *Quid si Missa cantetur vel legatur coram exposito Ssmo sacramento?*

℟. In Missa cantata coram Venerabili exposito, licet in pyxide tantum, semper collecta additur de Venerabili ultimo loco. In Missis quidem primae et secundae classis, si duae tantum orationes sint, una nempe de festo et altera de Venerabili, cantatur utraque sub una conclusione. S. R. C. 23. Junii 1736. Ritus Coloniensis . . . . Archidioecesis etiam in duplici ritus inferioris unam tantum praescribit conclusionem, idque toties quoties et alias duae tantum in Missa dicuntur orationes. In Missis vero inferioris ritus vel etiam duplicis, ubi alia adhuc vel plures occurrunt commemorationes, utpote de Dominica, de die infra Octavam, feria majore, simplici, Vigilia, ultimo loco sub distincta conclusione ponitur eadem oratio de Venerabili — quodsi tamen addenda sit collecta ab Ordinario praescripta, huic si minus digna sit praeponitur oratio de Venerabili. In Missis vero privatis coram Exposito addi quoque potest collecta de eodem Venerabili pro lubitu celebrantis, modo sit expositum ob publicam causam S. R. C. 23. Juni 1736 unde pro precibus 40 horarum eadem S. R. C. decrevit 2da Decembr. 1684. In Missa privata de sancto, duplici vel semiduplici, de quo tali die sit officium, potest quidem fieri commemoratio de Ssmo sacramento exposito, occasione precum 40 horarum, sed ommitenda in festis primae et secundae classis.

Q. XVIII. *Oratio ab Ordinario aliquando praescripta, diciturne in omni Missa?*

℟. Dicitur in omni Missa festiva vel votiva; excipiuntur Missae sive cantatae, sive privatae primae classis, item cantatae secundae classis. In Coloniensi Archidioecesi nec in privatis secundae classis additur, neque in privatis secundae classis addendam esse collegit Merati ex Decreto S. R. C. relato in suo Indice sub No. 471 in Missa privata de sancto duplici vel semiduplici .... uti paulo ante. Omittitur pariter in Missis etiam privatis Vigiliae nativitatis et Pentecostes , Dominicae palmarum, feriae quintae in Coena Domini atque Sabbati sancti Vid. Janssens tit. 9 de orat. No. 102.

Denique relatis supra casibus exceptis nequit etiam ob necessitatem urgentem aliqua addi oratio, e. g. p. casu infirmi vel moriturientis?

Q. XIX. *An eandem semper collectae conclusionem habent?*

℟. Conclusiones collectarum variant. Variationi serviunt regulae sequentes: 1ma oratio ad Patrem directa, quae nec secundae nec tertiae facit mentionem personae, concluditur *per Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit et regnat in Unitate spiritus s. Deus per omnia saecula saeculorum Amen.*

2da directa ad Patrem et filii a principio mentionem faciens, *per eundem Dominum. . . .*

3tia ad Patrem directa et in fine commemorans filium — *qui tecum vivit et regnat* in Unitate spiritus s. Deus, per omnia saecula saeculorum Amen.

4ta directa ad filium sine mentione patris: *qui vivis et regnas* cum Deo patre in Unitate spiritus s. Deus, p. o. s. s. Amen.

5ta directa ad filium commemorans Patrem . . . qui vivis et regnas cum eodem Deo patre in Unitate etc.

6ta denique si in oratione, quae suam habet conclusionem, fiat mentio spiritus sancti, in conclusione additur *ejusdem spiritus s.* Rubrica generalis tit. 9 de oratione No. 17 *).

Q. XX. *Cur manibus brachiisque expansis collectae recitantur?*

℟. Expansis ad Deum manibus orare veteris modo testamenti fidelibus religiosum erat. Sic oravit Moyses sub praelio cum Amalec. Exodi 17. Ita et Deum deprecatus est David: Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Item in nomine tuo levabo manus meas, iterum: Expandi manus meas ad te. Novi pa-

---

*) Romsee Tom. V. p. 273.

riter testamenti fidelibus speciali ratione sanctum est, expansis manibus brachiisque orare. Apostolus ad Tim. scribens ait: Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.

Unde et Tertullian. in Apologetico cap. 30 inquit: Manibus expansis quia innocuis, capite nudo quia non erubescimus precantes sumus *). Idem libro de Oratione cap. 11 scribit: Nos non attollimus tantum manus, sed etiam expandimus a dominica passione modulatum et orantes confitemur Christum.

Unde hodiedum plures religiosi brachia portendunt prolixius, ut expressiorem referant Christi in cruce expansi imaginem. Verum rubrica Missalis cavet, ne manus extendantur ultra latitudinem, et eleventur ultra altitudinem humerorum, ubi major elucet decentia et modestia, de qua et Tertullian. dicit: Cum modestia et humilitate, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate et probe elatis.

Q. XXI. *Quid venit sub nomine Laudum, quae post collectam in Romana olim ecclesia et aliis quibusdam particularibus recitabantur?*

℟. Hae Laudes erant festivae acclamationes et preces quaedam speciales, quae in solemnioribus olim festivitatibus post collectam recitari consuevere pro summo Pontifice, pro Imperatore, Rege, Episcopo. E. G. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat .... Summa Pontifici et universali Papae vita! Exaudi Christe! tu illum adjuva. Domino N. Pontifici nostro salus et vita! exaudi Christe, tu illum adjuva etc. Has pluresque alias prolixas laudum formulas recensent Bona **) et Martene ***).

Absoluto Introitu sequitur instructio populi in fide per doctrinam Prophetarum et Apostolorum in Epistola, per verbum Christi in Evangelio, per articulos fidei in Symbolo, quae omnia mysteriorum sanctificationi, ut nos purgent et praeparent, praemittuntur.

Ipsam vero Epistolam et Evangelium lecturus mente elice hunc actum humilitatis. Egone in ecclesia divina depromam oracula, qui tam diu sedi in cathedra pestilentiae? Ego Evangelium impugnavi? Deinde considera beatos nos esse, quia, ut ait Baruch propheta, quae Deo placent manifesta sunt nobis. Deus enim voluntatem suam nobis revelavit per prophetas et Apostolos in eorum libris et epistolis, et per filium suum in Evangelio. Ideo haec omnia magna cum attentione legenda sunt tanquam sermones Dei, gratias ei agendo, quod

---

*) Romsee T. IV. p. 109. — **) Lib. 2, cap. 5, pag. 8.
***) De Ant. Eccl. ritibus Lib. 1. cap. 4. Art. 3.

mundum doctrina sua illuminare et instruere dignatus sit; promptumque animum offerendo ad servanda ipsius mandata tam in prosperis quam adversis. De hoc autem nos monent in Epistolae lectione *manus super librum positae* et velut operi admotae.

Graduale etiam et caetera, quae sequuntur, exequendi desiderium significant, et ascensum ad apicem christianae perfectionis, qui sunt fructus propheticae et apostolicae praedicationis. Quidam Dexotus sacerdos dicebat, se quotidie duabus concionibus interesse elegantissimis et efficacissimis, lectioni nimirum Epistolae et Evangelii, quas sic audiendas asserebat, ac si Apostolus et Christus forent praesentes, et loquerentur, cum firmissimo proposito exequendi quod docent. Turpissima enim esset ejus praecepti transgressio, quod ab Apostolo et a Christo ea die auditum fuit, nam videretur verbi Divini statim oblitus esse et tantos concionatores neglexisse.

Initio Evangelii librum et te ipsum signabis signo crucis cum tenero affectu erga Christi passionem et mortem. Fit autem ipsum signum in fronte sede pudoris, ne Evangelium erubescas, in ore, ut palam annuncies et confitearis, in pectore, ut illud in corde semper conserves, nec ulla diaboli suggestio fructum ejus impedire queat. In fine librum ibi osculaberis, ubi prius crucem formaveras ad significandum amorem; quo ea doctrina amplectenda et executioni mandata est: ideoque propones factor verbi esse et non tantum auditor: actus ferventissimos amoris elicito erga Deum ejusque legem.

Certis diebus lectionem Evangelii excipit Symbolum, ut fides excitetur et sicut corde ad justitiam creditur, sic ore confessio fiat ad salutem. Actus igitur fidei exercebis verbis correspondentes et contrarias haereses detestaberis. Christo item gratulaberis ob ejus gloriam, dum ipsius resurrectio, ascensio, et judicaria potestas commemoratur, et gaudebis quia regni ejus non erit finis. In illis verbis: *qui cum patre et filio simul adoratur*, spiritum sanctum adorabis et intimo animi sensu sanctissimam Trinitatem glorificabis ob singula beneficia naturae, gratiae et gloriae omnibus creaturis concessa et concedenda. Demum cum dicis: *Et vitam venturi saeculi* spem firmam concipies vitam aeternam meritis Christi obtinendi*).

---

*) C. Bona Thesaur. ascetic. pag. 111—113.

§. XXI.

De Epistola, Graduali, Alleluja, Tractu et Sequentia.

Q. I. *Quaenam ab Epistola ad Evangelium usque observanda sacerdoti praescribit rubrica?*

℞. Oratione una vel pluribus dictis celebrans positis super librum manibus, ita ut palmae librum tangant, legit Epistolam intelligibili sive clara voce. Finita Epistola caput paulisper vertit ad ministrum, qui hoc signo excitatus respondet: Deo gratias. Sacerdos similiter stans eadem voce prosequitur, Graduale, Tractum, Alleluja et Sequentia, quando dicenda sunt.

Ut — fideles — ante sanctissimae actionis mysterium ex evangelio salutis et fidei suae recognoscerent fundamentum et ex apostolo ejusdem fidei et morum Deo placentium caperent instrumentum. Anteponitur autem in ordine, quod inferius est dignitate, ut ex minoribus animus audientium ad majora sentienda proficiat et gradatim ab imis ad summa conscendat. Walefridus cap. 22. lib. de reb. eccles.

Epistola vox est legis suam in Joanne imperfectionem profitentis et ad perfectionem evangelicam suos auditores transmittentis, quamvis autem saepe de apostolicis sumatur litteris; tamen in eo gradu est, ac si semper de lege sit et de prophetis; semper enim mortalitatem vitamque activam magis quam contemplativae sublimitatem, quae in Evangelio radiat, apostolica quoque lectio instruit et dispensat *).

Q. II. *Lectio scripturae post collectam, cur Epistola et olim Apostolus dicta?*

℞. Lectio scripturae sive collectam, sive collectas immediate consequens Epistola dicitur, quia ex variis quidem s. Scripturae locis, frequentius tamen ex epistolis canonicis, et praeprimis s. Pauli Apostoli desumi, ideoque et Epistola et Apostolus a veteribus ecclesiae patribus compellari consuevit. Unde Augustinus sermone octavo de verbis Apostoli, inquit: Apostolum audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus, consonant omnes divinae lectioni**).

Q. III. *Ritus legendi Epistolam in Missa, estne antiquus?*

℞. Si Epistolae nomine lectio Scripturae s. generatim veniat, absque haesitatione hunc ritum Apostolis autoribus tribuere oportet, qui ipsimet veteri Testamenti lege receptaque consuetudine, atque Servatoris ipsiusmet exemplo provocati saluberrimum hunc morem introduxisse videntur.

---

*) Rupert lib. 1. cap. 32. l. c. — **) Romsee Tom. IV. p. 118. N. III.

Moyses Deuteron. XXXI praecepit tribui Levi, convenientibus cunctis ex Israel . . . . leges verba legis hujus coram omni Israel audientibus eis, ... ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant impleantque omnes sermones legis hujus. Unde et Levitae 2[do] Esdrae 8. in conspectu totius populi legerunt in libro legis distincte, et aperte ad intelligendum. Salvator noster ipse Lucae 4. intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, et surrexit legere. Ejusdem etiam moris in sacra synaxi testem agit Apostolus ad Coloss. 4: Cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite, ut in Laodicensium ecclesia legatur; et eam, quae Laodicensium est, vos legatis *). Quanquam vero Apostolus mysteriorum Missae mentionem faciat nullam, cum tamen illorum temporum fideles, nonnisi ad sacra haec celebranda mysteria in unum convenirent, lectionem scripturae sacrae caeremoniis Missae accessisse tuto inferimus.

S. Justinus Martyr eundem morem commemorat Apologia secunda, describens sacrificium christianorum. Et commentaria, inquit, Apostolorum, aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Sanctam hanc consuetudinem pariter sic dictae constitutiones Apostolicae, simul etiam liturgiae s. Basilii et Chrysostomi, plurimaeque veteres unanimi consensione referunt.

Epistolam celebrans legit non ut hominum verbum, sed ut Dei verbum, nos alloquentes et instruentes doctrinae vitae, et ad omne genus virtutum nos excitantes, neque lectorem tantum sed divinae legis exhibeat factorem reflectendo semper aliquod vitae suae moribusque componendis Certe in Dominicis Epistola solet esse de novo testamento, quia dominicus dies resurrectionem Domini et tempus gratiae repraesentat **).

Sed cur ante Evangelium, cum sit firmioris dignitatis, legitur? 1) Quia designat officium s. Joh. Bapt (Rupertus lib. 1. cap. 32,) qui fuit utriusque Testamenti ***). Dein ex Alcuino mos fuit Apostolorum, ut bini ante Dominum irent — Lucae 10. — Tertio ex Walafrido l c., ut audientium animus a minoribus ad majora proficiat sentienda et gradatim ab imis ad summa ascendat.

Damasum Ecclesiae sanctae remigem Epistolas et Evangelium loco legis et prophetarum, quae legi antea moris erat, decrevisse. (Opmeer l. c. p. 20.)

---

*) Romsee T. IV, p. 117. — **) Durand. lib. 2 de rit. cap. 18. — ***) Innoc. III, lib. 2, cap. 29.

Q. IV. *Litterae communicatoriae sive irenicae olim pariter lectae quae erant?*

℟. Litterae communicatoriae erant vel a summo Pontifice, vel Episcopis directae ad ecclesias, ut in conventibus fidelium legerentur. Vocabantur communicatoriae, quia illarum commercio communio, unitas et pax tum s. Pontificem inter et reliquos Episcopos, tum Episcopos inter se, tum hos inter et reliquos fideles nutriebatur, ut credentium esset cor unum et anima una. Unde et hac ipsa litterarum communicatione orthodoxi ab haereticis facili discernebantur negotio; hae enim litterae ab una ad aliam mittebantur ecclesiam. Sic epistolam Clementis ad Corinthios publice lectam in ecclesia testatur Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis. Notissima quoque est epistola ecclesiae Smyrnensis ad omnes orthodoxos, qua s. Polycarpi martyrium describunt, quam refert Eusebius lib. 4. cap. 15.

Litterae hae pariter *irenicae,* sive *pacificae* appellabantur; cum enim illis, quos longum separabat intervallum, communicatio per osculum pacis fieri non posset, neque per eucharistiam seu Eulogias; hinc haec pacifica litteris communicatio fieri consuevit, de qua Chrysostomus homilia 30ma in secundam ad Corinthios scribit: Vide, quemadmodum omnes tam corporibus longe dissitos quam vicinos inter se conciliet, hos nempe per osculum, illos per litteras.

Q. V. *Series et ordo Epistolarum singulis diebus quem autorem habuit?*

℟. Pamelius Tom. XI. liturgicorum, librum s. Hieronymi, qui comes inscribitur, qui etiam ab antiquis sacrorum rituum scriptoribus sub nomine lectionarii citatur, et quidem nunc suppresso, nunc expresso Hieronymi nomine et titulo comitis. Micrologus utrumque nomen refert, capite 25. liber etiam comitis, inquit, vel lectionarius, quem s. Hieronymus compaginavit. S. Hieronymum hoc in libro seriem et ordinem lectionum, epistolarum, et evangeliorum pro singulis anni diebus in Missa disposuisse, communior est eruditorum sententia, cui et hoc additur, s. Hieronymum suum lectionarium per dies singulos distributum ordinasse jubente Damaso Papa, qui hunc ordinem in Romana jussit servari ecclesia, e qua ad alias etiam ecclesias dimanavit.

Ast jam ante s. Hieronymi tempora certas determinatis diebus assignatas fuisse lectiones, s. Augustinus, Hieronymo contemporaneus tradit initio expositionis in Epistolam s. Joannis his verbis: Meminit sanctitas vestra Evangelium secundum Joannem ex ordine Lectio-

num nos solere tractare, sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in ecclesia recitari, quae ita sunt annuae, ut aliae esse non possint; ordo ille, quem susceperamus, necessitate paulum intermissus est, non omissus — inferre inde licet saltem in Africa ante s. Hieronymum certas et statis diebus proprias frequentatas fuisse lectiones.

Q. VI. *In qua parte ecclesiae olim recitabatur Epistota, et a quo?*

℟. Legi antiquitus Epistola consuevit in Ambone seu Pulpito, e quo et Episcopus sermonem ad populum habebat, quem locum et pariter tribunal ecclesiae antiqui patres appellare solebant; dicebatur et cathedra, et inde nomen ecclesiae *cathedralis*. In eodem Ambone legebatur quoque Evangelium sed hoc discrimine, quod et Evangelium in superiore, Epistola vero in inferiore legeretur loco.

Ordo Romanus siquidem statuit: subdiaconus, qui lecturus est, mox ut viderit post Pontificem presbyteros residentes, ascendit ad Ambonem, ut legat; non tamen in superiorem gradum, quem solus solet ascendere, qui lecturus est Evangelium.

S. Cyprianus Epistola 33. — 4 munus legendi Epistolam et Evangelium Lectoribus scribit delatum fuisse. Conc. Toletanum I. can. 2da eundem indigitat morem, cum vetet, ne poenitens admittatur ad clerum, nisi exigente necessitate, inter ostiarios deputetur, vel lectores, ita tamen, ut Evangelium vel Apostolum non legat. Nec etiam Subdiaconi ordinatio relata a conc. Carthaginensi et Aquisgranensi, et ab ordine Romano vel minimum praestat indicium, munus legendi Epistolam esse Subdiacono proprium.

Quo tempore vero provincia haec legendi in Missa Epistolam Subdiaconis fuerit demandata incertum est. Bona *) arbitratur octavo id contigisse saeculo. Micrologus cap. 8vo de eodem Subdiaconorum munere scribit, solis Subdiaconibus inter inferiores gradus Romana autoritas concedit, ut sacris vestibus induti Epistolam legant ad Missam, quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex ecclesiastica concessione meruerunt obtinere. Ordinatio Subdiaconi hanc concessionem firmam stabilemque rddit: „Accipe librum epistolarum“, inquit Episcopus „et habe potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei.“

Faciem Subdiaconus ad altare vertit, quod lex et prophetia omnis ordinaretur ad Christum, cujus figuram refert altare.

---

*) Lib. II. cap. 6, §. 3.

J. B. Scortia l. c. c. 21 ex veteri ritu sedet Episcopus sub illius lectione, ut docet s. Ambros. in epist. ad Cor Amalar. l. c. Hugo de s. Vict. lib 2. off. c. 17. Rupert. lib. 1. cap. 32 Innoc. III lib. 3. cap. 34, quia doctrina Christi in silentio et quiete audienda est.

Viguit et quondam ritus in pluribus ecclesiis prophetias praemittendi Epistolae, diebus praeprimis solennioribus, quem ritum Missalia: Mediolanense et Mozarabicum usque hodie custodiunt. Caeteroqui ritus hodiernus unam tantum lectionem plerumque habet, exceptis paucis per annum diebus, quibus plures assignat. Epistola finita ministri respondent totius populi nomine „Deo gratias", cujus modo meminit s. Augustinus in psalmo 132, ubi redarguit Donatistas, quod catholicum „Deo gratias" irriderent.

Deo gratias dicitur ob consuetudinem antiquissimam, ut Deo gratias agamus, quod nobis doctrinae suae panem frangere dignetur. S. August in Ps. 139 et Rupertus lib. 1. de div. off cap. 14. *Deo gratias* omittitur in fine lectionum feriae VI in Parasceve et Sabbati sancti; cum enim sunt dies luctus, in quibus etiam abstinemus a *gloria Patri* et similibus loquendi modis festivioribus.

Q. VII. *Graduale unde sic appellatur, et quis ejus autor?*

℞. Gemma animae lib. 1. cap. 96 inquit „Graduale a gradibus dicitur, quia in gradibus (altaris) canitur. Ast ordo Romanus non in gradibus altaris sed ambonis responsorium graduale cantari statuit. „Finita lectione illis," inquit: „qui Graduale et Alleluja cantaturi sunt, juxta pulpitum i. e. Ambonem in inferiori gradu standum est." Consonat vetus ejusdem ordinis expositio apud Cassandrum in liturgicis cap. 21. „Responsorium" inquit „quod ad Missam dicitur pro distinctione aliorum Graduale vocatur, quia hoc psallitur in gradibus, caetera vero ubicunque voluerit Clerus." Graduale pariter responsorium nominatur, vel quia lectioni praeviae adaptari vel respondere debet, vel quia uno desinente, alter respondet, ideoque veri nominis responsorium est *). Haec responsoria ab Italis inventa asserit Isidorus lib. 1. cap. 8 de eccles. officiis, sed quo tempore, incertum. Sunt, qui Coelestinum, sunt alii, qui Gregorium Magnum auctorem pronuntiant. Gregorius Magnus in suo quidem Antiphonario responsoria digesta singulis per annum Missis assignavit, ast usum psallendi aliquot versiculos in modum responsorii vel integrum etiam Psalmum, Epistolam inter et Evangelium jam suo

---

*) Romsee tom. IV. pag. 118. N. 4.

tempore frequentatum memorat Augustinus initio sermonis 33tii de Verbis Domini, qui iterum de Verbis Apostoli sermone X inquit: „Primum lectionem audivimus Apostoli, dein cantavimus Psalmum; post haec evangelica Lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit.

Canon XII Conc. Toletani IV. sub Honorio papa celebrati anno 633 adversari quidem videtur statuto Gregorio Magno, quo praecipitur cantari responsorium post Epistolam, citatus quippe canon sub excommunicationis poena praecipit, ut Epistolam immediate post Evangelium cantent.

Ast reflectit Bona l. c. §. 4. canonem de Mozarabico loqui ritu, qui tum et diu postea in Hispania viguit. Cantabant nempe Hispani responsorium post Lectionem veteris Testamenti, quae Epistolae praemittebatur, at post Epistolam chorus respondebat, Amen, et immediate sequebatur Evangelium.

Graduale, inquit Rabanus de inst. cler. lib. 1. cap. 33 ideo dicitur, quia juxta pulpiti gradus cantatur, mystice a gradibus humilitatis, utpote illi conveniens, qui necdum ascendit de virtute in virtutem; sed adhuc in valle lacrimarum positus jam tamen ascensiones in corde suo disposuit. Rupert, Innoc. III et Durandus ajunt dici, quia per gradus virtutum ad hoc pervenitur.

Graduale lamentum indicat et laborem, quae non congruunt cum tempore summae laetitiae paschalis. Summa vero fuit laetitia post recuperatum Thomam in Dominica in albis, in cujus Sabbato ideo cessant Gradualia; eorum autem loco dicuntur duo versus, qui nihil sinistrum aut triste sonant *). Quodsi infra octavam Paschae Graduale dicitur, id fit propter recenter baptizatos **).

Idem refert: Graduale ad poenitentiae respicit lamentum, cantus asper et gravis, adeo ut illud excellentibus vocibus efferre nec usus nec decus sit. Lib 1. c. 34 d. div. off. *Al* significat patrem *le* filium *uja* spiritum sanctum.

Q. VIII. *An Graduale in omni dicitur Missa?*

℞. Dicitur in omni Missa excepto Sabbato sancto et toto tempore Paschali a Sabbato in Albis inclusive usque ad festum Ssmae Trinitatis exclusive. Ejus interim vices agunt duo Versus cum quatuor Alleluja. Rubr. gen. tit. X ***).

---

*) Innocent. III. loc. cit. cap. 23. — **) Rupert. lib. 8. cap. 8.
***) Romsee Tom. V. p. 274.

Q. IX. *Vocem Alleluja a quo accepit Ecclesia?*

℞. Hebraicae linguae periti vocem Alleluja e duabus voculis *Hallelu* et *Jah* compositam sonare volunt: „Laudate Deum cum jubilo, laetitia et cantu."

Iudaei quotannis memoriam agni Paschalis illius, qui in Hierosolimitano templo offerebatur recolentes, psalmos cum Alleluja recitabant, quos *Allelujaticos* appellarunt. *).

Vox Alleluja Davidi autori adscribitur ex Psalmis. Unde in Psalmum CIV[tum], qui Alleluja inscribitur, eleganter Cassiodorus hoc verbi decus ait: „A praesente psalmo fecit initium, nec ante a quoquam reperitur positum; quamvis multi scriptores fuerint primitus Hebraeorum. Hoc ecclesiis votivum, hoc sanctis festivitatibus accommodum, hinc ornatur lingua cantorum, istud aula Domini laeta respondet, et tanquam insatiabile bonum tropis semper innovatur variantibus." Alibi in tota veteris testamenti serie non deprehenditur, nisi in libro Tobiae cap. 13. In nova vero lege in apocalypsi c. 19 refert s. Joannes, se in coelo virtutum supernarum audiisse choros psallentes Alleluja. Hinc merito concludimus augustissimum hoc canticum a triumphante militantem dedisse ecclesiam.

Alleluja usurpatur in Liturgia s. Petri hoc loco. Post luctum laetitia sequitur. Rupert. lib. 1. cap. 35 — et est peregrina vox, ut idem ait ad exprimendum peregrinum gaudium, quod in coelesti Jerusalem nos manet; in diem maeroris omittitur. Analysin s. Germanus dat *Al;* i. e. Venit, *el:* Deus *Via;* Laudate (in Theoria) Durandus has denotat significationes (lib. 4. cap. 20) primam ex s. Augustino *salvum me fac Domine.* Secundam ex s. Hieronymo *Cantate domino laudem.* Tertiam ex Gregorio *Pater, filius et spiritus sanctus;* sed et s. German. l. cit. — *Lux, vita, salus.* Quartam ex Petro Antisiodor: *Al*tissimus *le*vatus est in Cruce, *lu*gebant Apostoli, *ja*m resurrexit. In aliam linguam sicut et *Amen* transferri non debet propter sanctiorem autoritatem. — Isidorus lib. 1. de div. off. cap. 13. Nam de Hierosolimitana ecclesia translata fuit ad Romanam a s. Hieronymo jussu Damasi papae, ut docet Gregor. lib. 7. Epist. 63, ut in omni lingua Missa confiteatur, quia Jesus Christus in gloria est Dei patris **).

Quod autem dicendum sit in Missa post Graduale seu Epistolam, habetur in ordine romano, et geminatur ob geminam quam expectamus glorificationem animae et corporis. Additur *Versus* et alterum *Alleluja* quasi intermixtum sit Graduale

---

*) Romsee Tom. V. p. 120. — **) Innoc. III. lib. 1. cap. 33.

tum luctu, tum laetitia, ne deficiamus in hac vita aerumnarum plena. — Durand. l. c. —

Alleluja in feriis adventus quasi vigiliae summae festivitatis natalis Domini omittitur ad repraesentandum sanctorum patrum expectantium Messiam.

„Alleluja quidem, inquit s. Augustinus, ante Pascha dicimus, quia tempus passionis Christi nostrae hujus in aerumnis positae vitae tempus designat, Resurrectio autem beatitatem ostendit, qua aliquando perfruemur. In ea felici vita Deus per omnem aeternitatem laudabitur; at eum ut semper laudemus, in hac ipsa mortali vita laudare incipiamus, necesse est. Quare saepe dicimus *Alleluja, laudate Dominum* ad laudandum Deum nos invicem excitantes. Verum id agite, ut quidquid in vobis est, eum laudet lingua, vox, conscientia, omnis vitae ratio, facta denique." In Commentariis in Psalmos.

Alleluja jure magis eo tempore frequentatur, quo resurgens Dominus ejusdem beatitudinis spem nobis propinavit, ut autem aliis temporibus ad Missam caneretur, olim Romanae ecclesiae consuetudo non erat, sed a B. Gregorio institutum imo restitutum est; namque a tempore Damasi papae . . . desierat. Cantatur Alleluja post Graduale, canticum laetitiae post luctum et poenitentiae et summopere nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quae reposita est illis, qui nunc lugent. Jubilamus magis, quam canimus unamque brevem syllabam in plures neumas seu neumarum distinctiones protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur et rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria, laetabuntur in cubilibus suis*).

Q. X. *An in omni Missa per annum dicitur Alleluja?*

℞. Sozomenus hist. tripartita lib. 9. c. 39. tradit Romae quondam semel in anno, nempe in die Paschae Alleluja cantari consuevisse. Sed Sozomenum refellere nititur Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ad diem V. Aprilis, ubi et plurima pro sua opinione testimonia Hieronymi adducit. Card. Thomasius in praefatione ad veteres Missarum libros utramque conciliari posse sententiam autumat, si dicatur, in die Paschae publico cantari ritu consuevisse Allejua; caeteris vero diebus ad libitum eam fuisse vocem usurpatam.

S. Augustinus epist. 119. c. 17 de ritu dicendi Alleluja in Missis per annum, diversas tradit fuisse ecclesiarum consuetudines.

Gregorius Magnus lib. 7. epistol. 63 scribit, quosdam murmurasse, quod Alleluja in Missa dici statuisset extra Pentecostes tempora, quibus respondet: ut Alleluja hic diceretur, de Hierosolymorum

---

*) Rupertus l. c. l. 1, cap. 35.

ecclesia ex s. Hieronymi traditione tempore beatae memoriae Damasi papae traditur tractum. Unde colligitur, Alleluja olim paschale tantum tempore decantatum, extra hoc tempus quoque frequentari sancitum fuisse. Vivente s. Benedicto ab initio Quadragesimae Alleluja dimitti primo coepit, uti ex regula capite XV. constat. Verum paucis post ipsum annis Dominica Septuagesimae modo omittebatur, uti in Antiphonario s. Gregorii statuitur, qui ritus usque hodie obtinet.

S. Isidorus de originibus lib. 6. cap. de officiis ait: „binas hasce voces *Amen* et *Alleluja* in alias non abiisse linguas ob peculiarem earum sanctitatem.

Q. XI. *Tractus in Missa quare sic appellatur, et in quibus habetur Missis?*

℞. Tractus, qui loco Alleluja in Missis, quae cum moerore et in paramentis violaceis et nigris peraguntur, locum habet, a trahendo nuncupatur *), quia tractim graviter et prolixo notarum vel vocum decursu cantatur. Componitur e quibusdam psalmorum versibus, et aliquando integro constat psalmo, uti Dominica palmarum et feria sexta Parasceves.

Alcuin. de 70ma — Azor lib. 10. cap. 36. quaest. 8. Autor tractuum vel Coelestinus, Berno vel Gelasius, vel Telesphorus, vel hi omnes perficere fertur.

Tractus deplorat diuturnitatem incolatus ac significat Ecclesiae gemitus. Soto, Stephan. Heduens. l. c.

Tractus ita dicitur, quia vitam trahimus in gemitibus ob lapsum protoparentum, et significat vitae perfectionem, hinc legitur duntaxat a Septuagesima usque ad Pascha, eo quod tunc mortem, quae introivit per diaboli invidiam in hunc mundum, lugeamus. (Rupert. lib. V. cap. XV.)

Humilitatis vero tempore dici solet et semper in causa humilitatis ponitur. — Amalar. lib. 2. cap. 3. vel quia lugeamus vitae praesentis miseriam. Innoc. III. lib. 2. cap. 32.

Q. XII. *Pneuma post Alleluja quid?*

℞. Rupertus Abbas lib. 1 de divinis officiis cap. 35: Tum vero psallimus, inquit, jubilamus magis quam canimus, unamque brevem digni sermonis syllabam in plures pneumas protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, et rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria et laetabuntur in cubilibus suis **).

Pneumae igitur sive Pneumata i. e. adspirationes magna se-

---

*) Romsee Tom. IV. pag. 121. N VII. — **) Romsee Tom. IV. p. 120. N. VI.

ries notarum sunt, quae in fine vocis Alleluja tam prolixae decantantur, ut quasi prae gaudii magnitudine verba deficiant sola quasi superstite aspiratione, excessum gaudii exprimente. De hac s. Bonaventura lib. de expositione Missae cap. 2. inquit: Solemus longam notam post Alleluja super hanc litteram A. prolixius decantare, quia gaudium sanctorum in coelis interminabile et est ineffabile.

Pneuma vel Neuma pro natula accipitur, cum tamen teste Glareano lib. 2 de musica Neuma sit unius syllabae plurimae natulae certo iterato agmine incedentes. (Opmeer p. 327).

Pneuma seu Jubilus, qui fit in fine, exprimit gaudium et amorem credentium. Durand. lib. 4. cap, 20. N. 6.) S. Augustinus in Psalm. 32. N. 8 ait: *Quem* decet ista jubilatio, nisi Deum? Ineffabilis enim est, quem fari non potes, et tacere non debes, quid restat nisi ut jubiles, ut gaudeat cor sine verbis, et immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum.

Amalar. — Stephan. Augustodunensis — Rupertus abbas (Tuitiensis) animadvertunt per ejusmodi laetitiam sono tantum, non verbis expressam nobis felicem in coelis conditionem revocari, ubi non amplius verbis opus habebimus, sed ipsa cogitatio, quidquid inerit menti, significabit *).

Q. XIII. *Quid venit sub nomine Prosae sive Sequentiae?*

℟. Notae, quae ad ultimam vocis Alleluja syllabam cum aspiratione cantantur, ab antiquis nomen Jubili, seu Jubilationis obtinuere, aliquando etiam Sequentiae eis inditum legimus, quia sunt quaedam quasi sequelae cantici Alleluja, illudque sine verbis consequuntur. Utrumque hoc nomen Amalarius lib. 3. cap. 16. refert. Ordo romanus pariter ait: „Sequitur Jubilatio, quam Sequentiam vocant. Igitur rythmicae modulationes, quae Alleluja consequuntur, et loco pneumatis cantari coeperunt, Sequentiarum nomine condecoratae sunt **).

Ideoque Hugo Victorinus de mysteriis ecclesiae cap. 7. inquit: Quando Sequentia dicitur, posterius Alleluja non habet pneuma, sed chorus loco ejus Sequentiam concinnit. Sequentia pariter et Prosa dicitur, quod in ea nulla carminum lex, sive mensura servetur, rythmo tamen, sive simili ultimarum syllabarum soni mysterii, quod celebratur, praeconia enarrentur. Cuivis dominicae et festo suam quondam assignatam fuisse Sequentiam, antiqua quaedam Missalia testantur. Sed plures admodum inconcinnae et ineptae irrepserunt

*) Le Brun Tom. 1. pag. 102. — **) Romsee Tom IV. pag. 121.

Sequentiae, ideoque earum ubique fere imminui coepit, donec romana quoque ecclesia quatuor tantum selectas retinuerit, quem Romanae Ecclesiae ritum pro sua pariter approbavit archidioecesi Coloniensi Maximilianus Fridericus Archiepiscopus, qui aliis plurimis suppressis illas quatuor tantum servari statuit. 1ma Victimae paschali laudes, pro festo Paschatis. 2da Veni sancte spiritus pro festo Pentecostes. 3tia Lauda Sion pro festo Corporis Christi. 4ta Denique Dies Irae pro Missis Defunctorum. Huic ultimae tamen nomen Sequentiae tribui nequit; cum enim Sequentia vices agat pneumatis post Alleluja, in Missis Defunctorum Alleluja non dicatur, hinc non Sequentia sed Prosa appellari debet.

Sequentiam chori alternatim jubilant, quia frequentia angelorum et hominum in domo Dei, Deum in saeculum saeculi laudabunt. Honor. in Gemm. anim. cap. 10.

Sequentia dicitur et Prosa, licet plerumque sit Rhythmus — ein numeröser Vers — dicatur ab aliquibus canticum laetitiae, quia est sequela et appendix cantici Alleluja et dicitur verosimilius ob solemnitatem.

Sequentia ab ordine romano vocatur *Jubilatio.* Abbatem Notgerum seu Notherum sancti Galli primum earum autorem fuisse fertur et Nicolaum papam eas approbasse *). Pectore igitur junguntur sequentiae vocibus *Alleluja* ad explicandam paradisi laetitiam ineffabilem in solemnioribus festis, puta: in Paschate et Pentecoste. Prohibent Leo IX. de consecr. dist. I. et Concilium Tolet. IV. Can. 10 Alleluja dici in Quadragesima. Vox enim tantae laetitiae audienda non est in diebus moeroris et tristitiae, cujusmodi sunt a Septuagesima ad Sabbatum sanctum, tum feriae quatuor temporum, tum vigiliae, quae jejunantur **).

Idem confirmat de Vigiliis cap. de feria VI. in Parasceve.

Stillicidium est enim Alleluja gaudii coelestis ***).

Die dominica dici debet Alleluja, quia cogit dominicae resurrectionis autoritas †). — In solemnioribus festis licet jejunemus, laetitiae tamen plena sunt omnia in divinis officiis celebrandis. — In festo sanctorum Innocentium non dicitur propter plorationem Rachel, quae in figura praecessit matris nostrae sanctae ecclesiae; aut quia tempus erat, quo tunc ad inferni claustra descendebant

---

*) Rodulphus prop. 23. — **) Alcuin. de div. off. de 70ma. — ***) Rupert. lib. 1. cap. 30. — †) Alcuin. l. c. de fer. VI.

passi *). Solemus enim longam notam tonando post Alleluja super hanc litteram A. prolixius decantare, quasi dicat: Gaudium sanctorum in coelis interminabile et ineffabile est. Bonav. Exp. Missae.

Q. XIV. *Prosae sive Sequentiae quos habent autores?*

℞. Si de primo Sequentiarum autore quaeratur, is communiter depraedicatur Notgerus Abbas sancti Galli, qui, ut refert in ejus vita Eccherardus monachus cap. 16, Sequentiarum volumen Lituvardo Vercellarum Episcopo obtulit. Plurimae postea sive certis, sive incertis autoribus prodierunt Sequentiae. Interim si de quatuor illis a Romana custoditis ecclesia sermo sit, quamvis harum pariter omnium indubitati nequeant designari autores, eos tamen, qui communius nominantur, referemus. Itaque Sequentia *Victimae P. L.* vel Notgerum Abbatem, vel Robertum Francorum regem dicitur habere auctorem. Altera *Veni s. S.* vel eidem Roberto, vel Hermanno Contracto attribuitur. Tertia *Lauda Sion* a s. Thoma Aquinate compositam communis tenet opinio. Quarta Prosa demum *Dies Irae* diversis admodum adjudicatur. Ab his nempe Card. Ursino ordinis Praedicatorum, ab illis Thomae Dezelano ordinis Minorum, ab aliis s. Bonaventurae, vel Matthaeo Aquasportano ex Generali Minorum, Cardinali. Sunt etiam, qui eandem vel Umberto, vel Generali ordinis Praedicatatorum, vel Cardinali Malebranea, ejusdem ordinis adscribunt **). Denique Graeci in legenda Epistola diversum a Latinis ritum observant. Praemissis quippe Antiphonis et precibus sequitur Trisagion, quod excipit Alleluja cum duobus versibus e Psalmis, quos propositum nuncupant. Et dein legitur Epistola, qua finita a choro iterum Alleluja canitur.

In festo septem dolorum B. Mariae V. additur Sequentia *stabat mater,* quae adscribitur Jacopono.

§. XXII.

De Evangelio et Symbolo.

Q. I. *Quaenam post Graduale vel Sequentiam, vel Tractum usque ad Symbolum inclusive praescribit rubrica?*

℞. His dictis, quando dicenda sunt, minister vel sacerdos ipse portat librum Missalem ad alteram altaris partem, i. e. cornu Evangelii, et medium altaris transiens caput profunde cruci inclinat et

*) Alcuin. cap. off. Vir erat in terra. — **) Romsee Tom. IV, pag. 122.

procedens ad cornu Evangelii Missale sic *oblique* collocat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris posterius, ita, ut situs libri non rectus sit, sed *obliquus*. Missali sic locato celebrans, si suis ipse manibus illud detulerit, redit ad medium altaris, junctis praevie manibus *).

Quod si non celebrans, sed minister Missale ad cornu Evangelii portet, quod fit convenientius, tunc sacerdos junctis ante pectus manibus et latere dextro totaliter ad cornu Epistolae converso, procedit ad altaris medium, ubique manibus ante pectus junctis manentibus, levatisque ad crucem oculis sine capitis elevatione et statim iterum demissis, profunde corpore inclinatus dicit secreto: *Munda cor meum.*

Munda cor meum — ex liturgia Jacobi, ut scilicet ejus labia digna sint proferendo sermone divino, petit benedictionem eo, quod majori egeat benedictione, qui semina Evangelii tradit, quam qui accipit **).

Ut ex uno exemplo probem, quali vultu acatholici institutiones Ecclesiae conspiciant, audiatis ***).

Per *Jube Domine* et non *Jube Domne*, in Missa privata non hominem, sed Deum alloquitur, a quo ceu universorum Domino benedictionem postulat, puritatem petit cordis et labiorum, ne rem sacram pertractet profane.

Signum Crucis imponit libro, ut indicet in eo contineri vitam, mores, miracula, et legem crucifixi; se munit *in fronte et ore, et pectore* ac si diceret: Ego Christi crucem non erubesco, sed corde credo, quod ore praedico. Astantes similiter se signant in *fronte*, ut demonstrent se non erubescere crucis mysterium, *in ore et corde*, ut significent se corde tenere, quod exterius profitentur (Missale Athanatense 1566) et omnes surgant, ut promptos se ostendant et paratos ad obediendum Evangelio, et ob reverentiam Christi loquentis in sacerdote et ad exequenda Evangelii praecepta.

Responsa: *Gloria tibi Domine* et *Laus tibi Christe* dicitur

---

*) Romsee Tom. I. p. 100. N. 111.

**) Amalar. Lib. III. cap 18.

***) A. H. Gräser, Pfarrer: Die römisch-kathol. Liturgie. Halle, bei Ruff, 1829, sagt über das „Munda cor meum": daß sich dieses Gebeth auf das jetzige Hersagen der evangelischen Perikope in lateinischer Sprache beziehe, könne nur schaamloser Spott behaupten. — Man sieht freilich nicht ein, wie ein vernünftiger Mensch um Reinigung des Herzens zu bitten braucht, um das Evangelium würdig zu verkündigen; „sed mala conscientia malas addit," wenn man darunter nichts anders versteht, als den Leuten unverständliche Worte vorlesen.

ad testandam gratitudinem nostram, quod nos de tenebris in admirabile lumen sancti Evangelii vocaverit. Ex Durando (lib. 4. c. 24), ut gratias agant Deumque laudent, quod diabolum vicerit et nos liberaverit. Ex s. Germano vero confitendo Christum esse verum Deum, sapientiam et verbum patris. Ex Amalario (lib. 3 c. 18), quod Deum populus deprecetur, ne diabolus verba sancti Evangelii de corde illius auferat, neque corda petrosa sint, aut spinosa sed terra bona, ut recepto semine optatum afferant fructum.

Per *Dominus vobiscum* ante Evangelium populum attentum et benevolum fieri atque silentium probare desideratur, quod populus ostendit per *et cum spiritu tuo* (Rupert. l. 1. c. 36.) Apostoli salutabant primum *Pax huic domui* (Gemma lib. 1. cap. 23.) *Osculatur librum,* quasi dicamus per Christum reconciliationem accepimus. Innoc. III. (d. c. 43.) vel caritate evangelizavimus (Durand lib. 4. cap. 24), pacem denique optamus a Christo deletis peccatis nostris, unde dicimus: per *evangelica dicta.*

Hac absoluta oratione manens profunde inclinatus eadem voce secreta pergit (Missis tamen Defunctorum exceptis) *Jube Domine benedicere!* Sibique mox respondet: *Dominus sit in corde meo . . .* quibus dictis elevat se et absque nova versus crucem inclinatione vadit ad librum Missalem, ubi stans versus eundem oblique sive semiconversus ad populum, junctis ante pectus manibus dicit intelligibili seu clara voce: *Dominus vobiscum;* et respondente ministro: *et cum spiritu tuo,* sacerdos manum sinistram extensam supra librum ponit, et extremitate pollicis dextrae, digitis reliquis extensis, sed sibi mutuo junctis, signat cruce parva primo librum super principio Evangelii. Non igitur super his sequentia neque illis: In illo tempore dixit . . . . sed super primis verbis *sacri* textus. Postea sinistram ponens infra pectus eodem pollice dextrae manus se ipsum signat cruce, in fronte, ad os, et in pectore dicens: Sequentia vel Initium s. Evangelii . . . . et minister respondet: Gloria tibi Domine. Tum sacerdos junctis iterum manibus ante pectus stans uti supra, prosequitur Evangelium usque ad finem.

Finito Evangelio minister stans versus cornu Epistolae post infimum altaris gradum respondet: Laus tibi Christe! et sacerdos elevans parumper librum et se inclinans aliquantulum osculatur principium Evangelii dicens submissa voce: per evangelica dicta, — praeterquam in Missis defunctorum; in his enim et osculum, et oratiuncula praedicta omittuntur. Et nisi celebret coram s. Pontifice, Car-

dinali et Legato sedis apostolicae, vero Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum residentiis, sive ubi jurisdictionem habent, quo casu defertur cuilibet praedictorum osculandus liber, i. e. uni tantum et quidem digniori si plures adsint: nulli vero, si plures adsint aequales, uti praescribit caeremoniale Episcoporum *) et tunc licet ob praelatorum aequalitatem nullus osculatus sit librum, non osculatur illum sacerdos, nec dicit: per evangelica dicta. Cum autem nominatur in Evangelio sanctissimum nomen *Jesu*, caput non versus crucem, nisi forte expositum Ss^{mum} sacramentum, sed versus librum profunde inclinat et eodem modo versus librum genu uno flectit, cum in Evangelio est genuflectendum.

Dicto Evangelio sacerdos aptat librum oblique cum pulvino vel pulpito prope corporale, ut commodius legere valeat in medio, ad quod junctis praevie manibus, et latere sinistro ad altare converso accedit; et stans in medio altaris versus crucem illico extendit, et elevat manus sub voce *Credo,* si dicendum sit; cumque dicit: *in unum*, manus demittit, jungitque ante pectus; et addens: *Deum* caput profunde cruci inclinat, et iterum capite erecto stans ibidem junctis ante pectus manibus uti prius, prosequitur Symbolum clara voce usque ad finem. — Cumque dicit: „et in Jesum Christum" iterum caput cruci profunde inclinat; tum incipit legere: „et incarnatus est" manus extra corporale ad altare deponit et incipit uno genu flectere, quam genuflectionem protrahit ad haec verba inclusive „et homo factus est" — (sine elevatione anterioris partis planetae, quae nunquam sub genuflectione elevatur) corpore interim et capite erectis manentibus, dicto „et homo factus est" erigit se, manibusque junctis prosequitur Symbolum, inclinans profunde caput cruci sub verbo: „adoratur," iterumque caput elevat sub verbo „conglorificatur:" Demum dicens: „et vitam venturi saeculi", se signat ad frontem sub voce: „et;" ad pectus — „vitam" ad humerum sinistrum „venturi" et dextrum „saeculi amen" sine manuum junctione.

> Ad verba *„et incarnatus est" genuflexionem omittere* est contra mysterii reverentiam et omnimode abusus uti supra. Commoditas cujus generis? in hoc loco masculini!
>
> Evangelium dicitur ad Aquilonem Alcuin. c. de celebr. Miss., quia contra Luciferum dirigitur et contra sequaces diaboli, Eduens. c. 12. et contra peccatores (Innoc. III. lib. 2. cap. 25) ad Gentiles vocandos (Ivo: serm. con. vet. et novi Testam.) Supervenit Evangelium, ut perfecte instruat

*) Lib. I. cap. 30. §. 3.

populum fidelem in rebus fidei, ut docet Cabosila: perfectioris enim manifestationis fidei sunt, quae per Dominum quam, quae per alios dicuntur.

Cur dicitur secundum Matthaeum, non vero Matthaei. Quia verba spiritus sancti non hominis sunt, quo inspirati Dei homines locuti sunt relata tamen ab Evangelistis, unde etiam David Ps. 44. Lingua mea calamus scribae velociter scribentis. (Durandus l. c.)

Q. II. *Cur a cornu altaris sinistro ad dextrum transferatur liber Missalis, et cur oblique ponitur?*

℟. Vetus ecclesiae disciplina recipiendi fidelium oblationes ad altare tempore offertorii, postulabat Missalis ad cornu dextrum translationem, ne oblationibus deponendis ad cornu altaris sinistrum, impedimento esset. Hanc translationis Missalis rationem assignat Micrologus cap. 9: Ad sinistrum vero cornu, inquit, (nempe respectu sacerdotis non respectu crucifixi) habent librum, cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant, ut in dextra parte (respectu sacerdotis) sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris sacramenta *).

Liber vero Missalis collocatur oblique versus altaris cornu posterius, ut et sacerdos stans ante librum eum assumat situm, sicque ad populum semi conversus eidem Evangelium intelligibilius annuntiet.

Q. III. *Quem scopum habent preces a sacerdote in medio altaris ante Evangelium recitandae?*

℟. Preces hae sunt, „Munda cor meum, ... Jube Domine benedicere, ... et Dominus sit in corde meo“ . . . . prima Oratio in ordinibus Romanis ordine decimo quarto antiquioribus non invenitur; quae tandem ordini XIV inserta a posterioribus refertur Missalibus.

Altera precatio: Jube . . . . pariter primo affertur ab eodem ordine Romano XIV. Quanquam ordo sextus Romanus orationem a Diacono recitandam ante Evangelium praescribat hanc „Domine, labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam,“ et dein benedictionem a celebrante obtinet. In primo ordine Romano jubetur Diaconus accedere ad Pontificem, qui sine Diaconi invitatione praevia, eidem benedicit: „Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis **). . . .

---

*) Romsee Tom. IV. pag. 124. — **) Romsee Tom. IV. pag. 125, 126 et 127.

Sacramentarium s. Gregorii his addit: „ut annunties competenter Evangelium pacis;“ tandem ordo Romanus XIV. haec verba dici mandat: „ut digne et competenter annunties Evangelium suum, in nomine patris etc.“

Sacerdos itaque de divinitate et sanctitate Evangelii persuasus interim indignitatis suae conscius, petit interius exteriusque mundari, ut s. Evangelium digne valeat annuntiare, magnoque erga Dei omnipotentiam et misericordiam excitatus fiducia postulat, ut Deus sibi ipsimet quasi imperare dignetur ad dandam sibi sacerdoti divinam benedictionem, unde inquit: Jube Domine benedicere! Diaconus interim invitans sacerdotem dicit: Jube *Domine* conformiter illi: Coelestem *Dominum* terrestrem dicimus *Dominum*. Haec ultima precatio jube Domine .... et dominus sit in corde meo .... in Missa Defunctorum omittitur, vel ut antiquus in hac Missa custodiatur ritus, qui hanc omittebat benedictionem, vel quia festiva haec caeremonia in solemnem pro Defunctis Missam non quadrat, ideoque propter uniformitatem in Missa pariter privata pro Defunctis omittitur *).

Q. IV. *A quo tempore Evangelium in Missa legi est coeptum?*

℟. In solemni fidelium conventu, cujus pars praecipua sacra erant Missarum solemnia, Evangelium mox, ut scriptum fuit, lectum fuisse testatur Apostolus 2. ad. Cor. 8, ubi commemorans comitem suae peregrinationis s. Lucam inquit: cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias. Paulum vero de Luca et non de Barnaba loqui, uti volunt Graeci, innuit s. Ignatius Martyr in epistola ad Ephesios; et cum s. Hieronymo plures alii evincunt. De Marci Evangelio id pariter asseverat Eusebius lib. II. Hist. ecclesiast. cap. 15, quod (a Marco Romanorum precibus scriptum Evangelium) dum Petrus per revelationem s. spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio librum illum autoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur **). Refertur id a Clemente in sexto Institut. libr., cui testis etiam accedit Papias Episcopus Hierapolitanus. Demum Evangelium nascente mox ecclesia inter Missarum solemnia lectum testantur Justinus Martyr et Cyprianus §pho praecedenti relati aliique patres plurimi. — Cum vero primitus exclusis Catechumenis caeterisque, qui Missae fidelium interesse non poterant, Evangelium legi consuevisset, Concilia:

---

*) Romsee Tom. IV. p. 129. — **) Romsee Tom. IV. p. 136.

Arausicanum I. Can. 18 et Valentinum in Hispania Can. 1 statuerunt, ut Evangelium etiam audientibus Catechumenis aliisque a Missa fidelium exclusis praelegeretur.

Evangelium vox graeca sonat bonum nuntium. In Missa legi curarunt successores Apostolorum, ut testantur Liturgiae omnes — Strabo cap. 22. Alexander papa firmavit usum decreto *). Est autem Evangelium principale omnium, quae dicuntur in Missa. Sicut enim corpori caput praeeminet et illi reliqua consentiunt, ita Evangelium se habet cum toto Missae officio **). Verbum Verbi est, sermo sermonis et sapientia sapientiae***). Evangeliarium per annum composuit s. Hieronymus †).

Q. V. *Quibus olim Evangelium legendi munus fuit demandatum?*

℞. Praecedente §pho quaest. 6ta lectioni Epistolae et Evangelii ordinem Lectorum primitus fuisse destinatum notabamus; donec temporis decursu munus legendi Epistolam Subdiaconis, et Evangelium legendi Diaconis fuit concreditum. De hoc Diaconorum munere loquitur modo liber secundus sic dictarum constitutionum apostolicarum cap. 57, et conc. Vasene anno 529. can. 2 statuit: Si presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit praedicare, sanctorum Patrum homiliae a Diaconis recitentur. Si enim digni sunt Diaconi, quae Christus in Evangelio locutus est, legere; quare indigni judicentur Ss. Patrum expositiones publice recitare? Isidorus pariter lib. 2 de divinis officiis cap. 8. Diaconorum officiis adcenset evangelizare. — Cum interim in antiquis ordinationis Diaconorum caeremoniis de libro Evangeliorum ejusque lectione altum est silentium, inferunt eruditi, Diaconis vi ordinationis munus legendi Evangelium non competere, quod tamen hodierna adstruit ordinationis formula: Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro Defunctis in nomine Domini. Itaque lectionem Evangelii non amplius Lectoribus, sed potius Diaconis a patribus antiquis ideo demandatam credimus, quia sanctitas et majestas Evangelii hoc exigere videbatur, ut ejusdem lectio ordini concrederetur altiori, et sacerdotio proximiori eo magis, quod Lectores in puerili ut plurimum aetate eligerentur. Diaconus vero ante lectionem Evangelii benedictionem et legendi licentiam a sacerdote petit, quia, ut ait Rupertus Abbas lib. 1. cap. 12 ad praedicandum Evangelium praerequiritur missio, quomodo enim praedicabunt, nisi mittantur?

---

*) Rodulph prop. 23 et Gemma lib. 1. cap. 88. — **) Rupert. lib. 1. cap. 37. — ***) Innoc. III. lib. 1. cap. 37. — †) Gemma lib. 1. cap. 87.

Accepta benedictione, magno cum apparatu et augustissimis cum caeremoniis Diaconus librum Evangeliorum ad ambonem referebat. Has ex ordine Romano refert Bona lib. 2. cap. 7. ubi et solemniorem Graecorum processionem ad legendum ex ambone Evangelium describit.

Q. VI. *Cur sacerdos et Diaconus primo initium Evangelii, et dein se ipsos in fronte, ad os et in pectore cruce signant?*

℞. Sacerdos et Diaconus exprimentes nomen Evangelistae, cujus est Evangelium, dicunt: „initium" si Evangelium a primis Evangelistae verbis incipiat, dicunt vero „sequentia" si e contextu, seu e corpore libri desumptum sit Evangelium. Quodsi Evangelium initium faciat a tempore, quo narrata evenerunt, non dicitur: In illo tempore, uti dom. 4 adventus: Anno 5to decimo imperii etc. vel in festo Epiph.: Cum natus esset Jesus *).

Cum dicitur: sequentia . . . sacerdos et Diaconus extremitate pollicis cruce signant prima Evangelii verba. Hac cruce formata protestantur, legenda esse verba crucifixi.

Tum prosequentes: S. Evangelii se signant in fronte, quia, ut ait Augustinus in Psalmum 141, usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Supra os et in pectore; quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ad Rom. 10. Respondet minister: „Gloria tibi Domine," utpote qui verba haec salutis mittere, et per ministrum suum adnuntiare dignatur.

Tum Sacerdos et Diaconus prae reverentia erga Dei verbum manibus junctis Evangelium prosequuntur. Si in decursu pronuntient nomen Jesu, non versus crucem, sicut sub Epistola; sed versus Evangelium caput profunde inclinant; Synod. quippe octava generalis cap. 3 eundem Evangelio, qui cruci debetur, cultum esse exhibendum decrevit.

Q. VII. *Cur fideles Evangelii lectionem stantes excipiunt?*

℞. Ritu antiquissimo assurgendi et standi sub Evangelii lectione fideles protestantur, se promptos et paratos esse ad executionem mandatorum divinorum, quae Evangelio promulgantur. Amalarius (lib. 3. cap. 18. usque ad istud officium) inquit: Baculis sustentabamur, modo ut oportet servos ante Dominum stare, humiliter stamus deponentes baculos e manibus **). Eodem siquidem antiquissimo ritu sub Evangelii lectione baculos deponebant. Milites

---

*) Romsee Tom. IV. p. 130. — **) Romsee Tom. IV. p. 133.

religiosi et equestris ordinis viri ensi manum admovent, vel etiam e vagina educunt, ut se paratos monstrent ad pugnandum strenue pro Evangelii defensione, et ad fundendum pro fide sanguinem.

Anastasium papam, ut omnes stantes venerabiliter dominica audiant s. Evangelii verba, autorem veneramur *).

Q. VIII. *Cur olim versus meridiem, nunc versus septentrionem Diaconus Evangelium annuntiat?*

℟. Micrologus libro de ecclesiasticis observationibus cap. nono rationem dat hanc: quod antiquitus Diaconi Evangelium in ambone legerent; cumque viri a mulieribus discreti in ea ecclesiae parte, quae versus meridiem est, starent, ad hos convertere se Diaconus legens Evangelium; ast cum sacerdos Missam legens privatim non in ambone, sed in cornu Evangelii (tum dicto sinistro, nunc dextro) Evangelium versus septentrionem legeret, hinc tractim et illa usurpatio emersisse videtur, inquit, ut etiam Diaconi in ambone contra ordinem Romanum se vertant ad aquilonem.

Q. IX. *Finito Evangelio, cur populus dicit: „Laus tibi Christe?"*

℟. Alensis in quartam partem summae in tractatu de officio Missae, perlecto, inquit, Evangelio dicunt adsidentes „Amen" quasi dicant: „faciat nos Deus perseverare in doctrina Evangelii. Alii dicunt: „Deo gratias," in gratiarum actionem pro tantae doctrinae beneficio et tam salutaris. — Nunc vero ob eandem dicitur rationem „Laus tibi Christe **)." (Ac si adstantes dicerent: Verum est, quod lectum est, vel ita fiat, multique ex Beleth, Turraecremata et s. Remigio se hoc dicto signo crucis muniunt contra diabolum, ne veniat et tollat verbum Dei de cordibus eorum. Lucae c. 8.)

Q. X. *Cur Celebrans et Diaconus Evangelium lectum deosculantur?*

℟. Jonas Episcopus Aurelianensis in praefatione lib. II. de cultu imaginum adversus Claudium Taurinensem inquit: sacrae religionis usus in sancta ecclesia adhuc servatur (si tamen apud te), ut perlecta s. Evangelii lectione ab Episcopo, vel Presbytero caeterisque sacri ordinis religiosis codex, in quo s. Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur; sed hoc cujus causa, nisi illius, cujus esse verba creduntur, agimus? Liber siquidem Evangeliorum typum gerit Christi in eo loquentis, ideoque synodus octava generalis supra citata canone tertio statuit: s. imaginem Domini nostri Jesu Christi aequo honore cum libro sanctorum Evangeliorum adorari decernimus ***).

---

*) Opmeer off. m. p. 21. — **) Romsee Tom. IV. p. 134. — ***) Romsee Tom. IV. p. 134.

Liber Evangeliorum quondam non ad solius cleri, sed et populi totius osculum circumferebatur. Ast Honorius III sub excommunicationis poena vetuit, ne ad cujusquam etiam principis saecularis osculum, qui sancto oleo non esset perunctus, Evangeliorum liber afferetur *).

Idem Pontifex in epistola apud Reinaldum ad annum Christi 1122 confirmat Legati sui decretum, et ne lecto Evangelio liber ad osculandum aliis, quam personis deferretur inunctis. Sancita excommunicationis poena contra eos, qui parere detrectaverint. Missis Defunctorum solemnibus festiva osculi hujus caeremonia non censebatur convenire, ideoque etiam in privatis Defunctorum Missis conformitatis gratia omittitur.

Q. XI. *Mos finito Evangelio habendi concionem ad populum estne antiquus?*

℞. Moris habendi concionem ad populum finito Evangelio, non invenitur in ecclesia initium. Justinus M. apolog. 2. enarrans, conventibus christianorum die solis apostolorum commentaria, aut prophetarum scripta legi; deinde inquit: Lectore quiescente praesidens sermonem habet, quo populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur. Autor etiam constitutionum Apostolicarum (lib. 8. cap. 8) praecipit Episcopo, ut post lectionem legis et prophetarum atque Evangelii populum alloquatur sermonibus adhortatoriis.

Accedunt innumera Patrum testimonia et conciliorum canones. Munus praedicandi Episcopis praeprimis incumbere, tum usus primitivae ecclesiae sanctorumque omnium Episcoporum exemplum, dum ipsa docet Episcopalis consecratio: „*Accipe Evangelium, vade, praedica populo tibi commisso.*“ Apostolus quoque obtestatur Timotheum sub adjuratione per Deum et Jesum Christum in epistola 2. cap. 4. v. 2: „Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.“ Et sibi ipsimet hanc incumbere obligationem sane gravissimam fatetur idem Apostolus in I. ad Cor. c. 9: Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas mihi incumbit, vae enim mihi est, si non evangelizavero. Unde et sancta tridentina synodus antiquos secuta canones eandem Episcoporum obligationem adstruit, nisi *legitime* sint impediti. Ideoque et aliis animarum curatoribus hanc simul populum docendi et adhortandi obligationem severissime inculcat eadem s. synodus **).

---

*) Merati Tom. I. p. 2. tit. 6. No. 9. — **) Cap. II. sess. V. de reform.

Proderit hic attescere decretum Conc. Aurelianensis apud Ivonem part. 2[da] decreti c. 140, ut in dominicis et festis post sermonem intra Missarum solemnia habitum plebem sacerdos commoneat, ut juxta Apostolicam institutionem omnes in commune, pro diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum, pro Rege et Episcopis, et ecclesiarum rectoribus, pro pace, pro peste, pro infirmis, qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus singulatim precibus plebs orationem dominicam sub silentio dicat; sacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones explicat solemniter. Post haec sacra celebratur oblatio.

Galli hanc functionem *Prone* vocare amant, a graeca voce: „prona os" inquit Benedictus XIV. ab illa templi parte, quae ab ejus limine ad chorum protenta laicos continebat.

Hujus proni quatuor sunt munia; 1) indicere preces, 2) docere populum fidei rudimenta, 3) promulgare festa, jejunia et processiones per hebdomadam, 4) publicare edicta, excommunicationes, futura matrimonia, et quidquid demum ad populi notitiam devenire oportet.

Denique tradit Morinus lib. 8. de poenitentia cap. 14, post Evangelium plerisque ab ecclesiis publicos poenitentes absolvi et reconciliari consuevisse. Quanquam in aliis ecclesiis haec absolutio *post* consecrationem ante orationem dominicam indulgeretur, uti testatur Optatus Milevitanus lib. 8.

Propter historiae elegentiam referre licet, quid post annum 454 accedisse refert Opmeer d. off. Miss. Leontius Neapolis insulae Cypriae Episcopus narrat de Joanne eleemosynario sic nuncupato Alexandrino patriarcha, quod, cum sacris operaretur, videretque populum lecto Evangelio et e templo exivisse, ac otiosis in coemeterio fabulis vacare, exiverit ipse quoque, et cum turba consederit, cumque stupore affecti essent omnes, his verbis eos affatus sit: Filioli, ubi oves, illic et pastor, aut intrato intro et ego ingrediar, aut maneto hic et ego manebo: ego propter vos descendo in sanctam ecclesiam, nam potueram mihi facere Missas in Episcopio etc. pag. 34. addo: Discite esse simplices sicut columbae, prudentes sicut serpentes, et mites in arguendo populo, et multum fructum afferatis in patientia.

Q. XII. *Etymon symboli, unde?*

℟. Symbolum, inquit Maximus Taurinensis homilia in symbolum, est tessera et signaculum, quo inter fideles perfidosque discernitur. Sicut enim symbolum apud profanos autores sonat signum seu tesseram; ita regula fidei religionis nostrae signaculum est, bre-

visque praecipuorum credendorum collectio, atque fidelium mutua quaedam ac certa contesseratio, inquit Bona *).

Q. XIII. *Quot dantur in ecclesia symbola?*

℟. Symbola oeconomica quatuor celebrat ecclesia, quorum primum est *Apostolicum.* Ruffinus in praefatione expositionis symboli, tradunt majores nostri, inquit, quod (Apostoli) discessuri ab invicem normam sibi prius futurae praedicationis in communi constituerunt, omnes igitur in uno positi et spiritu s. repleti, breve istud futurae sibi, ut diximus, praedicationis judicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt **).

Consonant Ambrosius, Hieronymus, Coelestinus, R. P. Leo Magnus, Maximus Taurinensis aliique. Synodus etiam Ephesina in relatione ad Theodosium de Nestorii depositione inquit: fides initio quidem a sanctis Apostolis tradita, postea vero a 318 Patribus in metropoli Nicaena exposita. Testatur Ruffinus in citata symboli expositione, non scripto sed sola voce ab Apostolis fuisse traditum, ne vel ad infideles deveniret, aut a falsis depravaretur fratribus. Unde et voce sola fidelibus tradi primis consuevit ecclesiae saeculis, et tanta quidem secreta fide, ut ne quidem catechumenis illius descriptio memoriae juvandae causae permitteretur, neque ullus scriptor ante Constantinum Magnum illud suis ausus est inserere libris, si solus excipiatur Tertullianus initio libri de velandis virginibus, ubi tamen nonnisi compendio usus quosdam praetermisit symboli articulos.

Alterum *Symbolum Nicaenum* est, a Concilio Nicaeno generali I. conditum contra Arii blasphemiam; ut sic orthodoxi, ab Arianis discreti, ab eorundem etiam erroribus eo securius cavere sibi possent. Hoc symbolo indicta synodo recitato omnes Episcopi exclamarunt: „*Haec est Catholicorum fides,* huic *omnes credimus; in hanc baptizati sumus, in hac baptizamus* ***).“

Tertium *Constantinopolitanum* symbolum a generali II^do^ Constantinopolitano Concilio Sess. I. editum fuit, ad profligandam Macedonii haeresin.

Hoc symbolum cum Nicaeno a patribus saepe confunditur; quia quidquid additum fuit symbolo Constantinopolitano, jam virtute in Nicaeno continebatur; cumque reapse fides una sit, unum etiam

---

*) L. 2. cap. 8. §. 1. Romsee Tom. IV. pag. 139. — **) Romsee Tom. IV. pag. 139. — ***) Romsee Tom. IV. pag. 140.

est symbolum, quamvis Nicaenum Apostolico, et Constantinopolitanum Nicaeno quaedam majoris explicationis gratia addiderit.

Marcus Ephesinus in synodo Florentina tanquam ex communi graecorum Patrum sententia asseruit, Symbolum hoc fuisse concinnatum a Gregorio Nazianceno *).

Quartum symbolum est vulgo *Athanasianum*, quod incipit: Quicunque vult salvus esse, quod communis quondam opinio s. Athanasio attribuit, cui tamen magna recentiorum Criticorum cohors sese opposuit; quanquam hi ipsimet inter se conveniant minime, si de certo ejusdem symboli auctore quaeratur **).

Interim symbolum Constantinopolitanum in Missa cantari statuerunt antiqui patres, non ut autumat Walefridus Strabo (cap. 22.), quia modulis musicis aptius est, sed potius, quia in eo dogmata orthodoxa luculentius atque explicatius contra enatas haereses exponuntur.

Symbolum dat sacrificii actioni initium, nam *concione finita* Clerus illud legit, vel cantat ex reverentia erga verbum Dei mox auditum.

Symbolum est ostentatio, qua credulitate populus susceperit Evangelii doctrinam. Indicium seu signum, seu collatio est, quia Symbolum Apostolorum est judicium fidei ejusdemque regulae et continet omnes ejusdem articulos ***).

Symbolum fidei catholicae recte in Missarum solemniis post Evangelium recensetur, ut per sanctum Evangelium corde credatur ad justitiam, per Symbolum autem ore confessio fiat ad salutem †).

Marcum pontificem Symbolum Nicaenum recitari, Damasum ejus loco Constantinopolitanum substituisse, allegat Opmeer††).

Q. XIV. *Quando et cur symbolum Constantinopolitanum in Missa dici coepit?*

℞. Hoc symbolum in Orientali ecclesia in Missa dici coepit maturius, quam Occidentali. Ritum Orientalium in Ecclesiam latinam primi introduxisse dicuntur Hispani, uti constat ex concilio Toletano anno 529. cap. 2. Gallorum et Alemannorum ecclesiae, referente Walefrido cap. 22. post Felicis haeretici damnationem, ecclesias hispanicas imitatae sunt regnante Carolo Magno†††). Qua vero epocha symbolum in Missa dicere coeperit Romana ecclesia, incertum est.

---

*) Romsee Tom. IV p. 140. — **) Romsee l. c. p. 139 et 140. — ***) Isidorus lib. 2 de div. officiis cap. 22. — †) Opmeer off. Miss. p. 331 et Strabo l. c. — ††) Off. Miss. pag. 20. — †††) Romsee l. c. p. 141.

Sunt, qui Bernonis Augiensis Abbatis testimonio permoti libro de rebus ad Missam pertinentibus cap. 2. initium cantati in Missa symboli sub Benedicto octavo in ecclesia Romana referunt ad annum 1014. Sunt alii, qui contra testimonium Bernonis excipientes, maturiorem assignant epocham; et quidem ante saeculum IX. modo symbolum a Romanis in Missa dici consuevisse contendunt.

Martene de antiquis eccles. rit. lib. 1. cap. 4. art. 5. No. 11, utramque conciliare nititur sententiam, nempe Bernonem non negare symbolum ante Benedicti octavi tempora in Romana ecclesia sub Missa recitatum, sed cantatum fuisse; unde illud maturius in Romana ecclesia recitari, ast non cantari coepisse, nisi sub Benedicto VIII.

S. Thomas tertia parte Quaest. 83. art. 4 docet, cur in Missa legatur symbolum. Perfecte autem, inquit, populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quae a summis ministris legitur, scilicet a Diaconis, et quia Christo credimus tanquam divinae veritati secundum illud Joannis octavo: Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Lecto Evangelio symbolum cantatur, in quo populus ostendit se per fidem Christi doctrinae assentiri.

Ordo Romanus VI. praecipit: Omnis chorus incipiens: „*Patrem omnipotentem*“ . . . ad finem usque perdurat. Hodierno interim ritu symbolum cantu concinnitur alterno.

Caermoniale Episcoporum lib. 1. cap. 28. prohibet, ne quidquam suppleatur per organum, sed totum *jubet cantari symbolum.*

Ut processio spiritus sancti notior fieret, animisque fidelium infigeretur magis, ecclesia hispanica saeculo VI. cadente sub Reccaredo rege hanc particulam „*filioque*“ symbolo addit.

Filioque praecedit additum in Concilio Toletano sub Leone I (ex Baronio ad annum 447, uti Damasus decrevit dici *).

Omnes enim errorum, impietatis, perfidiaeque blasphemias calcat, et ob hoc in universis ecclesiis pari confessione a populo conclamatur **).

Notandum ratio, cur in festis angelorum dicatur. Innocent. III l. c. docet, quia, cum dicimus *Creatorem coeli et terrae*, intelligimus Deum creatorem angelicae naturae et humanae.

In symbolo Missae dicitur et *invisibilium* h. c. angelorum, a Damaso in his festis dici decretum ***).

---

*) Rupertus lib. 2. cap. 21. — Isidorus lib. 1. cap. 16. — **) Crassius lib. 2. cap. 30 in suo caeremoniali.

Hispanos tractim secuti sunt Galli saeculo VIII. et Germani saeculo IX. Universaliter tandem haec particula ad symbolum recepta est post concilium Lugdunense II. celebratum anno 1274, quanquam Graecis facta fuerit ab eodem concilio facultas particulam „filioque" vel addendi vel omittendi.

Q. XV. *Cur sacerdos ad verba: et incarnatus est, genuflectit, et in fine se cruce signat?*

℞. Bellote in observationibus ad ritus ecclesiae Laudonensis p. 442. No. 20 ait: Illud quoque religioso cultu semper observari velim, ut, dum in symbolo pronuntiatur particula illa, qua dicitur: „Deus homo factus est;" commendanda illa ac christiano digna studiose servetur humilis genuum flectio, atque inclinatio ad terram, ex ritu ecclesiastico religiose instituta, in repraesentationem ac venerationem illius eximiae humilitatis, qua humiliavit et exinanivit se ipsum filius Dei, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo *). Ruffinus in expositione Symboli tradit, christianos sub verbis illis: „Carnis resurrectionem" se crucis signo signasse. Gavantus vero signum crucis nunc traductum esse ait: ad verba: „et vitam venturi etc." ut totius fidei professio sigillo crucis quodammodo obsignetur. Ratio prioris discriminis haec afferri solet, quod nempe Symbolum, de quo scribit Ruffinus, quodque a Romana recitabatur ecclesia, verba nunc ultima de vita aeterna non complecteretur; sed desineret in illis: „Carnis resurrectionem." Haec interim articulum de vita aeterna simul continent.

Q. XVI. *Symbolum diciturne in omni Missa?*

℞. E rubrica generali tit. 11 de Symbolo sequentes breviter juvabit afferre regulas; itaque prima: In Missis festorum semiduplicium et inferioris ritus omittitur Symbolum; nisi festum semiduplex incidat infra Octavam requirentem Symbolum. Regula secunda. In Missis festorum duplicium de Martyribus, Virginibus et non Virginibus, et de Confessoribus, Pontificibus etc. non Pontificibus, regulariter non dicitur Symbolum; M. V. C. non credunt **).

Exceptiones a regula: 1) Recitatur tamen Symbolum in festo s. Mariae Magdalenae. 2) In Missis Confessorum Doctorum, nempe: Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Thomae Aquinatis, Bonaventurae, Athanasii, Basilii, Gregorii, Joannis Chrysostomi, Leonis Magni, Isidori, Anselmi et Petri Chrysologi. 3) Ex decreto S. R. C.

---

*) Romsee l. c. pag. 138. — **) Romsee l. c. p. 144.

Ideoque ecclesia statuit, ut festum patroni primarii loci servetur a populo, ac sub ritu primae classis cum Octava celebretur. Haec vero inter loci titulum vel patronum, et solius ecclesiae titulum sive patronum — quoad obligationem festi in populo — differentia nascitur, quod loci titulus vel patronus, per se importet festum in populo, non item titulus, vel patronus solius ecclesiae. Ita S. R. C. decrevit 13 Sept. 1642.

Festum principalis patroni, in quocunque regno vel provincia et alterius pariter principalioris, in quacunque civitate et oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit, est praeceptivum cum obligatione audiendi sacrum et vacandi ab operibus servilibus.

Cum igitur e. g. civitas Coloniensis habeat patronam loci, s. Ursulam cum sociis Virginibus Martyribus, hinc festum s. Ursulae importat obligationem audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus respectu totius civitatis. Quod festum interim nunc conformiter concordato rempublicam gallicam inter R. Pontificem sancitum, si infra hebdomadam incurrat, transfertur ad Dominicam sequentem.

Cum econtra ecclesiae parochiales intra civitatem sitae, solius ecclesiae, et non loci titulum vel patronum habeant; quia sub nomine loci tota venit civitas, hinc in festis horum titulorum, vel Patronorum e. g. s. Severini, s. Cuniberti, Assumptionis B. Mariae V. etc. parochiani praecise vi decreti S. R. C. neque Missam audire, neque ab operibus servilibus vacare tenentur.

An vero consuetudine quondam hic Coloniae ubique recepta servandi festa titulorum vel patronorum ecclesiarum parochialium obligatio introducta sit feriandi, ab illius dependet decisione quaestionis, an et quando consuetudo novam censeatur introducere legem?

2) Quoad officium ecclesiasticum haec de titulo, vel patrono loci et de titulo vel patrono ecclesiae tantum utiliter notanda veniunt: Officium de titulo vel patrono principali alicujus regni, provinciae, patriae, civitatis, oppidi, municipii et pagi recitari debet sub ritu duplici primae classis cum Octava a clericis saecularibus loci respective incolis; et a regularibus sub eodem ritu, sed sine Octava. Quodsi vero sit festum tituli vel patroni solius ecclesiae, et non loci (sive haec sit ecclesia parochialis, sive alia etiam capella publica, licet tantum benedicta et non consecrata) sub eodem ritu recitandae sunt horae canonicae ab omnibus clericis illi ecclesiae adscriptis, uti decrevit S. R. C. 21. Julii 1710. De patrono seu titulari ecclesiae debet fieri sub ritu duplici primae classis cum Oc-

tava a clero eidem ecclesiae adscripto, etiamsi ecclesia non fuerit consecrata sed tantum benedicta. Clero ecclesiae adscripto adcensentur quoad praesens etiam ii, qui in ecclesia, in qua sola et non in loco celebratur festum tituli, sive patroni, Beneficium possident. Quodsi beneficiatus habeat altare suo beneficio proprium et erectum sub invocatione alicujus sancti, hic non venit nomine patroni ecclesiae. Unde de eo tantum et sub eodem ritu officium recitabit, si et sub quo in Breviario describitur. Quodsi de eo in Breviario occurrat nihil, poterit pro casibus, in quibus votivae permittuntur Missae, celebrare de sancto altaris Missam more quasi festivo, i. e. cum hymno angelico sed absque symbolo, et tres dicet orationes. Horas vero canonicas de eodem recitare prohibetur, nisi in eodem altari adesset reliquia insignis illius sancti, de quo constaret authentice, pro quo casu recitare posset officium de sancto illo sub ritu duplici minoris et in Missa dicere symbolum puta: S. R. C. decrevit 3. Junii 1617. Duplex officium est recitandum de sancto, cujus habetur insignis reliquia, ubi asservatur et sit ex sanctis approbatis et positis in Martyrologio Romano.

Parochus in duabus ecclesiis jurisdictionem exercens, si in illis resideat aequaliter, utriusque patroni sive tituli Octavas celebrare tenetur. S. R. C. 5ta July 1698. Quodsi sub districtu parochiae sita sit capella consecrata, vel saltem benedicta, quae rectore destituta est, tenebitur parochus pariter de titulo, vel patrono ejusdem capellae Octavam servare. Rubrica enim praecipit generatim, ut Octavae celebrentur, tituli sive patroni, cujuscunque ecclesiae consecratae vel benedictae, sicut et anniversarii dedicationis ecclesiarum, cui obligationi non satis fiet in casu, nisi satisfaciat eidem parochus. Quodsi tamen capella habeat rectorem, is ad Octavam tituli vel patroni, pariter et anniversarii dedicationis tenebitur. Quo casu poterit parochus officium de titulo; vel patrono capellae recitare tunc tantum, et sub eo ritu, quando et sub quo describitur in calendario; in quo si locum non inveniat, de eo officium non dicet; nisi officiorum solemnia in dicta capella in die tituli, vel patroni peragere debeat, quo casu sub ritu primae classis, sed sine Octava officium de dicto capellae titulo vel patrono persolvere poterit.

Qui plura possidet in diversis eccelesiis beneficia, si in illis aequaliter resideat, Octavas patronorum dictarum ecclesiarum celebrare tenebitur. Quodsi in una tantum resideat ecclesia, illius tantum tituli vel patroni Octavam servabit.

Si quis in districtu ecclesiae parochialis, cui adscriptus est, re-

sideat, et diebus tantum dominicis, festivisque in capella rurali sibi credita ministerium suum praestet, et hoc praestito ad ecclesiam redeat parochialem, cui sua etiam exhibet ministeria, tenebitur aeque celebrare Octavam patroni matricis ecclesiae, ac illam tituli sive patroni suae capellae, dummodo haec saltem sit benedicta. Quodsi vero in districtu capellae suae fixe resideat, quaestio, an praeter Octavam tituli vel patroni capellae aliam quoque tituli vel patroni matricis ecclesiae celebrare teneatur? videtur negative resolvenda conformiter decreto S. R. C. 17. Aug. 1709, de titulo et consecratione ecclesiae parochialis, quae non est cathedralis, non debet fieri officium ea die, neque per Octavam a sacerdotibus, qui non sunt de clero parochiali, licet sub eadem parochia degant. Cum igitur sacellanus in quaestione non sit de clero parochiali, non videtur ad Octavam patroni parochialis obligatus. Tandem quae relative ad officium canonicum de patrono principali sive titulo dicta sunt, servata proportione applicari poterunt anniversario dedicationis ecclesiae consecratae.

Q. XX. *Quae tandem differentia statuenda inter titulum, vel patronum loci, et titulum, seu patronum solius ecclesiae, ratione symboli?*

R. In die festo primarii patroni vel tituli loci, quod festum servatur a populo, symbolum dicitur in omnibus etiam aliis ecclesiis sub toto loci districtu sitis. Ast in die festo tituli seu patroni solius ecclesiae et non loci, quod festum regulariter a populo non servatur, symbolum tantum dicitur in illa ecclesia, non vero in aliis ecclesiis, licet sub districtu illius ecclesiae sitis. Unde e. g. in die festo s. Ursulae et sociarum Virginum Martyrum in omnibus totius civitatis Coloniensis ecclesiis in Missis dicitur symbolum. — Ast in die festo s. Cuniberti e. g. in ejusdem tantum parochiali ecclesia, non in aliis, licet sub districtu parochialis ecclesiae sive sitis symbolum dici debet. In primo siquidem casu festum s. Ursulae utpote patronae loci, totam afficit civitatem, adeoque ecclesias omnes infra civitatem sitas. In secundo vero casu s. Cunibertus patronus est solius ecclesiae parochialis. Patronus vero solius ecclesiae non extendit se ad locum, licet intra parochiam situm, uti declaravit S. R. C. 14ta Febr. 1705 et 28. Aug. 1706.

Q. XXI. *Sed quid, si patronus solius ecclesiae sit v. g. Angelus?*

℟. Si patronus solius ecclesiae aliunde symbolum exigat, utpote quia e. g. Angelus est, vel Apostolus, addendum erit sym-

bolum etiam extra dictam ecclesiam, quia Angelo et Apostolo symbolum ubique debetur.

Q. XXII. *Si infra Octavam tituli vel patroni solius ecclesiae in casu quaestionis praecedentis Missa celebretur de alio sancto e. g. Martyre, estne addendum symbolum?*

℞. Si celebretur extra ecclesiam, cui soli et non loco patronus vel titulus competit, non est addendum symbolum, neque ratione loci, quia Octava ad illum se non extendit, neque ratione festi, quia symbolum illi non debetur. Eadem formanda resolutio est, si celebretur Missa de sancto, cui aliunde non debetur symbolum, extra districtum patroni primarii loci. Hinc sacerdos ruri degens in festo s. Ursulae nequit addere symbolum, licet suum Coloniae domicilium habeat.

Q. XXIII. *An extranei celebrantes in ecclesia, ubi fit Octava patroni, vel tituli, symbolum dicent?*

℞. Janssens (part. 1. tit. 9. N. 73) respondet, quod in casu posito extranei symbolum dicere possint conformitatis gratia in Missa etiam discordi ab officio loci.

§. XXIII.

De Offertorio et Secretis.

Q. I. *Quae sunt Rubricae placita pro Offertorio et Secretis?*

℞. Dicto symbolo, vel si hoc non dicendum, celebrans extensis utrimque manibus super altare extra corporale, osculatur altare in medio, et erectus jungit manus ante pectus, et a manu sinistra ad dextram vertit se demissis oculis ad populum, et extendens aequaliter ac illico sine elevatione jungens manus, voce clara dicit: *Dominus vobiscum*, et mox revertitur per eandem viam ad medium altaris, ubi extendens, et iterum jungens manus voce clara dicit: *Oremus,* sub qua voce articulatim pronuntiata tria haec: extensio, junctio manuum, et inclinatio capitis fiunt. Tum junctis manibus voce clara dicit antiphonam: Offertorium. Hac dicta discooperit calicem, et utraque manu accipiens extremitates veli posteriores, plicat illud semel et iterum ita, ut materia veli exterior sola videatur *).

To Dominus vobiscum demonstrat introitum ad aliud officium, dum salutat sacerdos operarios suos (Amalar. lib. 3,

---

*) V. Romsee Oper. Liturg. Tom. I. pag. 105. 6. 7. 8. etc.

cap. 19). — Invitaturus quoque ad orationem monet, nisi Dominus sit nobiscum, non posse nos orare *). *Oremus*, quo docemur, ut stabiles simus in fide, quam professi sumus in Symbolo (Steph. Eduens. de sacramento altaris cap. 12) vel precamur, ut voluntarium sacrificium acceptabile sit Domino, nec despiciatur cum sacrificio Cain. (Amalar. l. c) *Offertorii* autor ex Demachares tom. 4, cap. 15 est Coelestinus, ex Petro ab Opmeer de offic. Miss. Eutychianus — ex Gemma animae lib. 1, cap. 28 s Gregorius — praedicationem Evangelii sequitur fides in corde, laus in Offertorio, fructus in sacrificio, addit Alcuinus cap. de celebr. Missae — ad imitationem populi Israel hoc fieri, qui oblationes et vota cum laude consueverant offerre Deo. —

Sunt tria offerenda: 1) Ipsamet persona, 2) exteriora dona, et 3) panis et vinum, quae sunt sacrificio necessariae.

Prima oblatio est omnium, populi circumstantis (et sibi commendatorum) et celebrantis. Nam omnis christianus officio Missae assistens, offerre debet seipsum oblationem spiritualem Deo actu vel habitu, per promptam et obedientem suae voluntatis voluntati divinae subjectionem, qua semper ex animo dicere possit ad Patrem: Non mea sed tua fiat voluntas. *Sine hac spirituali* oblatione *exterior* oblatio Deo accepta non est, dicente scriptura: Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. Genes III. Quia nisi arbor bona fuerit (Matth. VII) fructum bonum facere nequit. Voluntas vero arbor est et radix operis nostri boni et mali.

Secunda oblatio donorum exteriorum ad ministri sustentationem, pauperum consolationem et ad cultus divini conservationem et ampliationem a populo facta, ex vera caritate ortum habens Deo grata est.

Tertia oblatio est panis et vini praesentatio et per celebrantem acceptatio ejusque praeparatio ad consecrandum et sacrificandum, et haec solius est celebrantis, et hic quidem incipiunt mysteria **).

Alexander VI statuit: In sacramentorum oblationibus, quae intra Missarum solemnia offerantur, passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus corpus et sanguis conficitur, passio celebretur; ita ut repulsis superstitionum erroribus panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. (Opmeer pag. 9.)

Velum sic plicatum collocat ad cornu Epistolae extra corporale in parte altaris posteriore. Tum deposita sinistra manu extra corporale super altare, dextra accipit calicem ad nodum, sistitque ad

---

*) Innoc. III, libro 2, cap. 53. — G. Biel l. c. pag. 13.

cornu Epistolae. Dein utraque manu extendit plicam corporalis anteriorem, cujus extremitas correspondebit extremitati mensae altaris versus sacerdotem. Explicato corporali manum sinistram extra illud ad altare deponens pollice et indice dextrae amovens pallam de patena, eam ad cornu Epistolae ita collocat, ut pars una ejusdem super veli complicati extremitate, et altera pars super altari prope corporale quiescat; sicque eandem durante Missa semper collocabit.

Dein digito medio sub patena, et pollice atque indice supra patenam positis accipit eandem cum hostia de calice, et dextrae prope medium altaris cum sinistra sua occurrens, ambabus manibus patenam ita adprehendit, ut utriusque manus pollex, index, et medius digiti, patenae circumferentiam teneant, manibus infra patenam junctis, ab extremitate annularium et parvorum digitorum, usque ad pulsum; sicque patenam cum hostia versus pectus elevatam tenens, oculis ad crucifixum elevatis dicit secreto: *„Suscipe s. Pater etc.“* tum demissis oculis ad verba: „hanc immaculatam hostiam“ prosequitur orationem; qua totaliter finita, patenam ad altitudinem quatuor circiter digitorum, a corporali elevatam tenet ita, ut pollices sint supra patenam, et indices ad ejusdem circumferentiam, reliqui vero digiti infra patenam; sicque a medio circiter corporalis versus partem ejus anteriorem ducit lineam rectam, unius palmi, ad cujus medium eandem patenam mox reducit, lineaque transversa ducta, a cornu Evangelii ad cornu Epistolae lineam secat rectam, tumque patenae partem posteriorem paulisper deprimens deponit hostiam circa medium anterioris partis corporalis ante se ad medium formatae crucis. Hostia deposita sinistram suam demittit ad altare extra corporale, et versus cornu Epistolae dextra sua medietatem patenae sub corporale ponit; aliamque medietatem exterso paulo post calice teget purificatorio.

Oratio prima: „Suscipe“ est oratio pro peccatis — sacerdos in ea aeternum Patrem, quem appellat Deum *vivum* ac *verum*, orat, ut hostiam suscipiat pro innumeris peccatis, tum commissis, tum offensionibus, omissionibus et negligentiis, se et fideles omnes vivos et mortuos Deo commendat, ut consequantur vitam aeternam. Preces pro delictis suis, dein pro populo. Hebr. 7.

In hac parte Missae quatuor sunt notanda, in quibus tota completur consummatio sive perfectio sanctitatis, scilicet
oblatio,
sanctificatio
sanctificati distributio, et
distributi communio.

Per primum offeruntur munera, per secundum idonea efficiuntur Deo oblata, per tertium distribuuntur pro uniuscujusque mensura, per quartum omnia ad Deum mittuntur Christo jam incorporata. Albert. Magn. d. off. Miss. part. 3, cap. 1. Rotunditas hostiae significat trinitatem et aeternitatem Dei. Rotunditas enim fine caret et initio; aeternitas enim caret initio et fine non clauditur, quod in fine collectarum quando per omnia saecula saeculorum, declaratur. Bonav. Exp. Miss.

. . . . Quando patenam cum hostia in manus accipies, pones in ea cor tuum et omnium circumstantium omniumque fidelium corda, et ea Deo offeras hac intentione, ut, sicut panis, quem offers mox convertetur in corpus Christi: ita cor tuum et omnium fidelium corda in ipsum Christum, per amorem et imitationem transformentur adeo, ut dicere omnes possint: *vivo ego, jam non ego. vivit vero in me Christus.* Idem repetere poteris in calicis oblatione. Dum vinum calici infundis, gratias ages Deo, quod sub his speciebus se occultare voluerit pro amore tuo, et cum misces aquam, desiderium excitabis te totum immergendi in abyssum meritorum Christi; atque ad intimam cum Deo unionem suspirabis. In oratione autem: *Deus, qui humanae substantiae* tres veluti mixtiones seu conjunctiones prorsus admirabiles celebrari observabis, *primam* in humanae naturae creatione, cum mortali corpori immortalis anima copulata est; *alteram* in ejusdem a verbo facta assumptione, cum duo extrema infinite distantia in unitate personae conjuncta sunt; *tertiam* in ejus elevatione ad gratiam et gloriam, ad consortium scilicet et participationem divinitatis, quam ardentissime concupisces.

Quamvis hoc sacrificium unicum sit, duabus tamen partibus constat, corpore videlicet Christi sub speciebus panis ejusque sanguine sub speciebus vini. Ideo pane jam oblato, seorsim procedis ad vini oblationem. Utramque vero extendes ad omnes fines, propter quos hoc sacrificium institutum fuit, qui cum sint maximi momenti, cum summo devotionis fervore hae oblationes fieri debent, ac si tu solus esses in toto mundo sacerdos, et ab hoc sacrificio omnium hominum salus penderet.

Subditur brevis precatio: *In spiritu humilitatis* ex Congiori excerpta, quam Azarias, unus ex tribus pueris inter flammas fornacis Babylonicae concepit, animo vere contrito et summae humilitatis affectu recitanda. Sequitur alia oratio *Veni sanctificator*, qua Deum invocas omnis sanctificationis autorem, ut non solum sacrificium jam praeparatum perficere, sed sua etiam benedictione complere dignetur.

Dum manus lavas, protestaberis te velle pure ac munde vivere et a minimis etiam defectibus emundari; tum gratias ages, quod Christi sanguine lotus sis, aliosque affectus elicies

verborum sensui conformes. In oratione *suscipe sancta Trinitas* non nudam et aridam beneficiorum redemptionis nostrae, quae ibi commemorantur, memoriam facies, sed quae intimae gratitudinis affectum includat. Quare totus in demississimam gratiarum actionem effusus hanc hostiam infinitae dignitatis te posse offerre gaudebis, ad Dei gloriam et ad honorem B. M. Virginis et omnium sanctorum, ut ipsi in coelis ante thronum Dei incensum orationum tuarum pro tua aliorumque salute repraesentent.

Postea memor imbecillitatis tuae et considerans, quanti momenti sit tantum sacrificium divinae majestati offerre, ad circumstantium confugiens suffragia ipsos admones, ut pro te orent. Manus autem extendis, ac si omnibus viscera pandas, et rursum jungis, quasi intra pectus receptos complectaris. Ipse vero, qui alios ad orandum hortatus es, secreto quoque oras, ut tuum a Deo sacrificium acceptetur. . . . .

Secretis orationibus absolutis statim clara voce dicis: *per omnia* etc. nihil sonans temporale sed sublime et aeternum. Tum populum salutans non te ad eum pro more convertis, quia jam debes a terrenis abductus, totus Deo intentus esse. Jubes autem *sursum corda* attolli ac si diceres: Elevamini omnes creaturae ad Deum, emergite e faece terrae et quae sursum sunt quaerite, quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Corda vero ad superna subvecta ad gratias Deo agendas hortaris, quia nihil dignius, nihil magis aequum et salutare, quam beneficiorum memorem esse. Ideo cor tuum expandes ad omnes creaturas et ad omnia beneficia illis collata, gratiarum enim actio potissima est ad ampliorem gratiam dispositio. Succedit praefatio . . . . ne tamen temere in Angelorum choros te ingeras, facultatem a Deo petis humili supplicatione dicens: *Cum quibus et nostras* etc. . . . . Ita angelicis penitus agminibus sacrum trisagion psalles summa cum reverentia et fervore, qui tantus sit, ut quantum fieri potest, supernorum spirituum affectui correspondeat, et adaequetur. Si enim *tremunt potestates*, quae sunt veluti coeli columnae, quanto debes honore ac tremore concuti, tu vilissimus terrae vermiculus, qui Deum toties et tam enormiter offendisti? porro continet hic hymnus tres laudes et duas petitiones. Nam primo laudas sanctitatem, potentiam ac supremum Dei dominium, cum dices: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Secundo celebras gloriam ejus, quae in tot creaturis in coelo et in terra tam mirabiliter elucet his verbis: *Pleni sunt coeli et terra gloria tua;* tertio magnificas Christum Dominum dicens: *Benedictus, qui venit in nomine Domini,* et cum hoc dicis, ipsum invitabis in animam tuam affectu omnium sanctorum. Duae vero petitiones insunt verbis istis: *Hosanna in excelsis,* quae bis repetuntur et illis

salutem postulas, et quae ad eam sunt necessaria; primo a Deo, deinde a Christo *). . . . .

Si fuerint aliae hostiae, non super patenam (quia plures sunt quam decem) sed super corporale vel in alio calice seu vase pro communione populi consecrandae, calicem illum seu vas dextra discooperit, antequam accipiat patenam cum hostia et dicens: „Suscipe s. Pater“ . . . . ad illas etiam hostias suam dirigit intentionem, et antequam de medio recedit, calicem illum sive vas illud iterum cooperit. Si hostiae consecrandae sint supra patenam, offert illas sacerdos cum hostia sacrificii superposita, factoque signo crucis indice et pollice dextrae acceptam hostiam sacrificii deponit in locum suum; tum tenens patenam ambabus manibus, hostias minores demittit retro post hostiam sacrificii. Quodsi plures fuerint hostiae minores, hostia sacrificii deposita, minores intra petram sacram, et corporale collocat versus cornu Evangelii.

Patena quoad medietatem sub corporali posita, sacerdos praemissa cruci inclinatione capitis profunda de medio altaris recedit ad cornu Epistolae, ubi manu sinistra ad nodum tenens calicem, manu dextra cochlear parvum deponit super altare et extremitatibus digitorum, dextra purificatorium ad fundum calicis deprimit: pollice vero partem ejusdem purificatorii, extra cuppam dependentem premit, tum calicem versus cornu Epistolae paululum inclinatum gyrando mundat in- et exterius. Dein unam purificatorii medietatem supra nodum calicis positam pollice tenet, reliquis vero digitis eundem nodum tenet ita, ut altera medietas ejusdem purificatorii supra pollicem defluat. Sic tenens calicem accipit ampullam vini de manu ministri (si album sit, explorat odore an vinum sit) et desuper purificatorium elevans ampullam, in calicem eam fundit quantitatem vini, quae uno haustu sumi potest. Reddita ampulla ministro producit dextra extensa signum crucis (quod in Missa pro Defunctis omittitur) super ampullam aquae dicens: *„Deus qui humanae“* etc.... et assumpto cochleari parvo haurit aquam, cujus aliquot guttulas infundit calici dicens: „Da nobis per hujus aquae et“ . . . . et ad nomen Jesus caput profunde inclinat cruci; et si quid aquae sit residuum, illud in ampullam refundit, et cochlear purificatorio extersum deponit juxta velum calicis. Tum indicem dextrae purificatorio involvens eodem abstergit guttulas vini et aquae calici in- et exterius fors adhaerentes et deponit purificatorium plicatum supra me-

*) C. Bona Thesaur. ascetic. pag. 117, 119.

dietatem patenae non tectam corporali sic, ut duae ejusdem purificatorii extremitatis correspondeant anteriori extremitati corporalis.

Relinquens calicem ad cornu Epistolae junctis ante pectus manibus redit ad medium altaris, ubi facta cruci inclinatione capitis profunda deponit manum sinistram ad altare extra corporale et dextra accipit calicem ad nodum, ac sinistra apprehendit calicis pedem ita, ut pollex sit supra et alii digiti sint infra pedem, sicque cuppam versus faciem suam elevatam tenet, intentis ad crucifixum oculis sub tota quam tunc secreto dicit oratione: „*Offerimus tibi Domine*“ . . . qua totaliter finita demittit oculos, et calice parum ab altari utraque manu uti ante elevato, formans crucem ducit lineam rectam ab extremitate corporalis posteriore, ut usque ad hostiam exclusive et ad medium ejusdem lineae calicem reducit et ibi lineam format transversam a cornu Evangelii ad cornu Epistolae. Signo crucis efformato calicem retro hostiam collocat ad medium crucis efformatae in tali distantia, ut inter hostiam sacrificii et pedem calicis alia possit mediare hostia, dein extremitate digitorum sinistrae manus premens pedem calicis dextra accipit pallam inter indicem et pollicem et eadem tegit calicem. Postea manus junctas super altare ponit et corpore mediocriter inclinatus dicit secreto: *In spiritu humilitatis* . . . qua oratione dicta iterum erectus oculos elevat ad crucem, et expandens manus dicit: *Veni sanctificator* . . . . et illico jungens manus ante pectus oculis demissis, manum sinistram ad altare extra corporale deponit et dextra format crucem super calicem et hostiam simul, uti notatum fuit §. XV. Q. III. Rubrica tit. 7. No. 5. junctione manuum prout ante subjungit: *Quod semper facit, quando aliquid est benedicturus,* quasi dicat: ante quamlibet benedictionem praevie manus jungit, nisi aliter notetur. Dicta oratione: „*Veni sanctificator*“ . . . . junctis ante pectus manibus et facta cruci inclinatione capitis profunda redit ad cornu Epistolae, ibidemque stans latere sinistro ad altare converso, lavat extremitates digitorum pollicis et indicis utriusque manus, ministro aquam affundente, et interim recitare incipit Psalmum: *Lavabo*. . . aqua affusa se vertit ad altaris parietem psalmumque continuans mantili exsiccat digitos, quibus exsiccatis jungit manus, cumque dicit: „*Gloria patri*“ . . . profundam format capitis inclinationem versus crucem usque ad: „*Spiritui s.*“ inclusive sine motu locali personae, et iterum facie ad altaris parietem versa prosequitur: *sicut erat* . . . qui hymnus: Gloria Patri omittitur in Missis defunctorum et in Missis de tempore a

Dominica passionis inclusive usque ad sabbatum sanctum exclusive. Finito: sicut erat... regreditur ad medium altaris, ubi stans junctis manibus oculos elevat ad crucem, statimque demittit, manusque junctas super altare ponit corpore mediocriter inclinatus et dicit secreto orationem: „*Suscipe sancta Trinitas*" . . . sub qua, quia corpore aliquantulum inclinatus est, ad nomen Jesu et Mariae caput non inclinat.

Praeparat se sacerdos triplici oratione 1) Petitur acceptio sacrificantium cum ait: *In spiritu humilitatis.* 2) Oratio *Veni sanctificator,* in qua petit consecrationem sacrandorum munerum. 3) Oratio *suscipe sancta Trinitas,* in qua petitur acceptatio oblationis ad honorem sanctorum et salutem viatorum. G. Biel l. c. pag. 15.

Ps. Lavabo signum sit puritatis animarum (Clemens lib. VIII constit. apost. cap. 11; ut puri accedamus) Cyrillus Hierosolymitan. Catech. 5. Mystagog. habetur jam in Liturgia s. Petri. — Gavanti.

Per lotionem manuum — attestatur corporalis munditia reverentiam sacramento adhibendam; lotio autem corporalis significat lotionem mentium *).

Reines Herz — ist die Seele alles Opfers, dies spricht das stumme Händewaschen — laut aus **).

Dum orat sacerdos *suscipe s. Trinitas,* se mediocriter inclinat; recogita significare humilitatem Christi, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Innoc. III. Ad haec sacerdos memor, quantae molis res sit, tantum divinum mysterium majestati divinae offerre, quantae enim innocentiae esse oporteat pro populo ad Deum accedere, de virium suarum imbecillitate ac conversationis suae integritate diffisus ad humilitatis refugit suffragia. Quo enim non pertingit infirma oblatio sacrificantis, eo penetrat verecunda oratio se humiliantis. Durant de rit. lib. II. cap. 29.

Finita oratione „*per Christum Dominum nostrum Amen,*" extra corporale extensis manibus super altare illud osculatur in medio et erectus jungit manus, ac sine capitis inclinatione versus crucem a dextra sua se vertit ad populum, demissis ad terram oculis, et facie ad populum conversa extendens et mox iterum manus jungens dicit voce aliquantulum elata, sive mediocri: „*Orate fratres*" et secreto prosequens: „*Ut meum*" ... perficit circulum junctis ante

---

*) G. Biel l. c. pag. 14—15. — **) Sailer a. a. O. S. 164.

pectus manibus revertens a manu dextra ad medium altaris. Non igitur versus populum morabitur usque ad completam orationem.

Per *orate fratres* implorat circumstantium orationem pro se memorans illud ad Hebr. 5, quia et ipse circumdatus est infirmitate et ideo ut homo infirmus indiget oratione Ecclesiae*). Orate pro me (fratres) Leoni Papae adscribitur.

Conversus ad altare crucem salutat profunda capitis inclinatione. Finita sacerdotis oratione: „*Ut meum*" respondet minister voce media: „*Suscipiat,*" quo dato responso sacerdos secreto dicit: „*Amen.*" Et manus extendens seque paululum convertens ad Missale legit submissa voce absque oremus orationes secretas, sub quibus ea servat omnia, quae servavit sub orationibus ante Epistolam, nisi quod, si duae fiant conclusiones, primae ipsemet „*Amen*" addere debeat. In fine conclusionis, si una fiat; vel in fine ultimae, antequam dicat: „*Per omnia saecula saeculorum*" manum dextram deponit extra corporale, et sinistra quaerit convenientem Missae praefationem.

Q. II. *Quaenam pars Missae offertorium appellatur?*

℟. Symbolum olim Missae fidelium initium dabat. Ecce, inquit s. Augustinus serm. 49, post sermonem fit Missa (missio, sive dimissio) catechumenis, manebunt fideles. Pars siquidem Missae, in qua offertur, paratur et conficitur sacramentum, Missa fidelium nominari consuevit**). Unde hanc solam Missae nomine decorat s. Ambrosius epist. ad Marcellam: Missam facere coepi, dum offero. Ideoque etiam celebrans statim ab initio populo divinam apprecatur gratiam, dicens: Dominus vobiscum; et ad orandum eundem excitat mox subjungens: *Oremus.*

Tum chorus antiphonam canit, quae a factis interim antiquitus populi oblationibus, offertorium nuncupatur. Quanquam sub nomine offertorii, sive offerendae, uti cum pluribus veteribus Amalarius loquitur, veniant omnia, quae vero a sacerdote, vel a ministris, sive recitantur, sive aguntur a dicta populi salutatione usque ad conclusionem secretae, ubi clara voce sacerdos ultima praefert verba: per omnia saecula saeculorum.

Olim decantabatur antiphona dicta Offertorium, dum populus vinum et panem pro sacrificio offerebat ad imitationem Israelitarum, qui dum offerrent holocausta, coeperunt canere laudes — Paralipom. 29. 27. Extendit se ad praefationem usque, cunctaque complectitur, quae sacerdos ore aliisque pe-

---

*) G. Biel l. c. p. 15. — **) Romsee T. IV. p. 145.

ragit caeremoniis; est namque actio sacerdotis praeparantis hostiam eamque precibus variis offerre incipientis. Sacerdos hanc Missae partem exorditur ab *osculo altaris,* quod est magni amoris et fidei symbolum, tum erga Deum, cui soli dicatum est altare, tum erga corpus et sanguinem Christi, quorum sub speciebus panis et vini futura sit mensa, tum erga Christum ipsum per altare repraesentatum, tum ad populum conversus bene ei precatur dicens: *Dominus vobiscum* dicens *„et cum spiritu tuo,"* quae reciproca salutatio aptissima est tum, ut divinae gratiae auxilium imploret ad *digne* offerendum, tum, ut haec velut tessera constet sacerdotem inter et populum communio. — Vade prius reconciliari fratri tuo et tunc munus offerres tuum — Matth. V. Opportunus hic erit affectus caritatis erga proximum. Dein, ut ostendat precum suarum et cunctorum consentionem esse necessariam, ideo nunc non dicit *orem:* sed *oremus*, et persoluta antiphona progreditur ad oblationem, quae ad sacrificii integritatem necessaria est.

Q. III. *Unde haec Missae pars nomen offertorii assumpsit?*

℟. Primorum temporum fideles religiosum hunc introduxere morem, ut cum ad Missas celebrandas convenirent, suam quisque sacrificii partem afferret. Quam consuetudinem suis etiam tandem synodicis decretis sanciendam statuerunt antistites in Concilio Matisconensi II. can. IV. unde mos iste adeo invaluit, ut reprehensione digni censerentur, qui nihil offerentes, de aliena participabant oblatione *).

Ideo Cyprianus in libro de opere et eleemosynis divitem increpans foeminam inquit: „Locuples et dives es et Dominicam celebrare te credis, quae in Dominicam sine sacrificio venis: quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis." Hunc morem neque hodie oblivioni tradit ecclesia, quae in Missa ejusdem saepe memoriam recolit: „Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium" . . . item „Memento Domine omnium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt" et clarius Dominica V. post Pentecostes: *„Propitiare Domine supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum famularumquè tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem."* Cum primis ecclesiae saeculis dicto a sacerdote oremus, populus in silentio orationi vacaret, s. Augustinus in ecclesia Carthaginensi morem induxit, cantandi psalmum infra oblationes, sicque hoc ipso cantu de-

*) Romsee T. IV. p. 147.

monstrabat populus, se mente hilari Deo omnium donorum largitori sua rependere munera. Conc. Carthaginensi ecclesiae mos cantandi ad offertorium ad alias quoque perrexit ecclesias et ipsa etiam Romana eundem morem introduxit. — Quis vero autor fuerit consuetudinis cantandi antiphonam, quae in Missali dicitur *Offertorium,* non convenit inter doctos; hi enim s. Gregorium Magnum, isti sanctum Coelestinum, alii s. Eutychianum R. Pontifices eam consuetudinem cantandi antiphonam ad Offertorium in Romanam invexisse ecclesiam contendunt.

S. Gregorius in suo Antiphonario propriam singulis Missis antiphonam assignavit, sed quae antiphonae seu offertoria plures sibi adjunctas habent versus et quandoque integer cantabatur psalmus repetita post singulos versus antiphona, ut toto quo offerebatur tempore clericorum voces audirentur. Romana tandem ecclesia cessantibus populi oblationibus versus ab offertorio sustulit. Quin usque adeo offertorium a choro omittitur, si organa pulsentur.

Q. IV. *Quinam olim offerre, et quae res offerri poterant?*

℞. Ante oblationem praevie munera in gazophilazio sive secretario deponi debebant, ubi Diaconus et in oblationes et in offerentes diligentem instituebat inquisitionem, et illi a faciendis excludebantur oblationibus, qui jure communicandi destituebantur, ut colligere licet e canone 28. Concilii Eliberitani: Episcopum, inquit, placuit ab eo, qui non communicat, *munera accipere non debere.* Munera vero non quaecunque, etiam extra sacrificium oblata intelligit canon, sed ea, quae usui sacrificii inserviebant, panem nempe et vinum. Neque de communione cum fidelibus, sed de eucharistica loquitur communione.

Illos enim a jure offerendi ad altare excludebat ecclesia, qui de muneribus consecratis participare non poterant. Jus siquidem offerendi cum jure sumendi connexum credebatur; nec gratas Deo arbitrabatur ecclesia oblationes illorum, qui a perceptione divinorum munerum prohibebantur.

Illorum interim nomina, qui ad altare offerebant et *ipsa, quae offerebantur.* i. e. recitabantur sub ipso sacrificio e Dyptichis; de quibus agendi commodior sese in canone occasio offert.

Quoad alteram quaestionis partem, ritus antiquus uti supra ea tantum ad altare offerri permittebat, quae sacrificio inserviebant, panem nempe et vinum. Reliqua super altare offerre prohibet canon III. illorum, qui dicuntur Apostolorum; permittit vero offerri et benedici oleum ad luminaria et incensum, novasque spicas et uvas,

e quibus conficiuntur panis et vinum*). Ast Conc. Carthaginense celebratum anno 397. canone 37 statuit: Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nil offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit h. e. panis et vinum aqua mixtum; primitiae vero, seu lac et mel, quod uno die solemnissimo (paschae) in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen propriam habeant benedictionem, ut a sacramento dominici corporis et sanguinis distinguantur, nec amplius in primitiis offeratur ex uvis et frumentis.

Oblatio ad altare ab antiquis etiam oblata appellabatur, unde sunt; qui inde nomen germanicum Obladen, et alibi Offleten, tributum arbitrantur hostiis illis diversi coloris, queis litteras obsignare consuevimus.

Cum interim refrigescente charitate, frequens populi cessasset communio, hae etiam panis et vini oblationes in desuetudinem abierunt, et si quid postea oblatum legimus, id ad sacrificium nequaquam, sed ad clericorum, vel pauperum sustentationem, vel ecclesiarum et monasteriorum spectabat aedificationem. Hoc etiam antiquis solemne est, ut cartas donationum super altare ponerent**).

Auctor pontificalis in vita Adriani Pontificis refert, Carolum Magnum a se factam Romanae ecclesiae donationem in carta descriptam ad altare s. Petri posuisse. S. Benedictus in regula praecipit c. 58, ut monachi se ipsos Deo per solemnem offerentes professionem, cartam ejusdem professionis in altari ponant. Idem quondam observabant Abbates, cum accepta ab Episcopo Dioecesano benedictione cartam, qua eidem Episcopo obedientiam spondebant et reverentiam altari imponebant.

Q. V. *Quem ecclesia ritum sub oblationibus servabat?*

℟. Hunc ritum ordo Romanus describit: Cantores cantant offertorium cum versibus, et populus dat oblationes suas i. e. panem et vinum et offerunt cum fanonibus (linteis) candidis, primo masculi, dein foeminae, novissime vero sacerdotes et diaconi offerunt, sed solum panem, et hoc ante altare etc. prout ritum hunc porro prosequitur Bona l. c. lib. II. cap. 9. §. 1.***).

Unde haec pauca delibasse placebit: Itaque accedebant primo viri ad cancellos, presbyteri, et deinde mulieres. Singuli offerebant panem in syndone munda, deinde vinum in amulis seu scyphis par-

---

*) Romsee l. c. p. 148. — **) Romsee T. IV. p. 153. — ***) Romsee l. c. p. 150.

vis. Panem acceptabat sacerdos, vinum vero ex amulis subdiaconus in calicem fundebat, ex quo repleto vinum in alium majorem effundebatur calicem, quem ferebat acolythus. E panibus sic acceptatis ea seligebatur portio, quae sufficere credebatur communioni sacerdotis, ministrorum et populi. Eundem in finem tanta pariter a vino separata portio assumebatur. Reliquum panis vinique cedebat vel ministris, vel ecclesiae, vel pauperibus.

Q. VI. *An Azymo, vel fermentato ecclesia pane utebatur in sacrificio?*

℞. Bona L. c. lib. 1. c. 23 subscribens Jacobi Syrmondi disquisitioni de Azymo, pluribus probat argumentis, ecclesiam in partibus etiam occidentalibus pane fermentato diu fuisse usam. Et tandem concludit §. 10: Quaecunque vero de hac re hactenus scripta sunt, si quis attento animo et a praejudiciis opinionum libero percurrerit, fatebitur, ni fallor, Azymorum usum non semper extitisse in ecclesia occidentali. Occasionem vero assumpti tandem panis azymi eam fuisse arbitratur, quod cessante fidelium frequente communione modicus tandem sacris mysteriis panis sufficeret, cujus conficiendi cura, cum demandata esset sacerdotibus et clericis, et panis azymus, qui nullo erat canone prohibitus, pararetur facilius, hic fermentato substitui coeperit, et per omnes paulatim ecclesias propagari. Quamvis vero annum, quo panis azymus adhiberi coepit, se assignare non posse fateatur, illum tamen non arbitratur a scopo aberrare, qui initium usus panis azymi ad illud referendum tempus censuerit, quod inter Photium et Caerularium centum et septuaginta circiter annorum decursu intercessit *).

Quanquam vero persecutionum tempore panis pro sacrificio communis et quotidianis deputatus usibus offerretur et consecraretur, pacato tamen postea ecclesiae statu non vulgares, sed panes tantum studiose praeparatos ad sacrificium adhiberi ecclesiae placuit **). Varii monachorum rituales libri referunt, quo studio monachi panem pro sacrificio praeparaverint. Et primo quidem frumentum quamvis purum granatim seligebant, lavabant et in sacculo mundo ad hoc solum opus destinato ponebant, honestoque dabant famulo, qui ad molendinum deferret. Tum hic lavabat molam, aliudque frumentum prius frangi curabat, ut illud sordes quascunque secum auferret. Exinde reportabat farinam, quam secretarius, sive sacrista, indutus

---

*) Romsee l. c. p. 150. **) Romsee l. c. p. 151.

alba et amictu cribro prius abluto et extensa circum cordina cribrabat. Demum sacerdotes, seu diaconi alba induti, lotisque manibus et psalmos canentes farinam aqua conspersam in vase nitidissimo coagitabant, igneque succenso, lignis aridis ad hoc de industria praeparatis, hostias coquebant. Ad usum quoque calicis peculiares olim vineas ecclesiae fuisse concessas, historica tradunt monumenta, ut vinum inde optimum pro sacrificio praepararetur. Unde Ibas Edessenus in synodo Beritensi accusatus fuit, quod vinum vile in sacrificii usum praeberet. Quodsi contra rectores ecclesiarum nostri temporis similes deferrentur accusationes, plurimi profecto rei laesae majestatis sacrificii condemnandi forent!!!?

> O verum verbum Mohren! Saepe invenitur vinum mensae excellentius quam altaris. Quasi credatur, se esse fruges ut consumantur nati — — nil adnotandum, dolendum vero, nobis id negare nemo potest.

Quoad formam sive hostiarum figuram, quanquam fervescente persecutione nullam ecclesia figuram determinaverit, pace tamen reddita figuram rotundam, sive orbicularem denarii adinstar usitatam referunt antiqui patres graeci et latini *).

Diversos vero in diversis ecclesiis fuisse oblatarum characteres e Conc. Arelatensi V celebrato anno 554 colligitur. Interim azymis, quibus hodie utimur, vel nomen Jesu, vel imaginem Christi crucifixi, vel ad columnam ligati, vel e sepulchro emergentis et resurgentis impressam, ut plurimum, quanquam imago crucifixi celebrior, sacrificioque videatur accommodatior . . . . plura interim de azymo et fermentato pane, utpote de quo fuse disserunt Theologi, hic attexere supervacaneum censemus.

> Jure inter utilia legis antiquae signa reservata sunt azyma auctore magno pontifice Christo, et per succedentem B. Petrum Romanae Ecclesiae fideliter delegata **).

Q. VII. *Orationes, quas sub caeremoniis Offertorii fundit sacerdos, cujus aetatis sunt?*

℞. Micrologus cap. 11 observat, quod ordo Romanus nullam instituerit orationem post offerendam ante secretam. Tota siquidem actio sub silentio complebatur. Unde nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii veteres Romanae Missae expositores hasce commemorant orationes. Propterea nemini mirum erit, easdem diversis in ecclesiis adeo esse di-

---

*) Romsee l. c. p. 151. — **) Rupert lib. 2. c. 22. l. c.

versas. Cum enim easdem Romana ecclesia serius admiserit, unaquaeque fere ecclesia peculiares sibi instituit. Ex ordine Gallicano duas refert Micrologus, nempe: Veni sanctificator, et suscipe s. Trinitas. Ordo Romanus in secunda Missae descriptione hanc solam refert: Veni sanctificator . . . Alexander Alensis de Sacramento eucharistiae Q. X testatur, saeculo 13 nondum adulto, in Romana ecclesia, aliisque pluribus oblationem panis et vini sub distinctis factam oblationibus, nempe: Suscipe s. Pater . . . . et offerimus tibi . . . . Quanquam jam ante saeculum 13 in particularibus quibusdam ecclesiis fors ad usum venerit.

Q. VIII. *Quo sensu sacerdos sub oblatione panis dicit: Hanc immaculatam hostiam?*

℞. Sacerdos non panem et vinum indigitat, cum dicit: Hanc immaculatam hostiam; sed corpus et sanguinem Christi, in quae tota substantia panis vinique convertetur verbis consecrationis. Unde panis et vinum hostia immaculata non appellantur, nisi per relationem ad terminum consecrationis *).

Q. IX. *Cur aqua praevie benedicta vino miscetur?*

℞. Sacerdos olim aquam more nunc recepto non benedicebat, sed in calicem ad modum crucis fundebat; nunc signo crucis efformato ante infusionem aquam benedicit, qua benedictione a profano ad sacrum aqua usum provocatur et destinatur. In Missis defunctorum aquae benedictio conformiter mori antiquo omittitur, quae videtur etiam secum ferre quandam solemnitatem, quae in Missas luctuosas non quadrat **). Gavantus in commentario ad rubricas missalis inquit: Sicut in fine Missae defunctorum populus non benedicitur, ita nec aqua, qua eundem populum significat; vel aqua hoc loco significat populum purgatorii, qui jam est in gratia.

Quoad aquae cum vino mixtionem, nulla quidem illius in sacris paginis fit mentio; ast concilium Florentinum in instructione Armenorum hanc hujus ritus assignat rationem, quia juxta s. Patrum testimonia creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc sacramentum instituisse. Ideoque et Synodus Tridentina sess. 22, cap. 7: Monet s. Synodus praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, quod Christum Dominum ita fecisse credatur.

Antiquae etiam Graecorum liturgiae testantur, Christum postquam coenavit, accepisse calicem et vino aqua miscuisse.

---

*) Romsee l. c. p. 158. — **) Romsee l. c. p. 160.

Verba orationis, quam sub ipsa mixtione sacerdos recitat: Da nobis per hujus .... quibusdam fundamentum praebent asserendi, per aquae vinique mixtionem significari in Christo unionem humanae naturae cum divina. Docent alii conformiter Tridentino loco citato, illa mixtione recoli aquam et sanguinem, quae de latere Christi fluxere. Quibus et favet ritus Ambrosianus et Carthusianus, qui loco orationis mox relatae hanc habet: „De latere Christi exivit sanguis et aqua in nomine Patris. ... Tandem s. Cyprianus in epistola ad Caecilium de eadem mixtione ita disserit: Videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur et credentium plebs et in quem credidit, copulatur et conjungitur. Cui consonat pariter Trid. loco bis citato.

Porro Conc. Florentinum docens, in qua quantitate aqua sit miscenda, inquit: Ante consecrationem aqua modicissima admisceri solet quantitate. Honorius III. in decret: perniciosus de celebratione Missarum, abusum vocat perniciosum, plus aquae, quam vini calici infundere, unde ipsa consecrationis vitiaretur materia.

Ideoque semper damnavit ecclesia Hydroparastitas sive aquarios et encratitas, qui aqua sola utebantur in divinis Mysteriis. Armeni aquariorum haeresin vitantes in oppositum sublapsi errorem, solum offerentes vinum. Nicephorus historia lib. 18. c. 53 dicit: Armenos solum adhibere vinum, ut per hoc ostendant unam tantum esse in Christo naturam. Quanquam vero mixtio aquae neque ex divino praecepto, neque de necessitate sacramenti adhiberi debeat; quoties tamen Armeni facultatem ritum suum continuandi a sede Apostolica petiere, toties et repulsam passi sunt.

Conc. Florent. verbo decernimus, mandavit unitis, ut parum aquae vino misceant. Graeci aquam bis miscent, et prima quidem vice frigidam, cum in prothesi sancta praeparant dona. Sacerdote lancea sancta panem pungente et dicente: Unus militum lancea latus ejus aperuit, statim exivit sanguis et aqua. Altera vice calidam miscent post consecrationem immediate ante communionem cum dicit sacerdos: „Benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc et semper, et in saecula saeculorum amen *)."

Scriptores graeci hujus mixtionis hanc reddunt rationem: tum quia aqua calida e Christi latere exivit, tum quia per eam fervorem

---

*) Romsee l. c. p. 161.

s. Spiritus intelligi volunt. Hunc ritum referunt liturgiae s. Basilii, s. Chrysostomi ususque perpetuus Ecclesiae orientalis. Cum interim hic ritus a Latinis in Conc. Florent. impugnaretur, Episcopus Mitylenensis Eugenio Papae optimis suis plane satisfecit responsis.

Si quis dixerit . . . aquam non miscendam esse in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

Honorius III anno 1220 cap. „Perniciosius praecipit, ut in calice sit plus de vino quam aqua — Synodus Triburiensis anno 895 cap. 19 praecipit" duae partes vini, tertia aquae. — Synodus Coloniensis 1281 cap. 7 jubet: de aqua duae guttulae vel tres apponantur. —

Aqua vino admiscetur tribus ex rationibus. — Moret Conc. trid. sess. 22.

Prima est, quod Christum Dominum ita fecisse credatur. — Siehe das Leben der Catharina von Dülmen Art. das letzte Abendmahl. (1824.)

Secunda, quod e latere ejus aqua simul exivit cum sanguine, quod sacramentum hac recolitur mixtione.

Tertio, cum aquae in Apocalypsi dicantur ipse populus fidelis cum capite unico, ut dixi supra representatur, indicatur hic simul confessio catholica duarum naturarum divinae et humanae in una Christi persona.

Admiscetur autem in modicissima quantitate, ut significetur, nos guttuli esse, si comparemur cum divina Christi Domini majestate.

Ecce gentes, non vinum sacerdos, quod Christum non indigentem benedictione, sed aquam populum significantem benedicit, benedictione indigentem. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur et credentium plebs et in quem credit, copulatur et jungitur, quae copulatio et conjunctio aquae et vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari, nam si vinum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, si vero aqua sit sola plebs incipit esse sine Christo s. Ambrosius lib. 5. de sacram. cap. 1 confirmant concil. Wormatiense Can. 1. — Eusebius — Paschasius. Hildebert. Episc. Cenoman. Magister sentent. — s. Thomas — Bonavent. et caeteri. —

Aqua designat populum, vinum Christi deitatem. Bonav. Exp. Miss.

Q. X. *Cur sacerdos utens singulari in panis oblatione, plurali utitur in oblatione vini: Offerimus?*

℟. In oblatione calicis sacerdos plurali utitur, quia simul cum ipso in Missa solemni eandem orationem Diaconus recitat. Formula

interim ista pro privatis etiam Missis mansit immutata. Caeteroqui congruit, ut Diaconus in oblatione calicis suas etiam habeat partes, qui olim calicem consecratum populo ministrabat *).

In ipsa oratione sacerdos dicit: „ut in conspectu tuo . . . cum odore suavitatis ascendat;“ i. e, inquit Bona (lib. 2. cap. 9.) cum illo mystico odore, qui ex ipso calice cum consecratus fuerit, suavissime exspirat. Verba vero: calicem salutaris, idem sonant ac calicem Christi, quod si intelligere quis vellet: Calicem salutarem, ad terminum consecrationis verba referenda forent.

Hac oratione finita sacerdos calicem in altari collocat retro hostiam. Graeci in transversum panem et vinum collocant, quem morem etiam Latini diu observarunt, uti colligere licet ex ordine Romano in postrema Missae descriptione.

Utitur numero plurali repraesentans tum populum, qui repraesentat populi fidelis unionem cum capite Christo, et per aquam vino admixtam designatur. Ita s. Cyprianus Ep. ad Caecilium.

In plurali dicitur: offerimus, quia sacerdos offerat non suo tantum, sed populi nomine.

Q. XI. *Ad quam in Trinitate personam post orationem: In Spiritu alia dirigitur: Veni sanctificator?*

℟. Orationem in spiritu . . . . accepit ecclesia a tribus pueris in ignem conjectis, Danielis cap. 3. In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur . . . . haec oratio post donorum oblationem in sacerdotem optime quadrat, inveniturque in Missali Mozarabico aliisque antiquis **). Quoad orationem Veni sanctificator Bossuetus in explicatione quarundam difficultatum, quae in Missae orationibus occurrunt, cap. 5 et 6. hanc orationem ad spiritum s. dirigi egregie demonstrat. In aliquibus siquidem Galliae ecclesiis quondam hymnus Veni creator, vel Veni s. Spiritus recitabatur. In Missa quoque Mozarabica dicitur Veni s. Spiritus sanctificator ***).

Fontem omnis sanctificationis, ut sacrificium praeparatum sua repleat erga nos benedictione. Sub hac oratione oblata cruce signat Deo repraesentans merita Christi, quae consummavit in cruce.

Et oratio Romanae ecclesiae propterea Spiritum s. invocari eadem voce innuit: Veni sanctificator: Veteres etiam liturgiae ecclesiae graecae et latinae consonant, in quibus petitur, ut ignis Spi-

---

*) Romsee l. c. p. 168. — **) Romsee l. c. p. 170 et 171. — ***) Romsee l. c. p. 174.

ritus s. delabatur, absumatque panem et vinum, et in corpus et sanguinem Christi convertat. Quibus omnibus haec demum accedit congruentiae ratio: Sicut enim corpus et sanguinem Christi in utero virginali per miraculosam efformavit operationem Spiritus s., ita eundem in finem sacerdos Spiritum s. invocat, ut muneribus oblatis, in corpus et sanguinem Christi conversis fideles omni benedictione repleantur. Omnipotens vero sicut pater, est et Spiritus s. Quanquam igitur sacerdos addat: Omnipotens aeterne Deus, non censetur propterea invocare Patrem. Interim paulo post totam quoque Trinitatem invocat dicens: Suscipe s. Trinitas.

Q. XII. *Lotio manuum cur adhibetur, et an pars psalmi 25. Judica me Deus, sub ea apposite recitatur?*

℟. Ritus abluendi manus sub Missa antiquissimus simul, ac Graecis pariter, atque Latinis communis. Autor libri de ecclesiastica hierarchia scribit cap. 3, non pontificem solum sacris operantem, sed omnes etiam presbyteros manus abluisse. Idem refert Cyrillus Hierosolym. initio catechesis 5[tae] Mystagogae: Vidistis, inquit, diaconum aquam lavandis manibus porrigentem sacerdoti, et illis, qui circum altare Dei stabant presbyteris. Num ideo prorsus dabat, ut sordes corporis abluerentur? nequaquam, nec enim adeo sordibus corporis foedati in ecclesiam ingredi solemus. Sed illa manuum ablutio symbolum est, oportere vos a peccatis omnibus et iniquitatibus mundari; cum enim per manus designentur actiones, lavare certe easdem munditiem et operum significat puritatem. Nonne audistis David mysteria tractantem ita et dicentem: Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine? Itaque manus abluere symbolum est, non obnoxium esse peccatis *).

Duplex quondam adhibebatur manuum lotio: prima quidem immediate post Oremus; et altera post incensationem. Erant olim in Ecclesiis prope parietem versus cornu Epistolae lavacra, ad quae sacerdos post incensationem manus lavaturus descendebat. Unam nunc, nempe sub psalmum Lavabo lotionem praescribit ecclesia. Carthusiani tamen duas in Missa solemni lotiones retinent; semel enim sub symbolo, vel si hoc non cantetur, sub offertorio, et secunda, facta oblatione lavant manus.

Infra manuum lotionem earumque abstersionem sacerdos recitat psalmi partem 25[ti] incipientem a versu VI: Lavabo inter innocentes

---

*) Romsee l. c. p. 176.

manus meas, ... qui psalmus actioni praesenti optime congruit, et sacerdotem pariter illius admonet fervoris, puritatis et innocentiae, queis ornatum esse oportet, ut sacro porro altari digne adstare valeat.

Manuum ablutio in primis saeculis post tot siccas ac liquidas oblationes fieri solita, erat oppido necessaria, ad consecrationis actum rite peragendum. Non deest tamen mystica quaedam significatio ex Clemente Alexandrino lib. 8vo constitut. cap. II, ut nimirum sit in signum puritatis animae, ac si denotet, quod soli Baptismatis fonte lavati consecrationi corporis Christi interesse debeant.

Digitorum extremitatem lavat (in Missa privata), ut significetur, emundari a minimis etiam peccatis, specialim ab iis, quae huic adversantur sacrificio; nempe levia odia, discordiae, leves evagationes et scintillae tendentes ad suffocandum virginitatis germen. Lavare igitur manus significat munditiem et operum puritatem (in Missa solemni).

Per Ps. *Lavabo* — petit ad ejus naevos auferendos, quibus etiam justi tenentur.

In *Dilexi* declarat suam innocentiam, sed, ne quid a christiana humilitate absonum dici videatur, addit: *Redime me*, quibus fatetur verbis sibi opus esse redemptionis misericordia; claudit glorificationis hymno laetitiae indicio.

Q. XIII. *Cur in Missis Defunctorum doxologia post psalmum Lavabo omittitur*, *et quis sensus verborum offertorii in iisdem Missis: „Libera animas . . . . de poenis inferni etc.?*

℟. Omittitur doxologia: Gloria Patri . . . in Missis Defunctorum et illis de tempore passionis. (Merati Tom. I. P. 1. quem citat et sequitur Benedictus XIV. Pont. Max.)

Ideoque in dictis Missis doxologiam psalmo non addi arbitratur, quod laetitiam quandam afferat, quam a luctuosis abesse Missis convenit.

Quoad secundam quaestionis partem Grancolas in antiquae sacramentarium ecclesiae parte 1 de Missis Defunctorum, quem sequitur Merati Tom. 1. respondet, ecclesiam preces hasce retrotrahere ad illud temporis punctum, quo animae a corporibus egressae sunt. Benedictus XIV. cum aliis pluribus per poenas inferni intelligit purgatorii poenas, purgatorium enim infernus seu locus subterraneus proprie appellari potest. Orat vero sacerdos, ut animae liberentur de profundo lacu, de ore leonis, nempe de carcere illo subterraneo, ubi justorum animae expiantur; petit porro, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, ne nimirum in illo tene-

bricoso carcere tot cruciatibus conflictae diutius detineantur; cum enim ecclesia doceat, damnatorum poenas esse interminabiles, verba allata sensu jam exposito ab eadem intelligi ecclesia credere fas est.

Q. XIV. *An in oratione: Suscipe s. Trinitas verba: in honore B. Mariae V. etc. non superfluunt, quia paulo post denuo dicit, ut illis proficiat ad honorem?*

℟. Quando oratio: Suscipe s. Trinitas .... locum in liturgia invenerit, non adeo compertum est. Micrologus suo saeculo hanc orationem ait, neque ordini Romano, neque liturgiis gallicanis insertam, recitari tantum a presbyteris ex consuetudine. Deinde, inquit, inclinatus ante altare dicit orationem hanc non ex aliquo ordine, sed ex ecclesiastica consuetudine.

Cum Carthusiani saeculo nati undecimo hanc non dicant orationem, conjicere licet, eandem in Gratianopolitano, quo ipsi utuntur Missali tunc scriptam nondum fuisse. Interim in ordine Romano 14. invenitur haec oratio, quae non passionis Christi tantum, sed et resurrectionis et ascensionis memoriam agit, queis mysteriis nostra fuit completa redemptio.

Quaestionis verba legunt nonnulli libri Missales: in *honorem* B. M. V. etc. sed certo legendum esse in honore, Missalia omnia accurate edita sub summis Pontificibus Leone X, Pio V, Clemente VIII et Urbano VIII comprobant. Praeterquam, quod alias in eadem oratione idem bis diceretur. Igitur verba: in honore idem sonant, ac in commemoratione; sanctis quippe honor obvenit maximus, quod in oratione ad ss. Trinitatem ipsi pariter commemorentur. Verbis vero posterioribus: ut illis proficiat ad honorem, precatur sacerdos, ut Deus sacrificium acceptare dignetur eum etiam in finem, ut sancti in terris honorentur, invocentur, eorumque merita atque virtutes ad fidelium imitationem depredicentur; unde sanctis gaudium aliquod honosque accrescit.

Benedictus XIV. citans et sequens Bouget et le Brun, quidquid honoris, inquit, et gloriae adepti sunt sancti, id omne vi sacrificii Christi sunt consecuti, et Christi honor et gloria diffunditur in sanctos, qui sunt membra viventia cum eo veluti cum capite conjuncta. In eadem oratione pro nomine: *istorum* in antiquis sacramentariis illi designabantur sancti, quorum vel festa dies, vel commemoratio agebatur, sed nunc illi indigitantur sancti, quorum reliquiae in altari quiescunt.

Oratio *suscipe* est oratio seu oblatio eucharistica pro collatis beneficiis praesertim redemptionis nostrae, quae per tria adumbratur mysteria.

Primum est Christi passio velut causa meritoria redemptionis nostrae.

Alterum resurrectio, quae est nostrae exemplar.

Tertium Christi ascensio, quae nobis introitum ministravit in regnum coelorum, ob quorum memoriam sacrificium Deo offerimus etiam pro sanctis, ut illis proficiat in honorem; Christi enim honor et gloria in sanctos diffunditur, qui sunt membra viventia cum capite Christo conjuncta, ut illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Inclinatus junctis manibus persolvit sacerdos hanc orationem, ut suam exprimit humilitatem et Christi significat obedientiam — introducta est per Pium V.

Q. XV. *Quid postulat sacerdos dicens: „Orate fratres?"*

℟. *Orate fratres* monitio quidem antiqua est, usus tamen verborum sequentium: Ut meum . . . . non fuit universalis. Unde Remigius Antisiodorensis circa finem noni saeculi eadem verba non ut recitanda refert, sed iis solummodo explicat, quo fine sacerdos dicat: *Orate fratres.* Cum igitur mera tantum explicatio censerentur verba sequentia: Ut meum . . . . alii haec verba omittebant, donec tandem adoptata fuerint a Missali Romano anno 1551; quanquam fors jam ante in ordine Romano XIV. praescripta fuerint, cum ibidem post orate fratres addatur et caetera *).

Responsum ministri: Suscipiat . . . . adeo vetustum non est, dicto enim olim: Orate fratres, populus in silentio orabat. Diversae tractim a diversis ecclesiis respondendae formulae assumptae fuerunt **). Tandem Pius V. responsum fixit hodiernum . . . . sacerdos itaque memor fragilitatis suae, cum sit et ipse circumdatus infirmitate orationum suffragia ab adstantibus postulat, ut sacrificium ex parte offerentium Deo fiat acceptabile. Cumque sub masculino nobiliori sexu intelligatur et foemininus, hinc dicit *fratres* tantum; quanquam in Missali Coloniensi de 1133 legatur: Orate pro me fratres et sorores. Sacerdos interim assistentes Missae appellat fratres, quia Arnobius in psalmum 133 recte inquit: Unde estis fratres? De uno Patre Christo, de una matre ecclesia ***).

Facta monitione: *orate fratres,* sacerdos a dextra sua formando circulum ad medium altaris revertitur. Cum enim olim in cornu

---

*) Romsee l. c. p. 191. — **) Romsee l. c. p. 192. — ***) Romsee l. c. p. 189.

Evangelii secretae legerentur, via breviori sacerdos se a dextra sua vertens ad cornu Evangelii accedebat*). Ritum se vertendi retinuit ecclesia; licet enim in medio altaris nunc secreto legat sacerdos; cum tamen e Missali recitet, a dextra sua utpote libri proximiori apposite se vertit.

Fratres suos vocat non solum Apostoli, sed et Christi exemplo, qui teste Apostolo fideles non erubescit fratres suos vocare — ad Hebr. II. Omnes celebrans admonet, ut cum fratres sint, se mutuo ament, ac pro se invicem orent. Haec dicens manus extendit, ac si fraternae caritatis pectus omnibus pandeat rursumque jungit quasi inter illud omnes fratres amplexos teneret. Desumpta est haec salutatio ex veteri christianorum consuetudine sese invicem fratres nuncupantium — Actorum XV. 23.

Hanc exhortandi formulam (si fides Gavanto adhibenda) Leo Pontifex instituit.

Ex tunc sacerdos ad orandum hortatus ipse prosit exemplo, et orationes, quae vocantur secretae, orat attentius.

Q. XVI. *Secretae, unde sic appellatae?*

℟. Secretae, quae et orationes super oblata nuncupantur, secretae dicuntur, ut a caeteris, quae clara voce dicuntur, distinguantur collectis. Non igitur illorum videtur probanda opinio, qui vel a secretis, sive dimissis catechumenis aliisque, ante Missam fidelium vel a secretis (pane et vino) ad usum sacrificii has orationes secretas dici arbitrantur**). Leguntur autem secreto, quia in Missa solemni vel sub cantu, vel sub organi sono aliunde non intelligerentur; ideoque in Missa etiam privata ob ritus uniformitatem secreto dicuntur.

Denique ad secretarum originem, numerum et conclusiones spectant, quaecunque supra de collectis ante Epistolam dicta sunt. Sacerdos tamen ante secretas non dicit: Oremus, eo quod oremus ante offertorium afficiat omnia, quae sequuntur ad praefationem usque. His interim secretis sacerdos rorem divinarum benedictionum in oblata postulat, ut, quod singuli obtulerunt ad honorem divini nominis, cunctis proficiat ad salutem animae et corporis.

Secreta dicit: significat Christum in ultima coena in hortum cum discipulis ivisse, et ibi antequam ad eos pervenirent, qui comprehensuri eum erant, remotus a discipulis eandem orationem in silentio ter oravit. Sicut in Evangelio legimus.

---

*) Romsee l. c. p. 188. **) Romsee l. c. p. 194.

Secretae autem occultam orationem significant, in qua sudor sanguineus de corpore Jesu destillabat. Bonav. Exp. Miss. Per secretas significatur, Christum solitudinem quaesivisse in oratione, quanto magis nos oportet et tacite orare.

Secretum dicitur primo, ut mysterium. (Hugo Victor erud. Theol. in spec. eccles. c. 7.)

2) Quia significatur in hoc latere mysteria antiqua *).

3) Et econtra sacrificium latuisse in antiquis **).

4) Silentium sacerdotis latibulum Christi indicat ***). Multoties enim latuit in vitae suae cursu Christus, et inde in Missa multiplex silentium.

5) In passione Christi discipuli nonnisi occulte profitebantur Christum †).

6) Ut videatur sacerdos (sicut revera) loqui cum Deo, quocum corde loquimur clamantes magis quam ore.

7) Ne populus afficiatur taedio neque sacerdos loco clamore voce deficiat ††).

Postremo ne ipsa verba in sacrificio potissima aurium assiduitate vilescant (Alcuin. de celebr. Miss.) — Quae canonis verba *sine culpa gravi* non potest alta voce tota legi, ita Doctores communiter.

Secreta ideo nominatur, quia secreto dicitur, in hoc primo nominatur hostia sive sacrificium, oblatio: In hac precatur sacerdos per eandem hostiam purgari usquequaque. Sacerdotis solius est Deo soli offerre sacrificium, ac ideo quia Deo cogitationibus loquimur, non est necessaria vox reboans, sed verba ad hoc tantum, ut eisdem admoneatur sacerdos, quid cogitare debeat †††).

§. XXIV.

De Praefatione et Trisagio.

Q. I. *Quaenam e rubrica sub Praefatione et Trisagio a sacerdote observanda sunt?*

℟. Cum in conclusione ultimae secretae ad illa pervenerit verba: Exclusive *per omnia saecula saeculorum,* manum dextram ponit extra corporale et sinistra quaerit convenientem Missae Praefationem, qua inventa stante medio facie ad altaris medium conversa depositis super altare manibus hinc inde extra corporale extensis

*) Amalar. lib. 3. cap. 19. — **) Gemma lib. 1. cap. 40. — ***) Innoc. III. lib. 2. cap. 54. — †) S. Thomas part. 3. Quaest. 83. art. 4 et 6. — ††) Gemma lib. 1. cap. 103. — †††) Amalar. d. off. Miss. cap. 20.

dicet convenienti et intelligibili voce Praefationem: *per omnia saecula saeculorum.* Et responso dato: *Amen,* pergit: *Dominus vobiscum.* Accepto responso: *et cum spiritu tuo,* cum dicere incipit: *Sursum corda,* elevat de altari manus hinc inde extensas usque ad humeros ita, ut palma unius manus digitis junctis et extensis respiciat palmam alterius. Dum dicit: *Gratias agamus Domino,* manus extensas ad humeros elevatas, jungit ante pectus, cum dicit: *Deo nostro,* oculos ad crucem elevat, et easdem statim demittens cruci caput profunde inclinat.

Necessario extollitur vox, quod omnibus licet simul agere, id est, gratias referre*). Praefatio ipso nomine declarat jam inde a primis nostrae religionis temporibus priora consecrationis scilicet verba solemnia tantum fuisse — Perion. Top. Theol. lib. 2.

Hanc actionis Praefationem — Vere dignum etc. — qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur ac deinde humanae vocis supplicatio coelestium virtutum laudibus admitti deposcitur, quis primus ordinaverit nobis ignotum est**).

Si proprie loquamur, non est: *Per omnia saecula saeculorum* Praefationis initium***), sed ut orationum finis et est principium Praefationis, ut ostendatur (ait Innoc.) Christus lapis angularis, qui fecit utrumque unum propeque passionem Judaeos et Gentiles, qui per Philippum adierunt Jesum. Joann. XII. Depositae manus super altare significant omnem cogitatum temporalem depellens, deprimens exercitio bonorum operum, aditum sibi faciens ad cordis elevationem. (Durand. l. c.)

Sursum corda sumptum est de Jeremia. S. Cyprianus, dum ad cordis elevationem populum sibi concreditum invitaret, ei *cur* ita fieret, causam exponebat in haec verba: „Quando autem stamus ad orationem fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et saecularis abscedat, nec quaequam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur; ideo et sacerdos ante orationem Praefatione praemissa, parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda,* ut dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum* admoneatur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus et soli Deo pateat, nec ad se hostem tempore orationis esse patiatur (de orat. Dom.) — Le Brun. Tom. 1, pag. 187.

Sion 1838. Seite 999. „Paris. Man hat es für gut gehalten, nachstehendes Rescript zu veröffentlichen, welches eine

---

*) Amalari l. c. cap. 20. — **) Walefrid l. c. cap. 22. — ***) Innoc. III. lib. II. cap. 16.

Concession enthält, die der h. Vater auf jene Kirchen auszudehnen geneigt scheint, wo man das Verlangen darnach bezeugen wird. Derselbe Indult war der Kirche von Sevilla ertheilt worden und ein anderer wurde am Anfange des laufenden Jahres für die Diözese Lyon erlangt. — Urbis. Ut primum Em. et Rev. D. Cardinalis Carolus Odescalchi, Episcopus Sabiensis, almae Urbis vicarius, certior factus est, S. R. Congr. decretis nonnullis fuisse dioecesibus extensum indultum, quo gaudent ordines s. Francisci, addendi nimirum Praefationi Missae conceptionis B. Mariae V. verbum *immaculata*, adeo ut legi valeret: *Et in Conceptione immaculata;* sui muneris esse duxit, s. D. N. Gregorio XVI. Pont. Max. enixe supplicare, quo Urbis ecclesias singulari hoc privilegio cohonestare dignaretur, ad tramites concessionis aliis dioecesibus factae. Hujusmodi precibus ab sanct. sua clementer exceptis, referente me infra scripto ejusdem S. R. Congr. secretario, pro gratia expedita benigne annuit, contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 13 Martii 1838. Ita reperitur in actis et regestis secretariae die 24 Aprilis 1838. J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.“

Sic et etiam indulsit nonnullis dioecesibus sanct. sua dicere in lytania Lauretana immediate ante agnus Dei. „Regina sine labe concepta.“ — Utinam simili indultu laetetur Archidioecesis Coloniensis. — Remedium optimum exstirpandi Hermesianismum *).

Concluditur Praefatio hymno Trisagion, quem *Victorialem* Liturgia s. Petri, *triumphalem* s. Jacobus et Marcus (in suis Liturgiis) *Cherubinum* s. Germanus in Theoria — *Primaevum* Alcuinus Caroli Magni magister vocat. Haec sunt minutiora quidem, sed minima Dei maxima sunt et maxime observanda. — O! sane omnibus inculcanda verba, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.

Sanctus, hujus fertur autor fuisse s. Sixtus; desumptus est partim ab Isaia 6. partim ab Evangelio Matth. 21, in quo adoratur Trinitas in unitate et benedicitur Incarnatione verbi, quae venit in nomine Domini. Addidit sanctus Ignatius illud *Benedictus, qui venit,* si credimus Remigio Antisiodurensi (in expos. Missae).

Unde sub verbis: *Deo nostro* articulatim pronuntiatis *tria* haec simul exhibenda sunt **), *nempe oculorum elevatio, eorundem demissio et capitis inclinatio.* Dato responso: *Dignum et justum est,*

---

*) Sion 1839. Paris 29. Juni pag. 854; vide de his plura. Sion 1842. pag. 1463. Vide Hirtenbrief des Cardinal-Erzbischofes von Lyon über die Verehrung der allerseeligsten Jungfrau — bis zu Ende. — **) Romsee T. I. p. 115. N. V.

elevatis et extensis ad humeros manibus, facie ad librum conversa, prosequitur Praefationem, cumque pervenerit ad verba: Domine sancte, commata notabit nempe: *Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus,* sub verbis: per Christum Dominum nostrum caput non inclinat. In Praefatione tamen B. Mariae V. sub expressione nominis Mariae, formanda est inclinatio capitis media versus librum; et sub expressione nominis Jesu capitis inclinatio profunda versus crucem. Cum sacerdos dicit: *Sanctus,* junctis ante pectus manibus, et mediocriter corpore inclinatus voce media idem uno tono depressa ter dicit: *Sanctus, sanctus, sanctus etc.* cumque dicit: *Benedictus,* erigit se, et signum crucis format, ad frontem dicens: *Benedictus,* ad pectus: *qui venit*; ad humerum sinistrum: *in nomine Domini,* ad dextrum, *Hosanna in excelsis.*

Q. II. *Praefatio unde sic appellatur?*

℟. Praefatio est prologus vel proloquium, quo et sacerdos et adstantes ad praecipuam excitantur et praeparantur actionem, in qua proprie sacrificium consistit. Unde ad Angelorum usque choros fidelium mentes elevat, illasque optat seraphico inflammari amore *).

Contestatio et *Inlatio* nomina quoque sunt, quae Praefationi quandoque tributa legimus. Et primo quidem apte dicitur contestatio, nempe gratiarum actionis pro donorum omnium maximo, redemptionis nostrae mysterio, quod ad altare renovatur. Et recte pariter Inlatio nuncupatur, eo quod sacerdos e responso populi: Dignum et justum est, inferat: Vere dignum et justum est. aequum et salutare.

Est gratiarum actio, quae canoni praemittitur, qua sacerdos coelestibus spiritibus, infantium atque lactentium linguis sicque impensius atque propinquius se et populum ad tremendum consecrationis praeparat mysterium.

In Praefationis initio sacerdos manus hinc inde extensas, omnisque cum iis curas super altare deponit. —

Populus per sursum corda invitatus respicit sicut grex ad pastorem, suas curas, suas angustias, suas necessitates, suas bene vivendi beateque moriendi sibi oppositas difficultates sua certamina cum mundo, carne et daemone, — ut paucis multa dicam — suam spem, nunc deponit in Christum per altare repraesentatum, timens et tremens se humiliat, dum corda elevat in sursum.

*) Romsee Tom. IV. p. 196.

Coelestibus mysteriis totus jam intentus salutat populum forma consueta *Dominus vobiscum*. Celebrans pergit omnes hortando, ut *sursum corda* elevent. Hoc est omnium praefationum initium vetustissimum et est ex Apostolica disciplina — attollantur sanctis nempe cogitationibus et affectibus atque corde sursum elevato humi reponant opera. Sacerdos simul attollit manus, quibus opera designantur, quo gestu docemur, non solum cogitationibus sed et operibus quaerenda esse, quae sursum sunt. Ita hunc ritum interpretatur S. R. C. in illud Jeremiae — Thren. III. — Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.

Inter sacra mysteria inquit summus vir Augustinus, cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valemus, et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono Domino Deo gratias agamus, quia hoc dignum, hoc justum est recordari*).

X. Schmidt Liturgik B. 1, S. 405 memorat: Wenn Binterim sagt (Denkwürdigk. 4. B. 3. Th. S. 496.) „Es ist gewiß, daß der Gebrauch der Präfationen bei der Messe apostolischen Ursprungs und mit dem Opfer selbst gleichzeitig ist," so ist dies keine übertriebene Behauptung, indem schon die frühesten Väter sammt allen auf uns gekommenen Liturgien derselben erwähnen. Die Beweise sind l. cit. nachzulesen.

Q. III. *A quibus verbis initium sumit Praefatio?*

℟. Unde suum Praefatio sumat initium, non una est omnium sententia; ac primo quidem cum antiqua sacramentalia Praefationem appellent a verbis illis: Vere dignum et justum est; hinc quidam dicta verba Praefationi initium dare volunt. Verba igitur praecedentia in hac sententia merum forent ad Praefationem praeludium. Alii Praefationem ab illis inchoare verbis contendunt: Sursum corda. Cum enim inquiunt verba: per omnia . . . . praecedentes concludant secretas, et eadem verba aeque ac illa: Dominus vobiscum, in aliis Missae quoque partibus occurrant, hinc a verbis Praefationi soli propriis: Sursum corda eadem suum videtur ducere exordium. Cum interim ante verba: per omnia . . . . rubrica titulum hunc ponat: Praefationes, nil impedit, quin dicatur verba: per omnia . . . . et complere secretas et Praefationi dare initium **).

Q. IV. *Unde suam Praefationes originem habent?*

℟. Quanquam Gelasius I. in libro Pontificalium sacramentorum Praefationis auctor dicatur composuisse sermone, is tamen earun-

---

*) De Bon. Viduit cap. 10. Le Brun. Tom. 1. pag. 190. — **) Romsee Tom. IV. p 196.

dem primus nequit nominari auctor, cum a tempore hujus non invenitur initium, locum in Liturgiis habuerint *).

Liturgia dicta s. Jacobi Praefationem habet. Patres etiam Gelasio multo antiquiores referunt insertas Liturgiis Praefationes. S. Cyprianus in libro de oratione proprio usque adeo nomine Praefationem appellat: Quando stamus, inquit: ad orationem fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis et saecularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Igitur et sacerdos ante orationem Praefatione praemissa parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda, ut dum respondet plebs: habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Eodem in sensu pluries Augustinus disserit. Concilium etiam Milevitanum, cui Augustinus interfuit, Canone 12. statuit: placuit, ut preces vel orationes seu Missae, sive Praefationes, quae probatae fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur.

Ad oculatius interim perlustrandum Praefationum scopum, operae pretium erit adnectere elegantem s. Cyrilli Hierosolymitani instructionem catechesis 5 mystagogicae: Clamat, inquit, sacerdos: sursum corda. Vere enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, et non deorsum ad terram, terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus praecipit sacerdos, curam scilicet vitae hujus, omnes et domesticas solicitudines illa hora relinquere, et cor in coelo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis: habemus ad Dominum, assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat: habemus ad Dominum, mente vero circa vitae hujus curas vagetur. Dicit deinde sacerdos: gratias agamus Domino. Certe gratias agere debemus, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocaverit. Ad haec vos subjicitis: dignum et justum est. Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profecto et justum opus facimus. Pergit deinde totius seriem texere Praefationis; cumque commemorat angelos apud Isaiam canentes: Sanctus, etc. etc., D. D. Sabaoth, hujus modulationis reddit rationem dicens: *propterea* enim traditam nobis hanc seraphicam theologiam recitamus, ut in illa coelesti hymnodia cum supramundana militia communicemus. Eundem in modum et plures alii antiqui Patres de Praefationibus

---

*) Romsee p. 202 et 203.

disserunt. Unde in ecclesiae primordiis Praefationum originem quaerere tantum licebit.

Quamvis vero liturgiae omnes omnium ecclesiarum et nationum insertas sibi Praefationes habeant, earundem tamen formulae admodum variant. In principalioribus tamen partibus conveniunt; excitant siquidem populum ad attentionem, devotionem, et gratiarum actionem, quam etiam persolvit sacerdos, et divina depraedicat attributa, tumque una cum populo angelicis immixtus choris concentu unanimi, et uno quasi ore sacrum modulatur Trisagion.

Praefatio est populi excitatio ad altiora Sacramenti mysteria, tota devotione et reverentia intelligenda et conficienda in tres partes dividitur: In *prima* Christi fidelium congregatorum excitatio ad confitendum Domino proponitur. *Secundo* confessionis exhibendae ratio declaratur — per *Vere dignum et justum est* — *Tertio* confessionis exhibitae acceptatio postulatur — per *cum quibus et nostras* — optans assistentiam divini adjutorii ad altissima Sacramenti mysteria angelicae perfectioni admiranda, non curiose discutienda, sed cordis humilitate suscipienda ac veneranda. Suscipienda in coena spirituali, in qua reficiendi sunt pane vivo, qui de coelo descendit.

Respondet autem populus *Et cum spiritu tuo* optans atque nonnisi spiritus sancti operatione fieri possunt, eodem spiritu sacerdotis spiritum sublevante et sibi uniente nedum sacramentaliter sed et spiritualiter perficiantur. Quoniam spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

Per *sursum corda* celebrans hortatur dicens: Supple, levate, ut omnis carnalis cogitatio abscedat ac saecularis. Claudatur contra adversarium pectus, soli Deo pateat secundum s. Cyprianum.

Sit ergo sursum
1 intellectu veritatis,
2 affectu caritatis,
3 virtute conversationis,
4 rectitudine intentionis.

Ad 1. Ut nihil carnale in Sacramento cogitet, sed omnia alta esse intelligat, ut quod in hoc supercoelesti cibo sumptus Christus dentibus non discerpitur nec Sacramenti divisione dividitur, sumptione non digeritur; sed manens integer sumptus, nos sibi incorporat non nobis ipse incorporatur.

Ad 2. Ut cor, quae sursum sunt, sapiat, non quae super terram.

Ad 3. Ut nostra conversatio sit in coelis, unde et salvatorem nostrum in hoc Sacramento expectamus venturum.

Ad 4. Ut sit oculus simplex ad Deum, non nos ipsos, nec

quae nostra sunt, finaliter quaerendo, sed omnia in Deum tanquam in finem ultimum et optimum ordinando. (G. Biel Exp. canonis pag. 17).

Huic exhortationi respondet chorus. *Dignum et justum est*, et cum sacerdos dicit: *Vere dignum etc.* approbat populi assertionem, quia gratiae Domino reddendae sunt pro omnibus nobis collatis generaliter scilicet pro beneficio creationis, conservationis, redemptionis, justificationis et finalis glorificationis. Spiritualiter tamen pro beneficio institutionis hujus supercoelestis sacrificii ac Sacramenti. Et hoc quidem vere dignum et justum, aequum et salutare.

Quia est Sacramentum
1 sincerae veritatis
2 excellentiae nobilitatis
3 eximiae liberalitatis
4 ponderatae aequitatis

Ideo vere
5 dignum
6 aequum
7 justum
8 salutare.

Ad 1. Quia non modo significat gratiam, sicut veteris testamenti Sacramenta . . ., sed gratiam substantialem formaliter in se continet, ipsum scilicet fontem gratiarum.

Ad 2. Est Sacramentum excellentissimae nobilitatis, eximiae liberalitatis. Ideo justum est pro summo hujus Sacramenti dono summas Deo agere gratias. *Summas,* non simpliciter sed *summas nostrae imbecillitatis possibiles.*

Ad 3. Aequans nos Deo in ratione dati et accepti.

Ad 4. Ut sic continuo in hujus Sacramenti oblatione ab ipso in nos, et a nobis in ipsum fluant et refluant effectus salutares.

Ad 5. *Semper* in tempore scilicet gratiae et aeternitate. In tempore gratiae accipitur Christus vere quidem sed latens sub sacramentali specie. Ita in aeternitate percipietur clara et faciali manifestatione. Ideo trina mundi machina gratias Deo agit, coelum pro ruinae angelicae restauratione; terra pro militaris Ecclesiae redemptione; infernus pro detentorum liberatione, detentorum scilicet in limbo et purgatorio *).

In Praefatione disjungenda sunt: *Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus* et jungenda:

Domine sancte — sanctificantia dona in hoc sacramento magnifice praeparando. — *Pater omnipotens* — paternae caritatis affectum dulcissimum in filiorum pane mirabili potenti praeparatione apertius declarando. — *Aeterne Deus* — dei-

*) G. Biel l. c. pag. 20—21.

tatis tuae alimonia mortales ad aeternitatis immortalitatem spiritualiter vegetando. — *Per Christum Dominum nostrum,* tanquam per mediatorem et advocatum nostrum — *per quem:* Inter te Patrem et nos homines. — *Majestatem tuam.* — i. e. magnitudinem tuam: supereminentem, semper stantem ac immutabilem. *Laudant angeli* — magnitudinem potentiae tuae agnoscendo et confitendo. — *Adorant* — cultum latriae exhibentes. *Dominationes* — angeli scilicet subjectis spiritibus dominantur eis praecipiendo et ad sua ministeria secundum Patris voluntatem diligendo. — *Tremunt potestates,* — id est angeli potenter aereas potestates scilicet daemones coercentes. Tremunt majestatis potentiam, non motu formidinis, quia in beatitudine firmati, sed admiratione magnitudinis et obedientia et promptitudine famulationis — *Coeli* — materiales — *coelorumque* virtutes — influxive in illa inferiora, quibus inferior mundus regitur, illuminatur, foecundatur et ad operationes suas disponitur. *Ac beata Seraphim* — i. e. angeli supremi prae caeteris in Dei caritate ardentes. *Concelebrant* — simul majestatem Patris per Filium laudando, adorando, tremendo, seu admirando. *Socia exultatione concelebrant* — hoc est communi laetitia, in qua omnes beati consociantur. Denique pro conclusione Praefationis jungitur devota supplicatio admissionis vocum nostrarum cum vocibus angelorum in divina laudatione, cum additur: *Cum quibus* — scilicet angelis, *et nostras voces* — humiles quidem sed rationabiles, quia vox est sonus cum intentione prolatus. *Ut admitti* — in laude tua hujusque sacramenti. — *Jubeas deprecamur,* quia sine tuo jussu facultatem dante fieri nequit, ut inter angelos vox nostra audiatur. Deprecamur autem *supplici confessione,* — non superba praesumptione *dicentes: sanctus, sanctus, sanctus.* In quo juncta est angelorum vox et hominum. — Subditur in singulari *Dominus Deus Sabaoth,* in quo Trinitas personarum et essentiae Unitas designatur. Dicitur sanctus quasi hostiae sanguine tinctus, tractum a veteris consuetudine legis, in qua nil sanctum dicebatur, nisi quod fuerat sanguine hostiae aspersum vel unctum. Pene enim omnia in sanguine secundum legem mutabantur: ad Hebr. 9. — *Dominus Deus Sabaoth,* — quod interpretatur virtutum vel exercituum, quia omnis virtus coelestium et terrestrium est in manu ejus, quia sancta ecclesia triumphans in angelis ac beatis in coelis, et militans adhuc in terris est terribilis, ut castrorum acies ordinata: *pleni sunt coeli et terra gloria tua,* — quia in omnibus creaturis superioribus et inferioribus relucet gloria divinae majestatis in plena omnium subjectione, in sapientissima omnium gubernatione, in suavissima omnium virtute et perfectione, in quibus relucet vestigium divinae gloriae. — *Osanna in excelsis,* i. e. obsecro salvivifica, supple nos in excelsis,

i. e. in coelis, ubi est salus aeterna et perfecta. Nam ad istam dandam nobis Christus, qui descendit de coelis, praesentiam suam etiam exhibet in sacramento altaris. — *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Dicimus *Benedictus,* non quasi ex nostra benedictione Dei augeatur beatitudo, aut sibi bonum quodcunque accedat, sed a nobis benedicitur i. e. benedictus praedicatur, laudatur et colitur, quia ipse venit plenus benedictione spirituali. *In nomine Domini,* — i. e. Patris, qui est Dominus coeli et terrae et universorum. Venit autem Christus in nomine Patris, quia, sicut ipse ait, in omnibus, quae gessit, non suam sed Patris gloriam quaesivit. *Osanna in excelsis.* — Repetitur autem propter duplicem stolam seu gloriam in excelsis promissam, scilicet corporis et animae, vel ut salvet a duplici miseria — a miseria culpae per gratiam, et a miseria poenae per gloriam. Oramus ergo Dominum benedicendo gratias agentes et dicentes: Benedictus sit in aeternum et superbenedictus, qui venit in nomine Domini: i. e. operatione divina in altaris sacramento, quatenus eum sic venientem digne suscipientes, ab eo salutis benedictionem consequi mereamur nunc et in excelsis, hic et in futuro Amen *).

Q. V. *An idem semper et ubique fuit Praefationum numerus?*

℟. Non semper idem ubique fuit Praefationum numerus. Et quidem Graeci aliique in oriente Praefationes nonnisi unica in singulis Missis utuntur praefatione, Latini vero plures numerant. Qui Ambrosiano utuntur ritu in Missis sive de festo, sive de Dominica, sive de Feria, propriam canunt Praefationem, habentque et unam communem Romanae similem. Mozarabes pariter proprias semper usurpant Praefationes **).

Quoad Romanam ecclesiam constat, in libro sacramentorum s. Gregorii proprias pro singulis Missis extare Praefationes ab Ambrosianis diversas, queis diu usa est ecclesia. Cornelius Schultingius Tom. II. de eccles. part. 2. cap. 12. librum laudat Coloniae ab Henrico Gravio editum, in quo numerantur ducentae quadraginta Praefationes propriae.

Q. VI. *Quot Praefationes Ritus retinuit hodiernus?*

℟. Numerus Praefationum imminui tandem coepit. Baronius Tom. 7. Annalium anno 590, et Binius Tom. 4. Conciliorum citant epistolam Pelagii 2[di] ad Episcopos Germaniae et Galliae, qui ipsum rogaverant, ut eum Praefationum ordinem ipsis mitteret, quem Romana

---

*) G. Biel, Expos. Canon. pag. 20 et seq. — **) Romsee Tom. IV. pag. 204.

tunc servabat ecclesia. In qua epistola Pelagius novem tantum eis designavit Praefationes, quas longa retro veritas, inquit, in Romana ecclesia hactenus servavit: Unam in albis paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de nativitate Domini, quintam de apparitione, sextam de Apostolis, septimam de ss. Trinitate, octavam de s. Cruce, nonam de jejunio et quadragesima tantummodo dicendam. Has Praefationes tenet et custodit s. Romana ecclesia; has tenendas vobis mandamus.

C. Bona lib. 2. cap. 10. §. 3, Pagius in vita Pelagii II. et Merati Tom. I. part. 1. proposito dubio, sitne genuina, vel spuria haec ipsa Pelagii epistola, eandem spuriam a multis probant argumentis. Illud certissimum est, inquit Bened. XIV. de s. Missae, sect. 1, §. 200, in Missalibus post annum millenum ducentesimum editis, novem illas duntaxat Praefationes reperiri, quas recenset decretum Pelagii. Quibus deinde addita est Praefatio communis, quae vetustissima est, et Gelasio, vel Gregorio M. tribuitur: et Praefatio de B. Virgine, quam C. Bona loco citato tribuit Urbano II. Hae duae igitur junctae prioribus formant undecim Praefationes, quibus omnes ecclesiae Romano adhaerentes ritui utuntur.

Praefationes ab Ecclesiae primordiis originem habent (Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap 16). Dionysium et Leonem Papam factorem appellat — Honorius in Gemma lib. 1. cap. 89 — Praefationis communis auctorem Gelasium dicit Alcuinus loco cit.

Novem denique Praefationes approbat Pelagius Papa 2. Ep. 4. — Sigibertus de Pelagio anno 581 et canone Invenimus de consecrat. dist. 1. addidit decimam de B. Maria Virgine Urbanus II. in Concilio Placentiae et Clarimontii celebrato anno 1095. (Baronius et Bellarmin. lib. II. de Miss. cap. 17. anno 180 et habetur con. sanctorum § final distinct. 70.) Angeli vero omnes in Praefatione nominantur implicite in verbo *Virtutes*, (Alcuin. l. c.) quia Dominus virtutum i. e. angelorum ipse est Rex gloriae. Psalm 23 ideoque nominantur paulo ante consecrationem, quae creduntur sacrificio adesse (Microlog cap. 11).

Quoad Praefationem B. Mariae V. vide Burium in notat. Brev. R. P. No. 51 et 166. S. R. C. 1759. Jan. 3 statuit, ut in omnibus Dominicis Praefatio de Ss. Trinitate sumenda sit.

Audiamus Concilium Basileense: „Abusum aliquarum Ecclesiarum, in quibus symbolum et confessio fidei nostrae non complete usque ad finem cantatur, aut Praefatio, aut oratio dominica obmittitur . . . abolentes statuimus, ut qui in his transgressor inventus fuerit, a suo superiore debite castigetur.“

Sess. 21. N. 8. Concil. Tom. 12, Col. 554. — *Agenda Spirensis* anno 1512 id sacerdotibus in haec verba commendat: „Ut vos ipsi Praefationem et orationem Dominicam, *nisi urgens necessitas exegerit,* ad finem cantetis." Concilium Coloniense anno 1536 p. II, cap. 12 et anno 1538 tanquam absonum refert, in nonnullis Ecclesiis Epistolae, Symboli, Praefationis et Dominicae orationis cantum vel omitti, vel contrahi, ac proinde singulas has Missae partes distincte atque ita, ut intelligi possint, cani praecipit, nisi forte gravis causa coegerit cantum contrahere." Jam et illud non recte fit in quibusdam ecclesiis, ut ob cantorum et organorum concentum omittantur aut decurtentur ea, quae sunt praecipua. Cujus generis sunt, recitatio verborum propheticorum aut apostolorum, quam Epistolam vocamus, Symbolum fidei, Praefatio, quae et gratiarum actio atque precatio dominica. Quamobrem haec tota distinctissime ac intelligibiliter, ut caetera omnia (si tamen levis deturbandi causa absit) decantentur.

Le Brun Tom. I, pag. 188 et 189, Scholion 2 addit: „Ut *Coloniae* audiverit duo tantum verba *Pater noster* proferre, et spem suam declarat, ut per antistitum pietatem et episcoporum vigilantiam executioni mandentur."

NB. Hanc spem etiam hodie et nos habemus, cum talis abusus apud nos irrepserit.

Q. VII. *Quae pro Praefationum usu serviunt regulae?*

R. Regulae serviunt sequentes:

1) Si Missae sit adsignata Praefatio propria, haec dicenda est, licet Missa legatur intra tempus, vel Octavam, quod vel quae Praefationem habet propriam. Ab hac regula excipitur festum s. Joannis Evangelistae 27. Decembris; cum enim vi regulae debita esset Missae in dicto festo Praefatio de Apostolis, nihilominus ex usu antiquo capellae papalis, ait Gavantus, adsignatur ei Praefatio de Nativitate Domini.

2) Quodsi Missa non habens Praefationem propriam celebretur infra tempus vel Octavam, quod vel quae Praefationem habet propriam, dicitur Praefatio de tempore vel Octava.

3) Si Missa de festo propriam non habente Praefationem celebretur infra tempus et simul Octavam, quod tempus et quae Octava propriam habent Praefationem, dicenda erit Praefatio de Octava, et si duae celebrentur Octavae, de digniore. S. R. C. 23tia Januarii 1736 apud Merati in Indice N. 687.

4) Quodsi festum, de quo celebratur Missa, propriam non habet Praefationem, neque celebretur infra tempus vel Octavam, quod

vel quae habet propriam, legenda erit Praefatio communis. Pro Missis votivis vide supra §. 12. Q. XI.

Denique Clemens XI. 3tia Januarii 1759 decrevit, omnibus Dominicis extra tempus Quadragesimale et Paschale dicendam esse Praefationem de Ssma Trinitate, nisi in Dominicis incidat Octava vel festum habens propriam.

Q. VIII. *Trisagion quid, et quo istud didicit Ecclesia?*

℟. Trisagion, quod Graeci *Epinition,* sive hymnum triumphalem, et nos angelicum dicimus, est vox ter pronuntiata Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hunc hymnum ab angelis didicit ecclesia; Isaias enim cap. 6to ait: Se vidisse Dominum sedentem super solium excelsum, et Seraphim audivisse canentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum! Plena est omnis terra gloria ejus. Et s. Joannes in Apocalypsi c. 4. scribit: quatuor mystica animalia non habuisse requiem die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, et qui venturus est.

De Trisagio praeclare s. Ambrosius lib. 3 de Spiritu s. cap. 18: Cherubim, inquit, et Seraphim indefessis vocibus laudant et dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Non *semel* dicunt, ne singularitatem credas. Non *bis* dicunt, ne spiritum excludas; non *sanctos* dicunt, ne pluralitatem aestimes, sed *ter* repetunt et *idem* dicunt, ut etiam in hymno *distinctionem trinitatis et divinitatis intelligas unitatem.* Haec cum dicunt, Deum praedicant.

Trisagion mystice designat triumphum Christi in die palmarum. Hinc una cum sacerdote populus per additamentum illud *ter sanctus* in memoriam revocat canticum illum ex Isaia VI, 3 et Matthaeo XXI, 9, quo angeli et Hebraeorum pueri cantabant: *Osanna benedictus,* qui venit. Innoc. III, lib. II, cap. 61; dicit autem celebrans hocce trisagion inclinatus, ut debita submissione Deus unus et trinus in hoc hymno expressus adoretur et glorificetur.

NB. Tres linguae in Missa adhiberi solent ad ostendendam Ecclesiam unam ex *Graecis, Hebraeis et Latinis* coadunatam; tum ex perpetua ecclesiae consuetudine; demum ad honorandum Christi in cruce titulum, hebraeice, graece et latine scriptum *).

Das Concilium Vasense verordnet, daß das Trisagium auch bei den Messen in den Fasten und für die Verstorbenen gesungen werden soll, und beurkundet den langjährigen Bestand desselben

*) Merat. Tom. I. p. 1. tit. 8. No. 7.

in allen lateinischen Liturgien. Can. 3, anno 529. Binterim Denkw. 4. B. III. Th. S. 402.

Q. IX. *Aquo tempore Trisagion Missae insertum fuerit?*

R. Quidam ritum sub Missa dicendi Trisagion tribuunt Sixto I. R. P.*), qui saeculo II. sedit in Cathedra Petri. Sed ritum Trisagii, quod omnibus etiam antiquissimis insertum est liturgiis, Bona**), Sixto antiquiorem inde colligit, quod liber Pontificalis referat Sixtum constituisse solummodo, ut sacerdote Trisagion incipiente illud etiam populus cantaret***). Cum vero progressu temporis abusus irrepsisset, ut nonnisi in festis solemnioribus in Missa diceretur, conc. Vasense anno 529 sanxit, ut nec in aliis omitteretur Missis, quia, inquit, tam dulcis et desiderabilis vox etiamsi diu noctuque posse dici fastidium non potest generare.

Propterea traditam nobis hanc seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa coelesti hymnodia cum supramundana militia communicemus. (Cyrillus Hierosolymit. Cateches. 5. mystagog.

Q. X. *Quid vox hebraica Osanna significat?*

R. Alteram hymni partem: Benedictus, qui venit .... Christo Domino turba in ingressu Hierosolymae ante passionem decantarunt. S. Hieronymus in epistola ad Damasum Papam advertit, vocem Osanna, quae in psalmo 117 legitur, in hebraeo hosianna per elisionem fuisse corruptam, quam etiam Christo acclamarunt pueri: Matth. 21. Vers 9. Vox vero hosianna latine redditur: Salva obsecro, et alia: Sabaoth exercituum †).

Rithmycae quaedam interpolationes trysagio quondam in particularibus additae ecclesiis a longo jam tempore proscriptae sunt. Cum enim studio particularium adderentur, timebatur merito, ne inconcinna et insulsa trisagio miscerentur.

Si credimus Remigio Antisiodunensi (in Exp. Missae), bis dicitur Hosanna id est *salve quaeso* juxta ordinem Romanum, semel angelorum nomine, semel nostro; quia hic hymnus partim ab angelis partim ab omnibus concinitur, ut per Christum immolatum, genus humanum sociatum fuisse angelis fateatur ††). Concilium Vasense autem Canone 6 statuit et decrevit, ut diceretur in omnibus Missis etiam defunctorum.

Q. XI. *Cur sacerdos sub verbis: Benedictus qui venit .... format crucis signum?*

---

*) Amalar. lib. 3. cap. 21. — **) Lib. 2. cap. 10. §. 4. — ***) Romsee l. c. pag. 207. N. 10. — †) Romsee l. c. p. 207. — ††) Gemma lib. 1. cap. 42.

℟. Signat se cruce sacerdos sub verbis: Benedictus, qui venit ... ut passionis Dominicae memoriam innovet ante actionem illam praecipuam, sub qua Christus sese in altari praesentem exhibebit, idemque quod in ara crucis cruente obtulit sacrificium, per ministerium sacerdotis incruente iterabit *).

Q. XII. *An Trisagion aliud in sua habent liturgia Graeci?*

℟. Praeter trisagion omnibus ecclesiis commune, de quo supra, aliud Graeci trisagion suis quotidie addunt liturgiis, quod Latini semel in anno graece simul et latine concinnunt, in magna nempe Parasceve estque: Sancte Deus, s. Fortis, s. Immortalis, miserere nobis. Originem hujus trisagii Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, Theophanes aliique scriptores graeci ita narrant: Cum anno 446 Constantinopolis terribili atque diuturno quateretur terrae motu, populusque extra urbem cum Patriarcha suo sancto Proclo Deum supplex deprecaretur, en repente puerulus quidam in aëre sustollitur, vident, stupentque omnes, evanescit tandem parvulus. Post morulam cernitur denuo, descenditque prope s. Proclum, cui refert, se choris interfuisse Angelorum concinnentium hunc glorificationis hymnum: Sancte Deus, sancte Fortis, sancte Immortalis, miserere nobis, additque, hujus hymni repetitione Deum placatum iri. Hymnum ab omni jubet concinni populo s. Proclus et — quiescit terra, populusque hymnum continuans exultansque in civitatem regreditur.

§. XXV.

De Canone Missae usque ad Consecrationem.

Q. I. *Quaenam praecipit rubrica ab initio canonis usque ad consecrationem?*

℟. Formata cruce et dictis: Hosanna in excelsis, sacerdos stans ante medium altaris *primo* aliquantulum attolit manus, *secundo* oculos versus crucem elevat, statimque iterum demittit; *tertio* jungit manus et super altare ponit; *quarto* profunde inclinatus canonem incipit et continuat secreto ita, ut secluso impedimento ipsemet se audire, a circumstantibus vero audiri non possit; dicit itaque: *Te igitur, clementissime Pater,* uti in ordine Missae. Cum dicit: *Ac petimus,* hinc inde ponit manus ad mensam altaris, extra corporale et osculatur altare in medio. Deinde erigit se dicens: *Uti accepta habeas,* cumque erectus addit: *Et benedicas,* jungit manus ante pec-

---

*) Romsee pag. ut supra.

tus; tum deponit manum sinistram extra corporale et dextra extensa tria format crucis signa super calicem et hostiam simul, et quidem primum sub his verbis: *Haec † dona*, alterum sub illis: *Haec † munera*, et tertium sub: *Haec sancta † sacrificia illibata.* Tum iterum extendens manus ad altitudinem et latitudinem humerorum prosequitur: *Imprimis, quae tibi offerimus* .... ubi dicit: *Una cum famulo tuo Papa nostro N.;* ad hanc litteram exprimit nomen papae regnantis, minimamque versus librum exhibet capitis inclinationem. Sede autem papali vacante verba praedicta omittuntur. Dum dicit: *Et antistite nostro N.* exprimit absque capitis inclinatione nomen Episcopi Dioecesis, in qua celebrat et non alterius superioris, etiam si celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Episcopo defuncto haec verba omittuntur, quae etiam ab iis omittuntur, qui Romae celebrant, quia summus Pontifex est ordinarius Episcopus urbis *).

Wie Jesus Christus dreimal vor seinem Leiden am Oelberge gebetet hat, so spricht auch der Priester, ehe er die Wandlung beginnt nach der Bemerkung des h. Hildebert drei Gebete. Im ersten bittet er für die Kirche mit ihren Regenten, im zweiten für die Brüder, die ihre Opfergaben gegeben, für jene, die sich seiner besonders empfohlen haben und die dem Opfer beiwohnen, das dritte Gebet ist für den Priester selbst, wo er in Gemeinschaft der allerseeligsten Jungfrau und Mutter Gottes Maria, der Apostel und Martyrer tritt, damit er durch deren Fürsprache den Schutz des Herrn erhalten möge **).

Canon dicitur ideo *secreto*, ut Christo obediamus Matth. VI. — Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora Patrem tuum. *Canon* vox usurpata est a s. Gregorio, (lib. 11, Epist 16) qui et *precem* nominavit. (lib. 7, Epist. 62). — *Regulam vocat ecclesiasticam* Ambrosius in Ep. ad Tim. cap. 2. — *Legitimum* Optatus Milevitanus lib. II contra Parmen: *Secretum* Basilius de spiritu s. cap. 27. *Ordinem precum* Isidor lib. 1 de div. off. cap. 15. *Actio* a Dionysio l. c. dicitur, quia ex Walefrido cap. 22 in ea est legitimus ordo et regula fixa et stabilis ad Sacramenta conficienda.

Per tres cruces initio Canonis super hostiam et calicem denotare vult Bened. XIV trinam Christi traditionem: In mortem pro peccatis nostris, puta a Patre (Rom. VIII, 32.) a semetipso — Isaiae L. III, 12 et a Juda proditore — Matth

---

*) Romsee T. I. p. 117 et T. IV. p 216. — **) Hildeb. M. Exp. M. op. fol. 1117. Binterim Denkw. 4. B. III. Th. S. 414.

XXVI, 48. — In canone quinquies dicitur *per Dominum nostrum* ad recolenda quinque vulnera Christi *).

Der Verfasser de officio Missae, die Gerbert Part. III Monument. Liturg. Alemann pag. 163 uns vorlegt, erkennt sechs Kreuze im Canon und findet darin die sechs Tage der Erschaffung; ferner auch die sechs Zeitalter bis zur Ankunft Jesu. Binterim Denkw. 4. B. 3. Th. S. 255.

Bene animadverte! *Episcopo defuncto,* nullatenus vero, si vel dolo, vel vi, sive ab haereticis, sive ope suorum domesticorum aut ab paganis abductus foret in captivitatem!

Si celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, vel ob dignitatis eminentiam Cardinalis, ubicunque celebret, omissis praedictis verbis eorum loco dicit: Et me indigno servo tuo.

Si autem Pontifex cum celebrat omissis verbis: una cum famulo tuo papa nostro N. et antistite nostro N. dicit: *Una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo praeesse voluisti,* et continuant omnes, ut sequitur: *Et omnibus orthodoxis* . . . .

Cum celebrans secreto pergens dicit: *Memento Domine,* manus elevat et jungit, tenetque eas elevatas usque ad mentum, et stans paulisper quietus demisso aliquantulum capite facit commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, et quibus justitiae, vel charitatis titulo speciatim obligatur, quorum nomina si vult secreto commemoret, non tamen necesse est, ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam animo proponere sibi omnes illos tam vivos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa. Commemoratione vivorum facta demissis et extensis uti prius manibus continuat: *Et omnium circumstantium.*

Secreto pergit — ut rei divinae hac silentii gravitate major reconcilietur reverentia. — Bona lib. II, cap. 11. —

Secrete dici, scribit Innoc. III, lib. III, cap. I, ut admoneamur Deum vere absconditum esse hoc in mysterio, vel ut vult s. Bonaventura, fit ad indicandam humilitatem Christi, qui ceu agnus coram tondente non aperuit os suum.

Similiter prosequitur: *communicantes,* cumque dicit: *Jesu Christi* caput profunde cruci inclinat, ad Mariae nomen vero format inclinationem capitis mediam versus librum, minimam vero ad nomen

---

*) Honorius in Gemma lib. 1. cap. 56.

alterius sancti, si de eo vel Missa celebretur, vel ejusdem in Missa specialis fiat commemoratio.

Communicantes Siricius papa autor creditur (Rodulphus l. c.). Lino papae vero (juxta N. de Plove in Expos. Missae) commemoratio sanctorum tribuitur, s. Clemens *).

Die Kirche auf Erden hat mit der Kirche im Himmel eine Gemeinschaft. Diese wird im Canon durch das zweite Gebete welches anfängt: Communicantes, das ist: Eine Gemeinschaft unterhaltend, sehr schön ausgedrückt. An der Spitze der himmlischen Kirche steht die allerseeligste Jungfrau und Mutter Maria, dann folgen die zwölf Apostel und eben so viel Märtyrer. Magister Florus weiset uns hier auf die Stelle des Apostels. Ephes. 11, 19. Also seid ihr nicht mehr Fremdlinge und Abgesonderte, sondern ihr seid Mitbürger der Geheiligten und Hausgenossen Gottes, erbaut auf die Grundfeste der Apostel und Propheten rc. Binterim 4. B. III. Th. S. 426.

In conclusione primae orationis canonis, *per eundem Christum Dominum nostrum* jungit manus ante pectus sine capitis inclinatione. — Ante secundam canonis orationem: *Hanc igitur oblationem* .... expandit manus simul super oblata ita, ut palmae earum sint apertae versus ac supra calicem et hostiam et extremitates digitorum protendantur usque ad medietatem pallae calici superimpositae, quin tamen palla tangatur; pollex interim dexter ponatur supra sinistrum in modum crucis ita, ut uterque sit supra, non infra manus, quas sic extensas tenet usque ad illa verba: *Per Christum Dominum nostrum, amen;* tunc jungit ante pectus manus suas prosequiturque tertiam canonis orationem: *Quam oblationem tu Deus in omnibus quaesumus,* dein manum sinistram deponit extra corporale et dextra tres format cruces supra calicem et hostiam simul dicens: *Bene † dictam, adscrip † tam, ra † tam,* tum iterum jungit manus (ante pectus) et dicit: *Rationabilem acceptabilemque facere digneris;* et incipiens: *Ut nobis,* manum sinistram denuo extra corporale deponit et dextra versus nodum calicis demissa format crucem supra panem dicens: *Cor † pus,* et aliam supra calicem dicens: *San † guis,* tum elevat, jungitque ante pectus manus et prosequitur: *Fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi,* praestatque cruci inclinationem capitis profundam.

Hanc igitur oblationem tribuit Alcuinus Gelasio. — Rodulphus vero Prop. 23. Leoni Magno usque ad *placatus acci-*

---

*) Lib. 8. const. Apostol. cap. 13.

pias, quae usque ad *quam oblationem* exclusive addita fuere a s. Gregorio (Amalar. lib. 3 cap. 23.) et communiter omnes rubricistae occasione pestis, quae fuerat Romae et bellorum, ut ait Lopez lib. 2, cap. 14, § 1. Manus autem extenduntur super oblata more Aaron, Levitici 1, cap. 1 Suarez Disput. sect. 1 et ut intelligas, haec mysteria tegi etiam angelis nedum hominibus (Rupert. lib. 2, cap. 57) vel innuunt divinam protectionem seu gratiae efficaciam, quae hac in prece postulantur (ex Joanne Serrano), vel sacerdotem profiteri non viribus propriis, sed virtute ordinationis per impositionem manuum Episcopi tam mirabile apud se facturum.

NB. Hic paululum elevat supra calicem et hostiam extensas manus, eas dum jungit elevat et retrahit junctas ad pectus.

In quinque crucibus post *Hanc igitur oblationem* venditio Christi exprimitur: In primis tribus venditionis pretium, quod ter decem denariis constat; vel tres emptores, intellige sacerdotes, scribas, Pharisaeos; in aliis duabus venditorem et venditum (Innoc. III, cap. 12), vel in his quinque crucibus latet historia in die palmarum ad mortem Christi per dies quinque. (Titelmann cap. 43.)

Stephanus Augustodunensis et Odo Cameracensis saeculo XII explicant satis apte, quemadmodum oblatio haec et generalis et peculiaris fit: „Haec oblatio non tantum est sacerdotis sed cunctae familiae, id est cleri et populi, et non tantum assistentis familiae sed totius familiae (de Sacram. Altar. cap. 13.) *Servitutis*, id est, cleri, tibi, (qui secundum acceptos gradus in hac oblatione sacrificii servimus) sed et cunctae familiae tuae id est totius assistentis collectae. Solitarii sic intelligunt *servitutis nostrae,* id est, meae cum meo ministro; sed et cunctae familiae id est cunctae ecclesiae *).

Leo IV anno 847 homilia ad presbyteros Conc. Tom. 3, Col. 14, per provincias missa, legenda presbyteris, inquit: „Calicem et oblatam *recte* cruce signate, i. e. non in circulo et varicatione digitorum, ut plurimi faciunt, sed districtis duobus digitis et pollice intus recluso: Per quos trinitas innuitur; istud signum ✠ recte facere studete. Non enim aliter quidquam potestis benedicere, quamquam modo non tribus tantum digitis, sed plena manu id fiat.“

NB. Secundum hodiernum ritum signatur ante consecrationem plena manu extensa, post eam duobus digitis, pollice et indice, clausis per ulteriores tres digitos dextrae.

Proclus Patriarcha Constantinopolitanus docet lib. de div. Liturgia, ut Deus hanc oblationem panis et vini acceptet ut

---

*) Exp. can. dist. 2. Le Brun Tom. I. p. 218.

materiam sacrificii futuri ita, ut per illorum mutationem (transubstantiationem) fiat corpus et sanguis Christi etc.

Benedict XIV gibt von den verschiedenen Kreuzzeichen in der h. Messe schöne Erklärungen. So sagt er, das Kreuzzeichen bedeute nach dem Gebet: „Nimm auf himmlischer Vater," daß das Opfer auf das Kreuz gelegt werde. Die drei Kreuzzeichen, welche über die Hostien und den Kelch im ersten Gebete des Canon gemacht werden, sind wahre Segnungen nnd Erinnerungen an das Geheimniß der allerheiligsten Dreifaltigkeit. In dem dritten Gebete des Canons: Welche Opfergabe u. s. w., zeigen die fünf Kreuzzeichen auf die fünf Wunden des Heilandes. Die Kreuzzeichen nach der Wandlung sind keine Segnungen, sondern Erinnerungen an die Kraft des Kreuzopfers, und zeigen hin auf Jesus am Kreuz, der dort sein Blut vergossen, für uns gebetet, und dann sein Leben hingegeben hat. Das Kreuzzeichen nach dem Gebete: Befreie uns, bedeutet, daß durch Jesu Opfer Alles im Himmel und auf Erden ausgesöhnt sei. Die drei nach der Brechung der h. Hostie über den geheiligten Kelch gemachten Kreuze, bezeichnen die drei Tage, nach denen Christus aus dem Grabe auferstanden ist *).

Quoniam litteralis in linguam vernaculam canonis translatio ejusdem faciliorem reddit expositionem, hinc istam huic apposite hic praemittendam duximus.

Canon der h. Messe buchstäblich übersetzt.

Dich, gütigster Vater! bitten wir daher fußfälligst durch Jesus Christus deinen Sohn unsern Herrn, und begehren, daß du doch annehmen und segnen mögest diese Gaben, diese Geschenke, diese heiligen unbefleckten Opfer, welche wir dir darbringen, hauptsächlich für deine heilige katholische Kirche, welche du friedlich zu machen, zu bewahren, zu vereinigen, und zu regieren auf dem ganzen Erdkreise dich würdigen mögest, zugleich mit deinem Diener unsrem Pabste N., und unsrem Erzbischofe N. und allen Rechtgläubigen und den Bearbeiteren des katholischen und apostolischen Glaubens **).

Andenken für die Lebendigen.

Gedenke, o Herr, deiner Diener und Dienerinnen, und aller Umherstehenden, deren Glaube dir bewußt und deren Andacht dir bekannt

*) Vid. Bened. Tom. VIII. lib II de ss Miss. sacrif. Edit. vent. — Räß und Weiß die Feste des Herrn B. II. pag. 49. — **) Mutatis temporibus nomen Pii VIII. et nomen Antistitis Marci Antonii Bertolet ex Dictatis omitti debui, quae A. R. D. Mohren suis inseruit Dictatis.

ist, für welche wir dir opferen,
opfer für sich und die Ihrigen al
für die Hoffnung ihres Heiles un
darbringen, dir, dem ewigen, leb

Zwischen

Die wir Gemeinschaft habe
glorwürdigen, allzeit Jungfrau
res Herrn Jesus Christus,
Martyrer: Petrus und Paulus
mas, Jakobus, Philippus, Bart
däus, Linus, Cletus, Clemens
rentius, Chrysogonus, Johann
nus und aller deiner Heiligen
verleihen mögest, daß wir in
bewahrt werden, durch denselb

Wir bitten deswegen, o
barkeit, aber auch deiner ga
unsre Tage in deinem Fried
ewigen Verdammniß entrissen
zugezählet werden, durch Chri

Welches Opfer du, o G
angeschrieben, kräftig, vernun
würdigen mögest, damit uns
liebsten Sohnes, unsers Herrn
er litt, das Brod in seine
und mit gegen Himmel erhob
Vater, dir dankte, es segnete,
sprach: Nehmet hin und esset

Denn d

Gleicherweise nach dem
lichen Kelch in seine heiligen
mäßig, segnete, und gab ihn
und trinket daraus alle, den
tes, des neuen und ewi
Glaubens, welcher für e
werden zur Vergebung
werdet, sollet ihr dieses zu m

---

*) In originali in textu graeco

oprium, an vero appellativum, ita, ut li-
litigatur; sed per Scholasticum non nomen
ı litteris excultum indicta Gregorii epistola
est, quod praeterquam nec patriam hujus
, quo is vixerit, alleget Gregorius; more
fere communi viri egregie docti appellati
quidem, quod hi scholis praeficerentur
ɔs ad fidem erudirent, uti Augustinus, Sal-
ɩue sub ea significatione nomine Scholastici
ːrtum est, Canonem Gelasio esse antiquio-
is pontificibus quaedam Canoni adjecta fuisse
haec sunt; ipsum vero, ait Vigilius Papa in
ex apostolica traditione suscepimus. Ipsum
ı eodem quo Gelasius vixit saeculo refert s.
sacramentis *).

sio dicitur *Actio,* quia ab eo principalis sa-
tio.

s controversiis audire Conc. Trid. sess. 22.
ssae. Et cum sancta, inquit, sancte adminis-
hoc omnium Ss^{mum} sacrificium, ecclesia ca-
enterque offeretur atque perciperetur, sacrum
saeculis instituit, ita ab omni errore purum,
tur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem
ntesque offerentium in Deum erigat; is enim
Domini verbis, tum ex Apostolorum traditio-
uoque Pontificum institutionibus. Igitur s. Sy-
signat fontes. Et quidem primo Domini ver-
ria, probatione non indiget. Quoad traditionem
us III. in decretali: Cum Marthae de cele-
quaestionem, cur in canone Missae in con-
r verba Jesu Christi relata a Matthaeo cap. 26.
rium fidei, respondet: Haec verba aeque ac
coelum, item post verba: Hic est enim san-
et *aeterni* — testamenti, ab Apostolis esse
tam de verbis, quam de factis dominicis in-
tis omissa, quae Apostoli vel suplevisse verbo,
leguntur. Paulus enim in actibus Apostolorum
os oportet verbi Domini Jesu, qui dixit: Bea-

p. II. §. 2.

schaffest, heiligest, belebest, segnest und uns mittheilest, durch ihn und mit ihm und in ihm ist dir, Gott dem allmächtigen Vater, in Einheit des h. Geistes alle Ehre und Glorie. Per omnia etc.

Addo mysticam significationem Canonis Odonis Cameracensis. — Alteram G. Biel et paraphrasticam Michaelis Syndonensis, ut omnibus innotescat, labores pios aviorum tantorum tempora nostra nullatenus amplius sentiendi atque in lucem proferendi imparia se fatentur*).

Q. II. *Etymon Canonis unde? et quae alia ejus nomina?*

℟. Quod Graecis Canon, Latinis est Regula, qua fixe stabiliterque principalis illa dirigitur actio, sub qua et per quam sacra conficiuntur mysteria incipitque ab oratione: *Te igitur* et sinit ante orationem Dominicam, ut secretum finiens sacerdos dicit voce clara: *per omnia saecula saeculorum.*

Nomen Canonis jam tempore s. Gregorii Magni fuisse usitatum, eruitur e libro 7 Epist. 64, ubi referens quorundam contra se murmurationes hanc fuisse unam scribit, quod orationem dominicam mox post canonem dici statuisset. Idem tamen Gregorius canonem etiam precem nominat more quorundam patrum, qui consecrationis verba precem nuncupant, eo quod sint verba sacra**).

Concilium Eboracense tempore Coelestini III. canonem vocat secretum Missae; canonem siquidem exceptis hisce tribus voculis: *Nobis quoque peccatoribus,* secreta esse legendum voce notavimus §. XIV. Q. III et IV. Ab aliis Canon *Actio* appellatur, quia, ut ait Walefridus, in eo *dominica* conficiuntur *sacramenta.* Ideoque etiam in Canone ante Communicantes titulus ponitur: Infra actionem i. e. intra actionem, uti in quibusdam legitur codicibus, quanquam enim juxta grammatices regulas non idem sit infra vel intra. Idiotismus tamen est, quem scriptores ecclesiastici adoptarunt, ut etiam, cum dicunt infra Octavam intelligunt intra Octavam, uti observat Le Brun***).

Q. III. *Quem Canon autorem habuit?*

℟. Tot tamque diversi canonis recensentur autores, ut certus nequeat autor determinari. Designant quidam Gelasium Papam; alii Musaeum presbyterum Massiliensem, iterum alii Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania. Sunt etiam, qui Gregorium Magnum autorem pronuntient. At Gregorius ipse in epistola praecitata Canonem scribit a Scholastico quodam compositum. An vero

---

*) Has duas explicationes vide in append. — **) Romsee Tom. IV. pag. 209. — ***) Tom. I. pag. 210.

Scholasticus nomen sit proprium, an vero appellativum, ita, ut literatum denotet hominem, litigatur; sed per Scholasticum non nomen viro proprium, sed virum litteris excultum indicta Gregorii epistola designari eo verosimilius est, quod praeterquam nec patriam hujus Scholastici, nec tempus, quo is vixerit, alleget Gregorius; more etiam loquendi quondam fere communi viri egregie docti appellati fuerint Scholastici, ideo quidem, quod hi scholis praeficerentur christianorum et conversos ad fidem erudirent, uti Augustinus, Salvianus, Hieronymus aliique sub ea significatione nomine Scholastici usi leguntur. Interim certum est, Canonem Gelasio esse antiquiorem; licet enim a summis pontificibus quaedam Canoni adjecta fuisse probetur, pauca tamen haec sunt; ipsum vero, ait Vigilius Papa in epistola ad Eucherium, ex apostolica traditione suscepimus. Ipsum etiam pene ad verbum eodem quo Gelasius vixit saeculo refert s. Ambrosius lib. IV. de sacramentis *).

Canon a Dionysio dicitur *Actio,* quia ab eo principalis sacrificii habetur actio.

Juvat interim amotis controversiis audire Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. de sacrificio Missae. Et cum sancta, inquit, sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium Ss[mum] sacrificium, ecclesia catholica, ut digne reverenterque offeretur atque perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum institutionibus. Igitur s. Synodus tres canonis assignat fontes. Et quidem primo Domini verbis ipsa confici mysteria, probatione non indiget. Quoad traditionem Apostolicam Innocentius III. in decretali: Cum Marthae de celebratione Missarum ad quaestionem, cur in canone Missae in consecratione calicis inter verba Jesu Christi relata a Matthaeo cap. 26. irrepserunt ea: Mysterium fidei, respondet: Haec verba aeque ac illa: elevatis in oculis coelum, item post verba: Hic est enim sanguis meus: *Novi* illud et *aeterni* — testamenti, ab Apostolis esse tradita. Multa inquit tam de verbis, quam de factis dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quae Apostoli vel suplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in actibus Apostolorum sic ait: Meminisse nos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit: Bea-

---

*) V. Bona lib. II. cap. II. §. 2.

tius est magis dare, quam accipere, haec nullus quatuor Evangelistarum descripsit. Concludit demum laudatus pontifex: credimus ad formam verborum sicut in Canone reperitur, et a Christo Apostoli, et ab ipsis eorum acceperint successores. Difficultatem interim, quam relata superius Gregorii Magni sententia de quodam Scholastico canonis autore parere videtur, auferri posse arbitratur Benedictus XIV. P. M. si dicatur Gregorium non de Canone quoad substantiam, sed de verbis tantum, quibus concinnatus est, loqui. Sunt alii, qui cum Maldonato sentiunt, Gregorium non Canonem integrum, sed unam tantum orationem Canonis Scholastico illi tribuere; quod inde colligunt, quia refert Gregorius inter ortas contra se murmurationes hanc fuisse unam, quod recitari jusserit Pater noster post Canonem; id autem a se factum scribit, quod indignum sibi videretur orationem a Scholastico compositam ante communionem recitari, orationem vero Dominicam non dici supra corpus Christi. Eo tempore oratio Dominica recitabatur post communionem. Ex his inferre tandem volunt cum Maldonato plures alii, Gregorium non de Canonis substantia, sed de quadam Canoni inserta a Scholastico illo oratione loqui.

Tertio tandem Conc. Trident. Canonem quoque Ss. Pontificum institutionibus constare tradit. Verba enim orationis, quae consecrationem consequuntur: *S. sacrificium, immaculatam hostiam,* communiter s. Leoni tribuuntur. Totius tamen orationis: *Supra quae propitio* autor dici nequit s. Leo, cum autor quaestionum veteris et novi testamenti quaestioque 109 apud Augustinum Tom. 4. illius orationis modo mentionem faciat. De s. Gregorio testantur in ejus vita liber pontificalis et Joannes Diaconus, eundem Gregorium orationi: *Hanc igitur* . . . . addidisse verba: *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in sortem electorum tuorum jubeas gregi numerari.* De eodem, uti refert Bona, narrat Aldelmus Episcopus lib. de virginitate cap. 25, Gregorium cum animadvertisset in secunda Canonis parte nullius sanctae Virginis fieri mentionem, nomina sanctorum Agathae, Luciae, Agnetis, Caeciliae et Anastasiae inseruisse; caeteroqui post Gregorium Magnum nullus Romanorum Pontificum quidquam vel canoni addidisse, vel ab eo subtraxisse, vel in eodem mutasse legitur. Ita cum aliis observat Bona l. cit.: Observandum nihilominus, inquit, neminem ex pontificibus post Gregorium Magnum quidpiam Canoni addidisse, vel immutasse.

Q. IV. *An tres paragraphi initium Canonis — Te igitur, Memento, et Communicantes unam ac plures conficiunt orationes?*

℞. Placet pluribus tres hosce paragraphos unam tantum conficere orationem, quia una imprimis terminantur conclusione: per eundem Dominum nostrum, et dein paragraphus Communicantes non ita intelligibilem completumque redderet sensum, nisi verbis *supplices rogamus* in Canonis initio connectatur. Sunt quidem, qui absque hoc nexu perfectum adinvenire sensum moliuntur; ast ambabus et industria non minima indigent.

Oratio *Communicantes* sub titulo infra vel intra actionem canoni videtur inserta, ut sacerdos ab ecclesia militante ad triumphantem quoque confugiat, atque sanctorum ope gratiam et auxilium pro fratribus in terra militantibus exoret. Merati Part. II, Tit. 11.

Ideo hic nullam fieri commemorationem patriarcharum et prophetarum, quia, licet per fidem et devotionem hocce sacrificium in spiritu cognoverunt ac spiritualiter participaverint, sacramentaliter tamen eo usi non sunt, quod longe post eorum tempora noscitur institutum.

Q. V. *Pro quibus, et quid in prima parte primae orationis: Te igitur petit sacerdos, et cur tres adhibet cruce signationes sub verbis: Haec dona etc.?*

℞. Sacerdos profunde sese inclinans statum humillime supplicantis assumit, rogaturus pro ecclesia s. catholica, pro summo pontifice, pro Episcopo, ac in quibusdam locis pro rege, pro omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus *).

Orat *primo* pro ecclesia, in qua, ut ait Cyprianus epistol. 76 ad Magnum, nonnisi concordes et unanimes habitant. Rogat igitur, ut eam Deus *pacificare,* ut credentium sit cor unum, et anima una, nec ulla inter eos discordiae jaceantur semina; *custodire,* contra molimina omnium, qui extra eam sunt hostium tam visibilium, quam invisibilium. *Adunare,* tam firmiter et indivulse fideles corpori ecclesiae ejusque capiti unire, ut separari valeant nunquam. Tandem *regere:* tales dare fidelibus altarium ministros, qui verbo et exemplo eosdem regant et regendo praeeant.

Hunc in finem imprimis supplicat sacerdos pro visibili totius ecclesiae capite. Haec quippe nota est unionis membrorum cum capite. Unde Cyprian. epist. 52 et 55 scribit, eum cum catholica communicare ecclesia, qui cum Romano consentit Pontifice, a cujus

---

*) Romsee l. c. pag. 220.

tanquam Petri Cathedra unitas exoritur sacerdotalis. Adeo vetus est occidentalis ecclesiae orandi consuetudo in Canone pro summo Pontifice, ut ejusdem nequeat assignari initium.

Isaacius Habertus ad partem 8[vam] Pontificalis Graecorum observatione 12[ma] arbitratur, tunc a Graecis Papam in sacris coepisse nominari mysteriis, cum reliquorum etiam Patriarcharum prima facta est mentio. Narrat vero Nicephorus lib. 16. cap. 17. Acacium. Constantinopolitanum Patriarcham V. saeculo primum ausum fuisse Felicis II. R. P. nomen e Dyptichis sacris expungere. Quod tamen postea a Graecis schismaticis restitutum coepit omitti, quando luctuosum illud Photii schisma orientalem ab occidentali separavit ecclesia. Quoties vero deinceps actum de unione utriusque ecclesiae, semper inter conditiones concordiae et haec erat, ut recitaretur in Canone nomen Papae.

Ecclesia obsecundans praecepto Apostoli, qui ad Hebraeos 13. jubet orare pro Episcopis, ipse enim inquit pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ecclesia inquam pariter commemorat Episcopum dioecesis, in qua sacerdos celebrat. In orientali ecclesia, uti refert Arcudius lib. 3. cap. 39, presbyter pro suo orat Episcopo, Episcopus pro suo Archiepiscopo seu Metropolita, et hic pro Patriarcha, et Patriarcha olim pro summo Pontifice *). In quibusdam locis et signanter quondam in Gallia et *Archidiocoesi Coloniensi* orabatur pro rege, iterum apostolico conformiter monito 1[ma] Tim. 2[do]; hujusque moris antiquissimi testes sunt, qui in primis saeculis pro religione christiana Apologias scripsere; Graeci pariter nomen Imperatoris apponunt.

Reverend. D. Episcopus Aquisgranensis in epistola pastorali data 9[na] Januarii 1803 addi mandavit „et consulibus reipublicae nostrae singulisque administrationibus ejus.“

> Mandatum per restitutam sedem ad almam Coloniam et mutato tempore per se abrogatum!

Orat porro sacerdos pro omnibus orthodoxis atque catholicae atque apostolicae fidei cultoribus **). Haec verba in antiquo ordine Romano et in vetusto quoddam Missali Vaticano desiderantur; ideoque Micrologus cap. 23. describens canonem eadem pariter omittit; imo capite 13 eadem verba superflua dixerat eo, quod in sequente: *Memento* vivorum omnium fiat commemoratio. Haeretici

---

*) Romsee Tom. IV. p 221. — **) Romsee l. c. p. 222.

pariter eadem redundare verba volunt, quia paulo ante sacerdos pro ecclesia, ad quam utique fideles spectant omnes, rogaverat.

Ast nec una nec altera evincit ratio verba ista superfluere. Non prima, quia in prima orationis parte omnes generaliter fideles commemorantur; in secunda vero parte: Memento, tantum offerentes, quorum et quondam legebantur nomina, quo in loco sacerdoti pariter liberum est, eos quos voluerit peculiariter nominare. Nec majoris ponderis est Protestantium ratio; cum enim sacerdos generatim pro ecclesia et dein pro principalioribus ejusdem membris et regentibus orasset, congruebat, ut orthodoxi, vel fideles etiam privati sive subditi nominarentur. Volunt quidam nec absque fundamento, per catholicae et apostolicae fidei cultores eos designari, qui sive verbo, sive scripto regnum ecclesiae ampliare, errores extirpare, et contra quoscunque hostes ecclesiam defendere satagunt. Haec enim vox: cultores id indigitare videtur eo magis, quod alias in eadem periodo idem bis diceretur, si per orthodoxos simul intelligerentur fidei cultores.

Quoad 2^{dum} quaest. membrum, cur nempe ad verba: haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata, tres adhibeantur cruce signationes? quoniam de cruce signationibus frequens sub Missa sermo occurrit, haec pauca notanda duximus: ac primo quidem magnum profecto inter cruce signationes consecrationem praecedentes, et illas, quae eandem consequuntur, statuendum est discrimen. Primae siquidem habent rationem verae benedictionis, aliae non item, cum major non benedicatur a minori. Duae tamen excipiendae veniunt post consecrationem, dum quippe sacerdos se ipsum cruce signat sub verbis: omni benedictione coelesti et gratia repleamur; et dein dum patena se signat dicens: da propitius pacem in diebus nostris.

2) Absque omni erroris periculo affirmari potest multiplices ab ecclesia cruce signationes sub Missa praescribi, ut eadem s. Mater obtemperans mandato Domini frequenter innovet dominicae memoriam passionis, ut haec ipsa menti sacerdotis praeprimis, et dein fidelis populi continuo obversetur. Unde notat Innocent. III. lib. 3. de mysteriis Missae cap. 2. Canonem initium sumere a litera T non fortuito, sed quia refert imaginem crucis *).

Hujus initii autor esse dicitur s. Clemens ex Rodulpho prop. 23.

---

*) Romsee Tom. IV. pag. 218.

3) Si tandem quaeratur, cur unam, duas, tres, vel quinque cruce signationes hic vel ibi praecipiat ecclesia, fatemur candide, tot tamque diversos his cruce signationibus ab autoribus sensus attribui mysticos, ut cui horum ex ratione subscribere oporteat, prorsus ignoremus. Placet quidem devota plurium praxis contemplantium, in cruce una essentiae divinae unitatem, in duplicata duas in Christo naturas; in triplicata Trinitatem personarum, in quintuplicata tandem quinque vulnera Christi.

Devotioni celebrantis succurrendo huc addimus: In ordine ad hostiam et calicem fieri signa crucis *Viginti quinque* et *quinquies quinque*, tum quia sicut hic numerus per se ductus semper in se ipsum reducitur, si dicatur in infinitum, ita eucharistia quamtumlibet multiplicetur semper est idem sacrificium, tum quia quinque sensus hoc sacramento perficiuntur. Binarius numerus congruit propter carnem et sanguinem Christi, ternarius quoque propter panem, vinum et aquam. (Gavanti Tom. 1, pag. 131.)

Ast ecclesiam cruce semel vel pluries formata isthaec intendisse mysteria, adserere non audemus.

Dum interim sacerdos dicit: haec dona, haec munera, non profert synonyma; donum enim proprie nonnisi a superiori fit inferiori; munus vero ab inferiori deferri potest superiori. Speciebus consecratis utrumque rite applicari potest *). Panis vero et vinum relative ad terminum consecrationis vocantur sacrificia illibata, sive oblatio munda. Malach. I. v. II.

Q. VI. *Pro quibus, et quid postulat sacerdos in secunda parte Memento Dom.?*

℟. Sacerdos formula Memento, quae in omnibus extat liturgiis, orare pergit pro iis viventibus, quibus sacrificii fructum applicare intendit, quorum nomina non vocaliter, sed mentaliter exprimit, vel potius ante Missam expressa hic summarie repetit ac pro iis orat post verba: „Memento Domine famulorum famularumque tuarum N. N. tum pariter orat pro iis, qui sacrificio intersunt: Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis . . . Quibus verbis declaratur, sacrificium Missae non esse tantum *latreuticum* et eucharisticum; sed et *propitiatorium, satisfactorium* et *impetratorium,* quae omnia docet Trid. synod. sess. 22. can. 3 de sacrificio Missae **). Continuat sacerdos: offerunt . . . *pro se suisque,* consanguineis, amicis caeteris-

---

*) Romsee Tom. IV. p. 219. — **) Romsee Tom. IV. p. 222. art. XXIII.

que. *Pro redemptione animarum suarum,* i. e. *pro remissione* culpae et poenae et gratia ad utramque obtinendam necessaria.

Pro spe salutis aeternae et *incolumitatis* suae corporalis, quae et ipsa, si saluti animae expediat, ad debita Deo deferenda obsequia et ad obeunda status munia recte petitur.

Tibique reddunt vota sua, aeterno Deo vivo et vero pia sua tibi deferunt desideria, vel etiam reddunt vota sua fideles, quando oblationibus suis ea, quae a Deo acceperunt, libera eidem reddunt voluntate *).

Q. VII. *Quis horum verborum sensus; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt?*

℟. Haec verba: pro quibus tibi offerimus, in antiquo ordine Romano et in aliquibus manuscriptis desunt Missalibus. Unde et ea omittit Micrologus, et superflua dicit cap. 13, quia inquit in antiquioribus et veracioribus sacramentariis offerentes non nisi in tertia persona reperiuntur **). Ast haec Micrologi assertio cum omnium pugnat usu ecclesiarum, neque audiendi illi sunt, qui ob particulam: *Vel* arbitratui sacerdotis relinquunt unum vel aliud dicere, altero omisso, ideo praecipue quod particula *vel* rubricata in aliquibus legatur Missalibus.

> Der heilige Hildebert erklärt diese Worte: pro quibus tibi offerimus so schön als kurz: *Pro quibus tibi offerimus,* id est, quorum charitate et rogatu ad hoc altare cum oblatione accedimus, *vel qui offerunt hoc sacrificium laudis,* id est, qui per nos tibi offerunt, qui inopiam et necessitatem carnis sustentant et ministris tuis dant temporalia, ut metant spiritualia *pro se suisque.* Binterim 4. B. III. Th. Denkw. p. 425.

Verum haec opinio universali utrumque legendi praxi adversatur. Nec approbari potest rubra particulae vel inscriptio, quia haec sacerdotem sollicitare posset, ad unum vel aliud ómittendum. Et si omitteretur: vel qui tibi offerunt, reliqua quae sequuntur, legitimo destituerentur sensu. Igitur particula vel non disjunctive, sed copulative sumenda alludit ad pristinum fidelium sub Missa offerendi morem; cumque hic mos non simul et semel, sed tractim in ecclesiis desierit pro non offerentibus dicebat sacerdos, pro quibus tibi offerimus, et pro offerentibus, et qui tibi offerunt. Licet vero nunc ubique oblationes panis et vini desierint, cum interim fideles per sacerdotem et cum sacerdote offerant, hinc vero sensu dicitur: *vel* i. e. *et* qui tibi offerunt.

---

*) Romsee l. c. p. 228. — **) Romsee l. c. p. 226.

Q. VIII. *Cur haec primae orationis pars: Memento Domine in quibusdam Missalibus inscribitur: Oratio super Diptycha?*

℟. Ritu ecclesiae antiquissimo offerentium nomina sub ipso enuntiabantur sacrificio. Innoc. I, qui sedit in cath. Petri anno 402. in epist., qua respondet Decentii Episcopi Eugubini consultationibus, decernit, non ante oblationes Deo commendatas esse offerentium recitanda nomina *). Prius ergo, inquit, oblationes sunt commendandae, ac tunc eorum nomina, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quae ante praemisimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus apperiamus. . . . Conc. Emeritense sub Vitaliano Papa Can. 19 statuit, ut in singulis ecclesiis, in quibus presbyter jussus fuerit praeesse, singulis diebus dominicis sacrificium Deo procuret offerre, et eorum nomina, a quibus eas ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his s. ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missae, quodsi ab hac decesserint luce, nomina eorum cum Defunctis fidelibus recitentur in suo ordine.

Haec vero nomina recitabantur e Diptychis, de quibus agit C. Bona lib. 2. cap. 12. §. 1. unde sequentia compendiose excipimus. Itaque Diptychorum nomen a *Ptychis*, i. e. Plicis derivatur. Erant igitur Diptycha tabulae bis plicatae. Erant et Triptycha et Pentaptycha, sive tabulae triplices et quintuplices. — Diptychorum vero, de quibus noster sermo est, tria praecipua extabant genera, quibus nomina in singulis ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum praesertim, qui illam ecclesiam rexerant, dummodo probitate et sanctis praefulsissent moribus.

Secundum vivorum erat, in quibus eorum erant descripta nomina, qui adhuc viventes dignitate aliqua vel beneficiis illi ecclesiae collatis conspicui, vel alio titulo de ecclesia bene meriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchae, et proprius Episcopus ac reliqui proprio clero adscripti recensebantur. Postea Imperator, Principes, Magistratus et populus fidelis. Tertium erant mortuorum, qui in catholica communione decesserant. Quod attinet ad primum genus pro solis Episcopis cum opinione sanctitatis vita functis, ea inscriptio speciem quandam Canonizationis, seu Beatificationis praeferebat. Ideoque ecclesia semper cavit, ne ss. Episcoporum nomina a quorundam hominum vel calumniis vel erroribus e sacris Diptychis expungerentur.

---

*) Romsee l. c. p. 225.

Non Episcopi tantum, sed oecumenica etiam Diptychis insombebantur Concilia. In Synodo Constantinopolitano sub Menna actione V saepius a fidelibus conclamatum est, ut Diptycha portarentur ad ambonem, quatuor Synodos Diptychis, Leonem Episcopum Romanum Diptychis, Diptycha ad ambonem.

Erant et aliae tabulae, in quibus omnium, qui ad baptismum accedant, nomina describi solebant. Diptycha vero haec ab illis, quibus offerentium aliorumque de ecclesia bene meritorum nomina in Canone recitabantur, distinguere oportet. Horum igitur nomina in Missis privatis sacerdos et in solemnibus Diaconus vel Subdiaconus recitabant. Uti scribit Martene de A. E. R. cap. 4. art. 8. N. 14. Nomina recensebat ipse sacerdos maxime in Missis privatis, in quibus non ministrabat Diaconus aut Subdiaconus.

Ritu Romano vivorum ac praecipue s. Pontificis atque Episcopi nomina initio Canonis pronuntiabantur. Et hac disciplina usque hodie utimur in Canonis prima oratione: Te igitur. Deinde ad: Memento Domine . . . . Vivorum, qui vel eximii offerentes, vel caeteroqui de ecclesia bene meriti essent, nomina in Diptycha illata recitabantur. Ideoque ad litteras NN. etiam sacerdos paulisper orat pro iis, quos mentaliter Deo commendare decrevit.

Ex his nunc patescit, cur Memento in quibusdam Missalibus inscribatur: Oratio super Diptycha. Porro post verba: Communicantes et memoriam venerantes catalogus pronuntiabatur, in quem relata erant sanctorum nomina, prout etiam nunc ibidem quaedam sanctorum nomina recensentur. Denique nomina Defunctorum post consecrationem enuntiabantur, de quibus suo ordine agetur. Vide etiam Ducange verbo: Diptycha, Mabillon. lib. 3 de liturgia Gallicana N. XI et XII, et Pouget Tom. II. Institut. catholic. pag. 845.

Ritus Diptychorum ad saeculum XII. usque perduravit, uti colligitur e Micrologo cap. 13. quo saeculo exolevit. Tum haec quae modo durat, introducta est disciplina, ut sacerdos non vocali, sed mentali oratione eos Deo commendet, quibus sacrificii fructus vult applicari. Denique Graeci nomina recitant, cum scindunt panes, et pro singulis tam vivis, quam defunctis particulam seponunt et offerunt, sicque eosdem sacrificii reddunt participes.

Q. IX. *Verba communicantes et memoriam venerantes, quem sensum reddunt?*

℞. Ly: Communicantes, prout notatum est supra, se refert ad verbum rogamus initio Canonis; obvius igitur horum sese prodit sensus. Communicantes i. e. cumque nos adhuc in terris militantes

fideles tui cum triumphantibus in coelo sanctis tuis communionem habeamus, et memoriam venerantes eorumque merita commemoremus, eorundem apud te clementissime pater! preces et patrocinia imploremus; tu eorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus tribulationibus, angustiis, periculis atque tentationibus protectionis tuae muniamur auxilio per eundem Christum Dominum nostrum, Amen*).

Recensentur vero sancti; *primo:* Gloriosa coeli regina, quae per miraculosam spiritus sancti operationem de sua substantia victimam sacrificii mundo dedit, ideoque genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi titulo honoratur. *Secundo* sequuntur duodecim Apostoli, qui institutionis ss. Sacrificii testes fuere simul et participes. His adnumeratur s. Paulus, quem Romana a Petro nunquam separat ecclesia, quique licet institutioni sacrificii praesens non fuerit, haec tamen, quae de eodem tradidit, se a Domino accepisse testatur prima ad Corinth. *Tertio* duodecim Martyrum recolitur memoria, qui imitati sunt Christum in morte sua, ideoque et digne habiti, qui in sacrificio memoriali passionis et mortis Christi locum invenirent. Et quia Martyrum tantum et non Confessorum memoria in Canone celebratur, colligunt insuper docti Canonem saltem saeculo quarto antiquiorem; tribus siquidem primis ecclesiae saeculis publico nondum cultu honorabantur Confessores, utpote quem s. Martino Turonensi primo delatum fuisse saeculo quarto, historica produnt monumenta**).

Quoniam sancti, de quibus Missa celebratur, vel quorum in Missa specialis fit commemoratio debita est in canone minima capitis inclinatio, hinc proderit sanctos in eodem canone occurrentes eorumque dies festivos hic notasse. Ac primo quidem ss. Apostolorum festa notiora sunt, quam ut notamine indigeant. Quia interim Jacobus nomen duobus Apostolis proprium, reflectet sacerdos, eum qui primus nominatur, esse Jacobum Majorem, cujus festum 25. Julii agitur, alterius vero Minoris prima Maji. 2) Lini 23. Sept. 3) Cleti 26. April. 4) Clementis 23. Nov. 5) Xysti 6. Aug. 6) Cornelii et Cypriani 16. Sept. 7) Laurentii 10. Aug. 8) Chrysologi 24. Nov. 9) Joannis et Pauli 26. Juni. 10) Cosmas et Damianus locum in Breviario non habent; notat enim Bona lib. 2. c. 12. §. 3, quod Martyres praelaudati omnes vel Romae passi sint, vel in locis Romano patriarchatui immediate subjectis, cumque Cosmas et Damianus, quorum memoria in officio celebratur 27. Sept., Martyres sint

---

*) Romsee l. c. p. 130 et 131. — **) Romsee l. c. p. 282.

orientales, qui in Arabia passi sunt, confundi nequeant cum illis, qui in canone memorantur.

Tria siquidem eorundem nomina pariter extitere: Unum Martyrum in Arabia, alterum confessoris in Asia, et tertium Martyrum, qui Romae martyrium subiere. Hos ultimos censet esse illos, qui in canone nominantur. Cum C. Bona sentiunt le Brun Tom. I. §. 443, Benedictus XIV. de sacrif. Missae sect. 1. §. 235 aliique. Et ideo 27. Sept. non omittenda est in canone inclinatio capitis sub expressis nominibus Cosmae e. Damiani *).

Observat Hugo de s. Victore lib. 2. off. cap. 30 et Th. Waldensis tom. 3, tit. 4, c. 37 praecessisse figuram memoriae hujus Sanctorum, quam facimus in rationali Aaron, ubi insculpta erant duodecim patriarcharum nomina, qua certare monemur, ut ad mensam Domini accedentes sanctorum patrum nostrorum vitae sanctitatem ac puritatem imitemur, quod etiam notavit Beda lib. 3 de tabernaculo cap. 11.

Q. X. *Quae postulat sacerdos in secunda canonis oratione: hanc igitur oblationem?*

℞. Postulat primo, ut Deus nostris quidem culpis offensus, meritis tamen atque satisfactionibus Christi jamjam adfuturi placatus oblationem pro nobis acceptare dignetur. 2) Ut dies nostros in sua pace disponat. 3) Ut ab aeterna nos liberet damnatione, et 4) ut in electorum suorum grege nos jubeat numerari **).

In pervigiliis Paschae et Pentecostes ac per totam harum solemnitatum Octavam fit specialis oratio pro renatis e fonte baptismali, quae in omnibus antiquis extat codicibus. Praefatis siquidem diebus catechumeni solemniter baptizabantur et baptizati albis amicti, aderant Missae sacrificio et s. suscipiebant eucharistiam.

Q. XI. *Quo sensu sacerdos petit se et fideles ab aeterna damnatione liberari, et in electorum grege numerari?*

℞. Estius in quartum sententiarum Dist. 70. §. 22 respondit: Ejusmodi orationibus non petimus immutari aeternum Dei propositum, sed causam pro effectu ponimus orantes, ut Deus nos vel alios ad se convertat et in s. conversatione confirmet, atque ad aeternam felicitatem perducat, qui sunt effectus praedestinationis ***).

Cum enim salvetur nemo adultus sine bonis ex gratia operibus, et damnetur nemo nisi propter mala opera, haec vitandi et

*) Romsee l. c. p. 233 et 237. — **) Romsee l. c. p. 238—239. — ***) Romsee l. c. p. 240.

illa exercendi gratiam postulat sacerdos pro se et tota familia seu ecclesia catholica.

Q. XII. *Cur sacerdos durante hac oratione; Hanc igitur . . . manus super oblata extensas tenet?*

℟. Pluribus autoribus placet haec ratio, ut nempe sacerdos imitetur ritum antiquae legis Lev. 1. 3. 4. quo sacerdos manus suas ponebat super victimam, ut illam pro se, vel pro populo substitueret; in eam quasi deportaret iniquitates suas vel alienas, mortemque illius in suorum offerret vel populi peccatorum remissionem*).

Similiter novae legis sacerdos manibus tegens oblata jamjam convertenda in corpus et sanguinem Christi, se ssmae huic victimae sociat, — eam pro se et populo substituit, atque ad placandam divinam justitiam et ad obtinenda quaecunque dona salutaria offert Bossuet in tract. de Orationibus Missae p. 36. et Pouget institut cathol. tom. 2. p. 858.

In hac oratione deprecatur Deus, ut dignetur vota electorum suorum suscipere, atque ideo ei praesentatur per pronomen demonstrativum dicendo: *Hanc igitur* — quod postea additum est a s. Gregorio: *diesque* etc. ostendit, nullum securum esse posse in praesenti saeculo de sua stabilitate, quamvis perfectus esse videatur: ac ideo necesse fore, ut semper deprecetur in pace disponi dies suos in praesenti saeculo, et in futuro eripi ab aeterna damnatione et in electorum grege numerari. Amalar. d. off. Missae cap. 27.

Quod autem in fine orationis subjungitur per Christum D. N. eo respectu fit, quod Dominus N. Jesus C. mediator Dei et hominum, et impossibile est aeterna Dei beneficia per aliam viam decurrere ad nos, quam per ipsum **).

Q. XIII. *Quem sensum referunt verba tertiae orationis: Quam oblationem?*

Quam oblationem hoc sacerdos non ex seipso dicit, quod ipse creator corporis et sanguinis esse possit, quia si hoc possit, quod absurdum est, creator creatoris fieret, sed obsecrans per filium patrem, per quem ad eum accessum habemus. Rabanus de Sacrament. Euch. cap. 32.

℟. Varias inter hujus orationis expositiones praeplacet illa, quam canone: Utrum de consecrat. distinct. 2. Gratianus tribuit Augustino, sed quae desumpta est e Paschasii libro de corpore et sanguine Christi cap. 12: Rogamus hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamus, *adscriptam,* per quam nos omnes coelo consci-

---

*) Romsee l. c. p. 230. — **) Rupert. l. c. lib. I. cap. 31.

bamur; *ratam*, per quam in visceribus Christi censeamur; *rationabilem*, per quam a bestiali sensu exuamur, *acceptabilemque* facere dignemur, quatenus et nos, per quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico filio simus *).

Ecce quid fides instituit, ecce quid Christus indulsit, ut nobis sit corpus et sanguis, quatenus per hoc nos in corpus Christi quotidie transferamur. Prius igitur quam corpus in consecratione fiat, oblatio sacerdotis est, sicut ipse confitetur vel cunctae familiae offerentis: sed in verbo et in virtute spiritus sancti nova fit creatura in corpore creatoris ad nostrae reparationis salutem. Rabanus l. c.

Quinque autem cruces subsequentes super oblata explicat Innoc. III de Christi venditione. — In tribus primis crucibus quidem tres emptores, *sacerdotes* nempe *scribas* et *Pharisaeos*, qui Christum ceu proscriptum, in duabus residuis crucibus vero *venditorem* et *venditum*.

Sequitur: *ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu Christi,* in quae verba div. Thomas part. 3. Qu. 83. art. 4. ac 7mum: Non tamen, inquit, videtur sacerdos ibi orare, ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa. Unde signanter dicit, ut nobis corpus et sanguis fiat. Quo sensu etiam dictum est pastoribus ab angelo: Natus est vobis salvator, i. e. ad vestram salutem.

Justinellus in modo devote celebrandi Missam, ait: Sacerdos jam consecraturus hostiam, priusquam consecrationis verba pronuntiet, mentaliter sic renovabit intentionem: Cum illa, Domine Jesu Christe, humilitate, charitate et intentione quam habuisti et sancta catholica habet etiamnum ecclesia, eadem in hac actione, tua omnipotentia pronuntiabo verba: *Hoc est etc.* Eodem affectu consecrabit calicem.

Post multas oblationes verbis hactenus expressas sequitur tandem realis oblatio, qua idem Christus incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit. Quodsi hactenus necessaria fuit puritas, humilitas et reverentia; multo major nunc requiritur, cum ad tremendum mysterium non sine timore et horrore perficiendum appropinquas. Humilia te igitur quantum potes, et recordare quid acciderit Ozae: Tum ea Christi verba tibi dici existima: *Ecce appropinquat hora, et filius hominis tradetur in manus peccatoris.* Considera te hic personam Christi gerere, totumque hominem internum et externum ad ejus majestatem et sanctitatem compone et cura, nequid sit in te dissonum a persona, quam sustines.

---

*) Romsee l. c. p. 243, 244, 245.

Haec verba *qui pridie etc.* proferuntur historice et recitative, ut inspicias et facias secundum exemplar, quod tibi a Christo Domino monstratum est. Cum dicis *Accepit panem in sanctas etc.* considerabis, quam purae esse debeant manus, quae tantum pignus attrectant, et hinc disces hoc opus esse divinae omnipotentiae. Cum oculos in coelum elevas, illuc transferes universas animae vires et cogitationes. Cum dicis *gratias agens*, gratias item ages ob hujus sanctissimi Sacramenti institutionem. Verba consecrationis prolaturus, considera te ea formaliter et enuntiative proferre in persona Christi. Ipsis autem prolatis penetra oculis fidei id, quod latet sub speciebus sacramentalibus, tum genua flectens aspice iisdem oculis fidei exercitum Angelorum te circumdantem, et cum illis adeo profunda reverentia Christum adora, ut cor tuum usque ad abyssum humilies. Ad elevationem Christum in cruce exaltatum contemplare, et ora, ut omnia trahat ad se ipsum. Varios etiam virtutum actus eosque intensissimos elicies nunc hos, nunc illos, fidei, spei, amoris, adorationis, humilitatis et similium mente dicendo: *Jesu, fili Dei, miserere mei. Dominus meus et Deus meus. Amo te Deus meus et adoro toto corde et affectu.* Poteris etiam renovare intentionem pro qua celebras et sacrum offerre secundum quatuor fines (latreuticon nimirum, eucharisticon, propitiatorium et satisfactorium.) Specialiter vero cum calicem elevas, memor eris cum sensu doloris et lacrymis, sanguinem Christi pro te effusum fuisse et a te saepe contemptum, ipsumque adorabis veluti in compensationem praeteritorum contemptuum. S. Petrus Martyr in calicis elevatione gratiam petebat martyrii et obtinuit; tu adversitatum incruentarum postulabis.

Ad illa verba: *Haec quotiescunque feceritis* passionis et mortis Christi recordaberis, quam consecratio panis a consecratione vini sejuncta repraesentat, et quia peracta consecratione statim adsunt sancti Angeli et perseverant venerabundi, donec sacrificium sit consummatum, tu horum reverentiam aemulare. Nam si coelum est, ubi est Deus, coelum sine dubio efficitur sacrum altare, in quo tantum peragis mysterium, tuque admirabili summi boni participatione quodammodo deificaris. Quoties vero hostiam tangis aut calicem, Christum complectere et cordi tuo adstringere omni possibili amoris affectu coneris.

Post consecrationem sequitur oratio *unde et memores,* qua Christi passionem, resurrectionem et ascensionem commemoras, quibus mysteriis excitatur fides, spes roboratur. Sperare enim debes per merita tam beatae passionis, e qua omnis beatitudo nostra promanat, te aliquando participem futurum resurrectionis et ascensionis in coelum, ac gloriae sempiternae. Nec nudam solummodo adfers mysteriorum commemorationem,

sed simul cum hostia pura, sancta et immaculata, corpore scilicet et sanguine Christi; licet enim propter species sacramentales panem adhuc nomines, non tamen panem, qui prius erat, sed *panem vitae aeternae et calicem salutis perpetuae.* Elicies actus gaudii propter Christi glorificationem, et cum dicis: *Supra quae propitio ac sereno vultu* offeres Deo omnia antiqua sacrificia.

Cum inclinatus Deum rogas, ut sacrificium perferri jubeat in sublime altare tuum per manus sancti Angeli sui, ad summam interiorem humilitatem te excitabis et ipsos beatissimos spiritus orabis ac nominatim s. Michaelem, ut opem tibi ferant. Cum dicis: Omni benedictione et gratia repleamur, ingens desiderium elicies consequendi ex meritis Christi omnia possibilia dona, quibus maxime possis Deum glorificare. In Memento mortuorum orabis primo pro consanguineis, tum pro iis, qui tibi causa fuerunt alicujus crucis seu molestiae, deinde pro benefactoribus, postea pro aliquo recenter mortuo aut specialiter commendato; demum pro iis, qui neminem habent, cujus suffragiis nominatim juventur.

In illa oratione: *Nobis quoque* agnosce te peccatorem esse circumdatum infirmitate et time; licet enim nihil tibi conscius sis, non tamen in hoc justificatus es. Spem igitur erige ob multitudinem miserationum Dei, et magno animi ardore partem aliquam et societatem cum sanctis tibi donari humillime pete atque in eorum consortium admitti, optando eximiam sanctitatem pro majori Dei gloria in Christo Jesu Domino nostro. *Per quem,* ais consequenter, *haec omnia Domine semper bona* panem scilicet et vinum *creas,* quia per ipsum omnia facta sunt: *Sanctificas,* cum in prima oblatione sacrificio sunt destinata: *Vivificas,* mediante transsubstantiatione: *Benedicis,* quia per sacramenta copiosam acquirimus gratiam et praestas nobis in cibum et redemptionem. Porro haec verba valde ferventer pronuntiabis itemque sequentia; quia per Christum, cum Christo et in Christo est *Deo Patri omnipotenti omnis honor et gloria.* Hic autem gratulari poteris totae sanctissimae Trinitati gloriam quam habet per Christum, et dum tenes hostiam super calicem, offeres ss. Eucharistiam, quam sub utraque specie in manu habes, in laudem et gloriam Dei pro omnibus beneficiis, in expiationem culparum et pro omnium bonorum impetratione. — C. Bona Thes. ascet. de sacrif. Miss. pag. 124—128.

§. XXVI.

De Canone Missae a Consecratione usque ad orationem Dominicam.

Q. I. *Quaenam statuere pergit rubrica a consecratione usque ad orationem Dominicam?*

℟. Praestita cruci inclinatione profunda sacerdos extergens pollicem et indicem utriusque manus ad extremitates corporalis, a dextris et a sinistris, dicit: *Qui pridie quam pateretur.*

In dem gedruckten Kölnischen Missal v. J. 1514 ist unmittelbar vor den Worten: Qui pridie, die Rubrik: Hic purget digitos. Dies beobachten wir noch, indem wir die beiden Finger auf dem Corporal reinigen. — Binterim Denkw. 4. B. III. Th. S. 431.

Sacerdos praefert verba consecrationis, non ut a Christo in occulta benedictione dicta sed publice prolata. Unde cum non habeant vim nisi ex Christi prolatione, videtur quod etiam Christus manifeste ea proferens, consecraverit. — S. Thom. P. 3, O. 78, art. 1.

Tum indice sinistro premit extremitatem hostiae versus cornu Evangelii, et ex opposito elevatam accipit inter indicem et pollicem dextrum, eamque mox etiam apprehendit indice et pollice sinistro, tenet eam prope partem inferiorem, reclinatis paulisper pollicibus et indicibus, sed aliis digitis extensis et junctis, quae junctio se extendat a digitorum extremitate usque ad pulsum; quem modum tenendi hostiam servabit sub consecratione, genuflectione et specierum elevatione *).

Qui pridie tribuitur Alexandro usque ad consecrationis verba (vide Walafrid. cap. 22) sed ex Alcuino Apostolis iisque ad *unde Memores,* cum habeantur apud Clementem l. c. in liturgia s. Petri. De Plove in Exp. Missae, et Gavanti opinantur Christum benedixisse manu formando crucem, quia nondum data erat cruci *deifica virtus.*

„Licet totum canonem debeant dicere cum *diligentia* et *maturitate;* ab illo loco: *Qui pridie,* usque: *Supra quae propitio* cum majori devotione et sollicitudine praecipimus observari, quia omnia illa verba vere sunt in substantiam sacramenti.“ Ita synodus Valentiae in Hispania anno 1258. — Tom. VII, Concil. Harduin. coll. 1980.

Sacerdotibus super hoc capite monita proponi nequeunt iis aptiora, quae notantur in Gratianopolitano Missali anno 1522

---

*) Romsee T. I. p. 123 et seq. et Tomo IV. p. 248, 249.

contenta, cujus en verba ipsa: „Neque sunt (verba Sacramentalia) praecipiti ore, aut confuse pronuntianda, sed summa cum attentione, reverentia, veneratione integre distincteque proferenda, quoniam illa sacerdos quasi Christi ore eloquitur, et illa loquens Christi fungitur officio, debentque proferri tractim uno spiritu, ne se immisceat alia cogitatio, nec dividenda est forma illa, cujus tota virtus dependet ab ultimo verbo, quod in Christi persona dicitur.“

Sic igitur tenens hostiam ab altari paululum elevatam stansque erectus dicit: *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* elevansque oculos ad crucem inquit: *et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem,* oculosque iterum demittens caput profunde cruci inclinat, dicens: *tibi gratias agens,* et tenens hostiam inter pollicem et indicem sinistrae manus; hancque deponens ad medium anterioris partis corporalis dextra extensa producit signum crucis super hostiam dicens: *bene † dixit,* quo signo crucis formato tenens hostiam uti prius ambabus manibus pergit: *fregit deditque discipulis suis dicens: accipite et manducate ex hoc omnes.* Si vas adsit cum aliis hostiis consecrandis, antequam celebrans digitos abstergit, magnamque accipiat hostiam, discooperit manu dextra calicem seu vas aliarum hostiarum, sinistra tenens nodum ejusdem calicis seu vasis, illudque collocat ad latus calicis versus cornu Epistolae. Pronuntiatis itaque verbis: *manducate ex hoc omnes* pedes paulisper ab altaris removet antipendio, illisque juxta se positis utrumque cubitum ponit super altare, manibus junctis manentibus et a corporali paulisper remotis ac capite inclinato profert *secrete, distincte, reverenter, continuate et absque ulla mora inter verba praecedentia et sequentia:*

(In consecrationis actu ipso consideratione dignum est praeter ea, quae ad ejus essentiam requirantur. Juxta Innoc. III. lib. IV, cap. 16 designat consecratio ultimam Coenam Domini. Duae benedictiones hostiae et calicis ad verbum bene † dixit passionem Christi in ipsa Coena praesignatam. — S. Thomas. Ps. 3, Q. 86, a. 6. —

Vel quod pro duobus populis sit passurus, (Amalar. lib. 3, c. 24) vel quia redimenda sunt anima et corpus nostrum per passionem Christi. (Alex. de Ales. 4 p. Qu. 33.)

Hoc est enim corpus meum.

Quae verba simul super omnes profert hostias, si plures sint consecrandae.

Verbum *Enim* additum est a s. Petro (ex s. Thoma p. 1, Qu. 78, art. 1 ad 5).

Et haec vox juxta *rubricas praeceptivas* non omitti debet *sub*

peccato mortali. Biel Lect. 38 notat: Non vacare mysterio, quod sint quinque verba hujus consecrationis; totidem enim fuit consummata incarnatio: *Fiat mihi secundum verbum tuum!* Publicano quidem facta culparum remissio: *Deus propitius mihi esto peccatori.* Latroni itidem coeli promissio: *Hodie mecum eris in paradiso.* (Gavant. vide Synodum Dampier. in Malabria. Tom. VI, Concil. Mansi.

Consecrationis verbis prolatis celebrans erigit se amotis ab altare cubitis, tenensque hostiam inter pollices et indices super corporale, reliquis manuum digitis simul junctis et extensis uti supra flectit reverenter genu dextro usque ad terram, et adorat ss^mum^ Sacramentum, qua adoratione finita modeste se erigens, hostiam linea recta elevat intra corporale, aliquantulum ultra capitis sui altitudinem oculis in hostiam semper intentis, populoque eandem reverenter adorandam ostendit.

In elevatione ss. specierum porro invenimus institutionem ecclesiae *Coloniensis,* quae signum nobis sit intimae devotionis avorum. Im Anfange des zwölften Jahrhunderts entstand der Gebrauch, ein Zeichen mit der Glocke bei der Elevation zu geben, damit die Gläubigen, wo sie immer sein möchten, das h. Sakrament anbeten könnten. Auf gleiche Weise gab man in der Kirche mit einer kleinen Schelle das Zeichen. Man hat Grund zu glauben, daß dieser heilsame Gebrauch von dem Concilium zu Cöln im J. 1198 zuerst ausgegangen, und sich bald in der ganzen Kirche verbreitet habe. Binterim Denkw. 4. B. 3. Th. S. 437.

Hostiae et calicis elevatio designat elevationem Christi in cruce nempe antiquitam elevationem. (Gavant. P. II, tit. 16). Elevatio vero oculorum a sacerdote fieri solita oritur ex quadam analogia juxta Christi exemplum. — Lucae IX, 16. — Ut in humili fide et in spiritu efficacis contritionis nos elevemus ad tantam, altissimam, inenarrabilem tantae miserationis justitiam, quae postulavit Dei hominis sanguinem, unde manare deberet in terram peccatricem. Ut hoc mysterium aspectui, sensibus et cordi eo profundius infigatur, meretur opus de sacrificiis autore de Maistre perscrutari; opus, quod mihi videtur illius Cantus olerinus, et quod merito inter libros sacerdotum nunquam deesse debeat.

Tum eam lente demittit, et prope corporale sinistram ab ea removens et ad corporale deponens, dextra eandem reverenter reponit super corporale in eundem locum, unde eam levavit. Reponit vero indice et pollice dextrae reliquis digitis extensis, qui semper extenduntur, dum indice et pollice tenetur hostia. Dein manum hinc inde super corporale deponit ita utramque, ut deinceps non manuum palmae, sed partes earum laterales digitis parvis correspondentes

super corporale ponantur, quam manuum depositionem intra corporale observabit semper a consecratione usque ad communionem inclusive. Nec etiam deinceps pollices et indices utriusque manus disjunget, nisi quando hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad actualem digitorum ablutionem post communionem. Reposita igitur hostia super corporale, manibusque hinc inde super illud depositis, genu uno flexus denuo hostiam veneratur, et iterum surgit; ac si tunc adsit vas aliarum hostiarum consecratarum illud ante consecrationem calicis palla cooperit, et ad eundem intra corporale locum reponit, ubi erat ante consecrationem.

Quod attinet ad hostias, *hostias pro sacrificio,* Editori tempore Ferdinandi von Spiegel innotuit, quod hostiae minori pretio, quam solito venderentur, quae crederentur ex *amilo pomorum subterraneorum* (vulgo Erdäpfel) fabricatas esse. Cum de *valore Sacramenti* ageretur, indicavi hoc generali Vicariatui; caeriteria, quae per chemiam nobis praesto essent ad falsas a veris dignoscendas, enumeravi, petivi insuper, ut in honorem tanti Sacramenti praeciperetur Decanis, ne aliter quam a praevie juratis fabricatoribus pro se suisque hostias emerent ecclesiis. De Mandato hoc rei congruo autem adhucdum nil constitit. — .

Tum medio annulari et parvis digitis manus sinistrae supra pedem calicis positis, accipit pallam de calice inter indicem et medium digitum dextrae, eamque deponit versus cornu Epistolae ad altare ita, ut una ejusdem extremitas quiescat, super extremitate veli ibidem pariter depositi, tum perfricando paulisper indices et pollices supra calicem eosdem extergit dicens interim: *simili modo postquam coenatum est,* et inter indicem et medium digitos utriusque manus capit nodum calicis ita, ut dextra sit super sinistram, et aliquantulum a mensa altaris eundem calicem elevans dicit: *Accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas,* tunc reponit calicem ad medium corporalis, et dicens: *item tibi gratias agens* caput profunde inclinat versus hostiam consecratam, et non versus crucem; quod usque ad communionem semper fiet, atque inter indicem et medium digitos sinistrae manus tenens nodum calicis dextra format signum crucis supra calicem dicens: *bene † dixit;* dumque prosequitur: *deditque discipulis suis, dicens: accipite,* dextra nodum calicis apprehendit et sinistra pedem ita, ut pollex et index juncti sint supra, tres vero reliqui digiti infra pedem calicis, sicque tenens calicem ad se parum inclinatum, cubitis iterum super altare positis et capite inclinato post haec verba:

et bibite ex eo omnes, profert denuo *secrete, distincte, reverenter, continuate*, *et absque ulla* mora verba consecrationis sanguinis:

Neque ore hostiam contingere decet, neque caput movere ad singula consecrationis verba, neque eam vel calicem afflare et verba ista magno conatu et aspiratione proferre, sed unico contextu et nulla interposita mora inter singula verba, eaque ita secreto proferre, ut a nemine circumstantium sed a se ipso tantum audiantur. Vinitoris p. 181 l. c.

Caveat sacerdos, ne unquam elevando ferat hostiam vel calicem extra limites corporalis, nec retro post se, neve directe supra caput suum, aut capite inter bracchia protuso, sed oculos semper habeat intentos tam in hostiam quam calicem. (Gavant. l. c.)

Hic est enim Calix sanguinis mei. . . .

Prolatis verbis consecrationis calicem modeste reponit super altare, tum erectus manu utraque hinc inde super corporale prope antependium deposita dicit: *Haec quotiescunque feceritis* . . . . et postea genu uno flexus s. sanguinem adorat, et dein modeste se erigit, et calicem ambabus manibus tenens, uti sub ipsa consecratione, eundem linea recta elevat sic, ut ejusdem cuppa excedat capitis sui altitudinem, oculis semper in eum intentis, et ita erectum calicem ostendit populo adorandum. Tum ipsum reverenter reponit super corporale in locum pristinum, et eundem, antequam flectat, cooperit palla, inter clausum indicem et pollicem et digito medio dextrae accepta, et interim pro calicis firmiori consistentia tres ultimos digitos sinistrae ponit supra pedem. Porro utramque manum super altare deponit:

(Sicut in superioribus Christi corpus et sanguis in Sacramento panis et vini atque in memoria mea, ita in praesenti ascendit crucem. (Amalar. l. c. cap. 25).

NB. Omissione in manuscripto hic facta addere debemus: Manum ita deponit, ut digitus parvus solus altare tangat et quidem infra corporale duobus digitis super parvum junctis quiescentibus, jacentibus erectis indice et pollice simul junctis, quod si genuflectatur semper observandum.

Ratio, cur index et pollex junguntur post consecrationem, et *juncti* semper tenentur, haec est secundum s. Thomam Aquinensem, quia cum his digitis verum corpus Christi tetigerit, ut si quae particula digitis adhaeserit, non dispergatur, quod pertinet ad Sacramenti reverentiam. Resp. ad 5 arg. Q. 83, Part. III, art. 3.)

Et uno genu flexus rursus sacramentum adorat. Sacramento adorato ac erecto iterum corpore, stans ante altare extensis

manibus tunc tantum et non ante, incipiens quartam Canonis orationem dicit secreto: *Unde et memores. . . .* Cumque dicit *de tuis donis ac datis* jungit manus, ita tamen, ut pollices et indices manuum ab invicem non separentur, et mox manum sinistram ponit super corporale, et dextra signat ter super hostiam et calicem simul dicens: *Hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam;* dein semel signat super hostiam tantum et semel super calicem tantum dicens: *panem † sanctum vitaę aeternae et calicem † salutis perpetuae.*

Quinque hae cruces in memoriam revocent quinque vulnera Christi. l. c.

Et prosequitur extensis manibus: *supra quae propitio,* et antequam dicit: *supplices te rogamus . . . .* junctas manus super altare deponit et corpore profundo inclinatus incipit: *supplices te rogamus . . . .* perveniens ad haec verba: *ex hac altaris participatione,* manibus hinc inde ad corporale depositis osculatur altare, et erigens se jungit manus ante pectus dicitque: *Sacrosanctum filii tui,* et sinistram super corporale deponit, ac dextra signans semel super hostiam tantum, et semel super calicem tantum dicit: *Cor † pus et san † guinem sumpserimus;* tum manus sinistra partem lateralem correspondentem digito parvo ponit ante pectus ita, ut palma ejus coelum respiciat, et dextra se ipsum cruce signat, dicitque ad frontem, tangens illam tribus ultimis digitis: *omni benedictione,* ad pectus: *coelesti,* ad humerum sinistrum: *et gratia,* ad humerum dextrum: *repleamur,* et addens: *per eundem . . . .* jungit manus sine capitis inclinatione; tum iterum extendit manus, dicit secreto: *Memento etiam Domine . . . .* incipitque tam *lente* jungere manus, ut earum compleatur junctio sub verbis: *in somno pacis.* Et manibus usque ad faciem elevatis, capite paululum inclinato, oculisque ad s. Sacramentum intentis, facit mentaliter illorum, quorum voluerit fidelium Defunctorum commemorationem, uti dictum est de commemoratione vivorum.

In faciendis vivificae crucis consignationibus praescriptam a rituali libro formam exactissime, perfectissimeque observent, ne circulos aut quaevis alia figmenta potius, quam sacrum crucis signum formare videantur. Ac tum cum omni attentione ac reverentia in rem signatam, passionem nimirum, mortem ac merita Domini nostri Jesu Christi animum figant, precesque atque actionem suam ad consequendam a coelesti Patre primogeniti benedictionem hoc suavissime olente vestimento ei acceptabiles ac gratas faciant. (Octav. frang. Episc.

Tricariens. l. cit N. 79. Calente igitur memoria tam celebri caritas Christi concalescit, perstat super fundamentum suum aedificium fidei, spes quotidiana peccatorum remissione reviviscit. (Rupert. l. c. lib. 2. cap. 10.) Ista sunt munera, ista sunt dona, super omnem gloriam constituta, quibus fideles suos omnipotens Deus reficiens glorioso filii sui corpore vivificat, sanctificat et praeparat aeternitati; per haec corda fidelium omnium benedictione replet, et gratiam tribuens, corporibus castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem; per haec tuetur suos misericordia, spe confirmat, munit caritate, ut tanti Domini participatione, qui intra se Deum suscipiunt, templum ejus effici mereantur. (Albert. Magn. P. 3. cap. 15 d. off. Miss.)

Ecclesia respiciens ad corpus et sanguinem Christi pro se in cruce oblato et vi omnipotentis verbi in altari praesenti non veretur haec appellare Hostiam sanctam etc. — Gropper (Coloniensis) in Catech. Colen. cap. de ss. Euch. §. quam eximium.

Panis enim vitae aeternae et calix salutis perpetuae, Christus est. (Amalari l. c. cap. 25.)

Supra quae propitio — sicuti, hic similitudinis est, non quantitatis, multo enim acceptius hoc sacrificium Deo est quam quod obtulit Abel, quam quod obtulit Abraham, quam quod obtulit Melchisedech. — Rupert. lib. 2, cap. 13 de div. off.

Sacerdos quia vices Christi visibili specie Deum inter et populum agere videtur, infert per manus angeli vota populi ad Deum et refert vota quidem et munera, refert autem impetrata per corpus et sanguinem, et distribuit singulis non quantum visus exterior praebet, sed quantum fides capit. — Rabanus de sacram. Euchar. cap. 33.

Memento. — Pia mater ecclesia orat non solum pro vivis, sed etiam pro Defunctis et eos sacrae oblationis intercessioni commendat, certissime credens, quod sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viventium verum etiam ad absolutionem mortuorum, qui cum signo fidei procedunt ad Dominum, proficere, Innoc. III, lib. 5, cap. 5 d. Alt. Mist. cum signo fidei, hoc est sacramenta fidei venerabiliter et reverenter suscipiendo. *Dormiunt in somno pacis*, ex isto verbo videtur innui, quod animae in purgatorio non affliguntur ministerio daemonum, quia cum daemonibus somnum pacis non habent, sed purgantur per seipsas, sicut aurum purgatur in igne 1 Cor. 3. Unusquisque quale sit opus etc. Albert. M. part. 3, c. 16 l. c.

In priori commemoratione Joannes disponitur et cum aliis numeratur propter dignitatem Apostolatus. In hac autem commemoratione reperitur et cum Stephano sociatus propter

privilegium coelibatus; virginitas enim Joannis maxime commendatur, quia Christus in cruce matrem discipulo, Virginem Virgini commendavit. Stephanus vero ab Apostolis deputatus ad ministerium viduarum, in hoc quod foeminis est praepositus, testimonium meruit sincerissimae castitatis; potest etiam de Joanne Baptista intelligi, qui quamvis non sit Apostolus merito inter Martyres potest numerari. (Innoc. III l. c.)

Qua commemoratione facta, erectus iterum et manibus extensis prosequitur: *Ipsis Domine et omnibus,* et in fine addens: *per eundem C. D. N.* . . . jungit manus et caput profunde sacramento inclinat. Tum iterum erectus sinistram ponit supra altare intra corporale uti supra, et tribus ultimis digitis dextrae, ne pollex et index juncti tangant planetam, ubi erecto modeste et moderate percutit pectus, dicens voce aliquantulum elevata: *nobis quoque peccatoribus.* Et dein manibus extensis prosequitur:

(*Nobis quoque.* Moraliter voce poenitentum, qui confitentur peccata sua, elevat sacerdos quasi quodam stimulo punctus nimii timoris. Talis compunctio vocatur et vere dicitur sacrificium spiritus contribulati. Vox elevata in sacrificio poenitentum, signat magnum esse debere clamorem in corde poenitentis. Amalari l. c. cap. 26.

Omni tempore debemus ex corde nos recognoscere peccatores, sed praecipue cum pro remissione peccatorum ss. Mysterium celebratur. (Innoc. III l. c.)

Haec omnia i. e. panem, vinum et aquam semper bona credo condendo naturam secundum causas primordiales.

Sanctificas — consecrando materiam secundum causas sacramentales.

Vivificas transsubstantiando creaturas, ut transeant in carnem et sanguinem, et

Benedicis accumulando gratiam, ut conferant caritatem et unitatem.

Per ipsum tanquam per Mediatorem,
cum ipso tanquam cum aequali,
in ipso tanquam in consubstantiali,

in Patre notatur auctoritas, in Filio aequalitas, in Spiritu sancto communitas. (Innoc. III l. c.)

Famulis tuis, et concludens orationem: *per Christum D. N.,* jungit manus sine inclinatione capitis et manibus sic junctis pergit: *per quem haec omnia Domine semper bona creas,* tum sinistram ad corporale deponit, et dextra ter signans super hostiam et calicem simul, dicit: *sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis et praestas nobis;* dein sinistrae manus tres ultimos digitos supra pedem calicis

ponit, et inter indicem et medium digitum dextrae acceptam pallam de calice deponit uti supra, et utraque manu intra corporale deposita, genuflexus sacramentum adorat, iterum genuflexus indice manus sinistrae extremitatem hostiae paululum deprimit, quam ex altera parte erectam prope medium accipit inter pollicem et indicem dextrae, et tenens nodum calicis, inter indicem et medium sinistrae hostia ter signat supra calicem a labio posteriori ad alterius, et a labio versus cornu evangelii ad aliud versus cornu epistolae dicens: *per † ipsum, et cum † ipso, et in † ipso;* tum similiter eadem hostia bis signat inter calicem et pectus suum, incipiens a labio exteriori calicis motu recto hostiam ducens versus pectus, et non versus pedem calicis dicens: *est tibi Deo Patri † omnipotenti, in Unitate Spiritus † sancti;* dein hostiam supra calicem manu dextra, et nodum calicis sinistra tenens, eundem cum hostia simul aliquantulum ab altari elevat, dicens: *Omnis honor et gloria.* Et statim hostiam dextra et calicem sinistra suo reponit loco supra corporale.

Dein pollices et indices utriusque manus supra calicem extergit et extremitatibus trium digitorum ultimorum sinistrae super pedem calicis positis, palla inter indicem et pollicem dextrae accepta cooperit calicem, et utraque manu super corporale posita sacramentum uno genu flexus adorat, et erectus positis hinc inde manibus super corporale dicit voce clara et intelligibili: *per omnia saecula saeculorum.*

Q. II. *Quem autorem et quem sensum verba habent: qui pridie?*

℟. Cum certus ejusdem formulae autor assignari quidem non possit: antiquissimae nihilominus Liturgiae, inter quas nominanda venit illa, quae Jacobi dicitur, eandem formulam referant, hanc Apostolorum temporibus cum Innocentio III. lib. IV. mysteriorum Missae cap. 5 et Bona lib. 2. cap. 13. §. 1. jure merito dixerimus *).

Sensum vero haec formula, qua sacerdos sese ad consecrationem proxime praeparat, ministrat sequentem: qui priedie quam pateretur. Apostolus inquit: nocte, qua tradebatur, feria nempe V ante parascevem sub vesperum **) accepit panem in sacras ac venerabiles manus suas; divinitatis instrumenta, queis innumera patravit miracula, et opera quaeque sanctissima. Et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, quamvis s. Scriptura haec verba non referat, cum tamen ex Evangelio constet Christum Patri gratias acturum, panes multiplicaturum et La-

---

*) Romsee Tom. IV. p. 251. N. III. — **) Romsee l. c. p. 253.

zarum a morte resuscitaturum, oculos ad coelum elevasse, dubitandum non est, quin eorum ritum in actione omnium praecellentissima pariter servaverit; ideoque ab Apostolis hunc ritum ecclesiae fuisse traditum, censent scriptores ecclesiastici. (V. §. praecedentem Q. III.)

Tibi gratias agens, haec verba a s. Luca cap. 22 et a s. Paulo 1ma ad Corinth. 11. referuntur *). Benedixit: profecto non formando crucem, quam morte sua sanctificarat nondum. Igitur s. Thomas part. 3. Q. 78. Art. 1. ad primum docet, Christum benedixisse verbis: hoc est corpus meum. Accipiens, inquit, panem, benedixit dicens: hoc est corpus meum. Nec obesse dicit, quod inter benedictionem et consecrationis verba referatur fractio et distributio, quia, inquit, Evangelistae non tam stricte semper gestarum ordinem rerum observant. . . . Suarez in 3 part. Tom. 3. Q. 78. Art. 1. disp. 28. sect. 2. contendit benedictionem esse actionem a consecratione separatam, et actiones: accepit, benedixit, fregit, dedit, eo ordine peractas defendit, quo describuntur ab Evangelistis.

Sylvius III. part. 3. Quaest. 78. quaesito 2. eandem quidem eatenus tuetur sententiam, quod benedictio separata sit a consecratione actio, ast fractionem et distributionem postponit consecrationi. Sylvium sequitur Benedictus XIV. de sacrificio Missae sect. I. §. 254. Plures interim alios nacta est illa sententia patronos, quae benedictionem a consecratione separat. In hac igitur sententia benedixit: panem a profano usu ad sacrum transferendo et digne sumturis consecratum quascunque gratias a Patre impetrando.

Q. III. *Quomodo sacerdos proferet verba consecrationis utriusque speciei, et quis illorum sensus orthodoxus?*

℟. Verba consecrationis utriusque speciei non historice tantum referet sacerdos, sed eadem secreto, distincte reverenterque pronuntiando id etiam aget, quod iisdem pronuntiatis egit Christus, qui Lucae 22. V. 19. Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus facultatem simul et mandatum dedit, faciendi id ipsum, quod fecerit ipse. Itaque sacerdos accipit panem et dein calicem, sicut acceperat Christus; extollit oculos ad coelum, sicut extollerat Christus, gratias agens benedicit panem et vinum, sicut gratias agens benedixerat Christus; pronuntiat verba eadem, quae pronuntiavit Christus, et sicuti Christus his verbis panem in corpus et vinum in sanguinem suum convertit, ita iisdem verbis sacerdos panem in corpus et vinum in sanguinem Christi convertit; tandem sacerdos frangi

---

*) Romsee l. c. p. 254.

et distribuit petentibus panem consecratum, sicut fregerat et distribuerat Christus. Omnes, quotquot sunt Liturgiae antiquissimae, orientalis aeque ac occidentalis ecclesiae, eundem ritum referunt *). Haec ergo perpetua et constans utriusque ecclesiae in re tam ardua consensio, fidesque de reali corporis et sanguinis Christi praesentia in eucharistia confundit profligatque omnes quotquot aliquando ausu attentarunt sacrilego hanc negare praesentiam.

Orthodoxus itaque verborum consecrationis utriusque speciei sensus est: *hoc — hic;* sive substantia, quae sub speciebus panis et vini propositione adest completa, est *corpus meum, est sanguis meus.* Cumque dicitur: *Calix sanguinis,* per metonomiam continens sumitur pro contento. Prosequitur dein sacerdos: *novi et aeterni testamenti.* — *Novi:* sicut enim testamentum vetus vitulorum fuit confirmatum sanguine Exod. 24: ita hoc novum Christi fuit sancitum sanguine — *et aeterni testamenti,* cum ecclesia duratura sit usque ad consummationem saeculi: *Mysterium fidei,* utpote quod sensibus impervium solis cernitur fidei oculis.

„. . . Möchte ich behaupten, die Worte: Mysterium fidei, seien apostolischen Ursprunges und rühren von dem Apostelfürsten Petrus selbst her, . . . daher der Cardinal Turrecremata in dem Concilium von Florenz in der Rede gegen die Griechen sagt: Missa nostra dicitur habuisse principium a beato Petro, qui solum in canone dicitur posuisse brevissimam orationem Tom. IX. Concil. Harduini. Col. 974. — Sunt in omnibus antiquissimis Missalibus manuscriptis quos vidi." (Bona R. L. lib. II. cap. 12.) (Binterim Denkw. B. II. Th. 1. S. 109.)

Qui pro vobis: sumentibus, *et pro multis:* omnibus, qui profecto multi sunt, quoad pretii utpote infiniti superabundantiam. Pro multis vero strictim quoad ejusdem pretii applicationem. *Effundetur in remissionem peccatorum:* Christus enim peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, cujus livore sanati estis, 1ma Petri 2da **).

Qui etiam dedit semetipsum redemptionem pro omnibus 1ma Tim. 2. Qui delevit, quod adversum nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, ad Coloss. 2. unde est, ipse propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi 1ma Joann. 2. Tandem quae adduntur verba: *haec quotiescunque,* desumpta sunt ex Lucae cap. 22. v. 19. ubi ly *haec,* se refert ad

---

*) Romsee T. IV. p. 255. — **) Romsee T. IV. p. 257 usque ad 263.

utramque consecrationem ita, ut sensus sit: quotiescunque consecrabitis panem et vinum, toties id facietis in commemorationem mortis meae; sive ut loquitur Apostolus: mortem Domini annuntiabitis.

Praescribit rubrica, ut sub elevatione utriusque speciei minister casulam manu sinistra elevet. Cum enim, ut §. VII. Q. XXV. notatum fuit, planetae quondam totum ambientes corpus sacerdotis, et super bracchia complicatae impedirent eundem, ne expedite satis, sacras posset elevare species, hinc minister posteriores planetae fimbrias elevabat *).

Dein mandat rubrica, ut idem minister manu dextra nolam vel ter, vel continuate sub utraque elevatione pulset ad acuendam fidelium attentionem et devotionem. Cumque trina pulsatio videatur congruentior, hinc 1) pulsabit ad genuflexionem sacerdotis post prolata consecrationis verba; 2) sub elevatione sacrarum specierum, et 3) dum iterum post elevationem flectit sacerdos.

Q. IV. *An Graeci eadem, qua Latini forma utuntur in consecratione utriusque speciei?*

℟. Forma consecrationis panis in Graecorum liturgiis est: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Et in Liturgia Jacobi additur, quod datur in remissionem peccatorum; forma consecrationis calicis in Liturgia Jacobi haec extat: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur et datur in remissionem peccatorum. In Liturgiis Basilii et Chrysostomi eadem invenitur formula, excepto verbo: et datur. Ast quia verbis consecrationis in Liturgia Chrysostomi, qua Graeci potissimum utuntur, additur praecatio: fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui, hinc momentosa inde nata est quaestio, an Graeci credant, non verbis dominicis, sed praedicta praecatiuncula fieri consecrationem? ideoque ea de re a Latinis in Concilio Florentino interrogati responderunt Sess. 22. fateri nos diximus per haec verba: hoc est corpus meum, transsubstantiari panem sanctum et fieri corpus Christi; sed postea quemadmodum et vos dicitis: jube haec perferri per manus s. Angeli tui, in sublime altare tuum, ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus s. descendat super nos, et efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi sui, transmutetque ipsa dona Spiritu s. suo, ut fiant communicantibus in purgationem animae, in remissionem peccatorum, et non fiant in judicium et condemnationem nostram. (Goar in Liturg. Chrysost. N. 139. Allatius l. 3. de perp. utriusque

*) Romsee l. c. p. 264.

eccles. consens. et Petr. Arcudius lib. 3. suae Concord. cap. 27—29 seq.)

Q. V. *A quo tempore, et qua occasione coepit elevatio utriusque speciei immediate post consecrationem?*

℟. Graecos non immediate post consecrationem, sed paulo ante communionem corpus dominicum elevare, testantur Liturgiae s. Basilii et Chrysostomi. Nec etiam in latina olim ecclesia post peractam mox consecrationem sacras fuisse elevatas species, facile evincitur ex antiquis sacramentorum libris, et e codicibus Ordinis Romani tam excusis quam manuscriptis. Neque apud priscos rituum expositores Alcuinum, Amalarium, Walefridum et Micrologum, aliquod hujus ritus reprehenditur vestigium. Ordo Romanus vero eam tantum memorat sacrarum specierum elevationem, qua calix cum hostia attollitur, ante orationem Dominicam *).

Mabillonius in commentario ad Ordinem Romanum N. 7 tradit, elevationem hostiae statim post consecrationem in Gallia coepisse circa dimidium undecimi saeculi. Referente Caesario Heisterbacensi lib. 9. Dialog. cap. 51. eundem ritum in Germania introduxit Guido ex abbate Cisterciensi S. R. E. Cardinalis, qui legatus sedis apostolicae Coloniam missus ad confirmandam Othonis Imperatoris electionem, ritum, mox post consecrationem elevandi hostiam ibidem instituit. Tradit Odoricus Raynaldus Tom. 13. annal. ecclesiast. id contigisse anno 1203.

Quando vero ritus idem in Italiam transierit, non adeo compertum est. Occasionem autem ejusdem ritus haeresin Berengarii, qui saeculo XI. realem Christi in eucharistia praesentiam negare ausus est, assignant cum pluribus aliis Dominicus Scoto et P. le Brun, quem ultimum citans et sequens Merati part 2. tit. 8. N. 22. placet nobis, inquit, ejusdem Petri sententia, quae statuit, morem elevandi eucharistiam in ecclesia latina originem a Berengariana haeresi duxisse: cum enim Berengarius realem Christi in eucharistia praesentiam impugnasset, plures viri sanctitate praestantes varios ritus invexerunt, ut fideles publice profiterentur corporis Christi in eucharistia praesentiam a Berengario impugnatam, cui rei mirum quantum elevatio sacramenti conveniat.

Non statim tamen ubique mos praeter hostiam etiam calicem elevandi invaluit. Adorata enim hostia, quae sacrum sanguinem simul continet, fideles realem corporis sanguinisque praesentiam,

---

*) Romsee l. c. p. 265 et seq.

satis professi censebantur. Ideoque ut notat Bouget Tom. 2. instit. cath. pag. 861. Carthusiani peracta consecratione corpus quidem Domini statim ostendunt adorandum, ut facimus; sed non ostendunt calicem, illum ecclesiae romanae morem secuti, qui tum fiebat, cum eorum ordo institutus est.

Addit deinde disciplinam etiam elevandi calicem ad omnes tandem ecclesias transiisse. De eadem etiam disciplina saeculo XIII jam usitata loquitur Durandus lib. 4. cap. 41 in fine.

Q. VI. *An praxis sub elevatione s. specierum orandi in silentio vel an alia cantandi praeferenda est?*

℟. Benedictus XIV. de Sacr. Miss. sect. 1. §. 271 observat, eum esse romanae ecclesiae morem, ut sub elevatione Jesus eucharisticus in silentio adoretur. Synodus etiam Augustana cap. 18. permittit quidem Antiphonas ad sacrificium pertinentes sub elevatione decantari; subdit tamen, melius fore et veteri ecclesiae convenientius, praesentiam dominici corporis in altissimo silentio prostratos venerari. Conc. vero provinciale Coloniense celebrat. anno 1536. part. II. Can. 14 statuit: Cum potius tum videretur silendum et ab omni populo mortis dominicae commemoratio habenda, prostratis humi corporibus, animis in coelum erectis, cantiones illae contra mortalitatem seu cladem, aut pro pace satius post Missam canantur.

Q. VII. *Cur quarta Canonis oratio incipit: Unde et memores, et quae porro continet?*

℟. Cum sacerdos paulo ante recitasset praeceptum Domini: haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, ut huic praecepto obtemperet dicit: Unde sive ideo et memores Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta.

Tribuitur *unde et memores* Alexandro I. a Rodulpho prop. 23 hausta fuit e Liturgia s. Petri et lib. 8. Apostolor. 17. — Extensione manuum hoc loco significatur, ut gestu corporis repraesentetur Christi passio, Microlog. cap. 16.

Tota nempe ecclesia, quae gens s. nominatur 1ma Petri I, sanctitate praeprimis capitis, dein membrorum et sacrificii et sacramentorum. Ejusdem Christi filii tui D. N. tam beatae passionis ob redemptionem humani generis. Nec non et ab inferis resurrectionis sed et in coelos gloriosae ascensionis, queis duobus mysteriis nostra est completa redemptio *).

---

*) Romsee l. c. p. 270 et seq.

Offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis. Donum intelligi potest sine dato tuncque simul datum intelligitur, quando dono accedit traditio sive datum. Non igitur hic synonyma proferuntur, sed utrumque sacrificiis et sacramento corporis et sanguinis Christi optime congruit, cujus institutio donum, actualis vero ejusdem participatio datum proprie dicitur. Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem vitae aeternae et calicem salutis perpetuae, quae verba Soto in quarta sentent. distinct. 13, Q. 2, Art. 5. sic exponit: Christus offertur tanquam hostia pura ad differentiam sacrificiorum gentium, quae impura erant et corrupta. Sancta ad differentiam oblationum veteris legis, quae non erant eatenus sanctae, ut animam sanctificarent, sicuti haec nostra, quae tollit peccata mundi; et ideo subditur immaculatam, ob id enim, quod Christus fuit agnus innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod est homines sanctificare, est ergo — hostia pura et purificans, sancta et sanctificans, immaculata et maculas tergens. Quod vero demum adjungitur; panem vitae et calicem salutis perpetuae, definitio et explicatio est ejusdem hostiae, ut enim sacerdotes veteris legis de sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem sustentabant; sic christiani esu et potu sacrosancti sacrificii spiritualem atque adeo aeternam salutem sibi comparant. — Hostia consecrata panis nominatur, quia fuit panis et ejusdem remanent species, quia etiam additur: Sanctum vitae aeternae, omnis omnino tollitur aequivocatio.

Per tres super sanctam hostiam et calicem efformatas cruces suamque ipsam — celebrantis — personam significatur triplex Christi illusio *a pontificibus, Herode, et Pilato,* vel ut vult Bonaventura (Exposit. Missae) designent *vincula, flagella et spineam Christi coronam.*

Verba *s. sacrificium, immaculatam* addidit Leo Magnus ex Innocent. III cap. 4.

Supra quae — et supplices te rogamus et jube haec perferri desumpta sunt ex Liturgia s. Petri.

Q. VIII. *Quid petit sacerdos in secunda parte quartae orationis: supra quae?*

℞. Supra quae, nempe corpus et sanguinem Christi, propitio, poenitentia placato, ac sereno, gratioso vultu respicere digneris et accepta habere: non hic sacerdos, uti fingit Lutherus, mediatorem agit patrem inter et filium ejus J. Christum, sed quam certus est, hostiam infinite gratam acceptam esse patri, tam incertus et anxius est, annon ingrata sit ex parte sui et populi; et ideo rogat: Digneris accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es ex parte of-

ferentium munera pueri tui justi Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, — et quod tibi obtulit summus tuus sacerdos Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam *).

Abel Genesis 4. obtulit Deo de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum. Hujus innocentis sanguinem fudit frater Cain. Christus primogenitus in multis fratribus ad Rom. 8. se ipsum Deo patri obtulit hostiam immaculatam, cujus sanguinem fuderunt Judaei fratres ejus secundum carnem.

Abraham Genesis 22. ut mandato Dei pareret, immolavit filium suum unigenitum Isaac, qui et ipse ligna pro sacrificio comportavit, quin tamen Deo sic jubente vitam amiserit. Pater aeternus, ut a morte redimeret genus humanum, non pepercit filio suo unigenito, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui obediens patri usque ad mortem bajulavit crucem, in qua tanquam ara sacerdos simul fuit et victima, ita tamen, ut die tertia ad novam vitae gloriam resurrexerit. Demum Melchisedech Genesis 14. protulit panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, et Christus sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem Deo Patri in ultima coena obtulit, et ministerio sacerdotum offerre pergit usque ad consummationem saeculi.

Q. IX. *Verba illa: S. sacrificium, immaculatam hostiam, an ad corpus et sanguinem Christi, vel ad sacrificium Melchisedechi referuntur?*

(Leonem papam autorem veneramur. Opmeer l. c. p. 21).

℟. Nil impedit, quin dicatur haec verba ad corpus Christi et sanguinem, et simul ad sacrificium Melchisedech sese referre. Cum enim sacrificium Melchisedech sancta fuerit et immaculata corporis et sanguinis Christi figura, ipsum etiam s. sacrificium et immaculata hostia appellari potest, a sanctitate enim rei figuratae sanctam quoque ipsam ejusdem figuram dici, quid vetat **)?

Q. X. *Quaenam petere pergit sacerdos dicens: supplices te rogamus?*

℟. Sacerdos profunda corporis inclinatione summam quoque animi sui demissionem contestans, supplex Deum rogat, ut perferri jubeat corpus et sanguinem Christi, sed vota, fidem, et preces fidelium, in sublime altare tuum, de quo Irenaeus lib. 4. cap. 34. est altare in coelis, *illuc* preces nostrae et oblationes diriguntur ***).

---

*) Romsee l. c. pag. 277 et seq. — **) Romsee l. c. pag. 279, 280. — ***) Romsee Tom. IV. p. 281.

Per manus sancti Angeli tui, cujus ministerio fidelium orationes in coelum deferri testatur s. scriptura Tobiae 12 et Apocalypseos 8. Id autem a Deo poscit sacerdos, ut quotquot Christi corpus et sanguinem ex ea altaris participatione sumpserint, omni benedictione coelesti et gratia repleantur.

Recole Christi processionem in hortum ad orandum patrem peracta coena, quapropter inclinatus dicit: *Supplices*, adfuit confortans angelus et sacerdos prosequitur: *Jube haec perferri* Walden tom. 3, tit. 4, c. 29, N. 5. Osculum quod sequitur altaris, hoc loco opponitur osculo Judae in horto. Tres cruces adduntur vel ad notandas tres illusiones Christi a pontificibus, Herode et Pilato factas (Albert. Magnus) vel vincula, flagella, coronam spineam Inn. III loco c. cap. 5.

Cum enim olim qui aderant, communicarent, pro illis est haec deprecatio. Ita hanc orationem expònit Bona *).

Ast s. Thomas P. III. Q. 83 a 4. ad 9^{num} ita commentatur: Sacerdos non petit, neque quod species sacramentales deferantur in coelum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro corpore mystico, quod scilicet in hoc sacramento significatur, ut scilicet orationes sacerdotis et populi angelus assistens divinis mysteriis Deo repraesentet. Per angelum vero intelligit sanctus Doctor Jesum Christum ipsemet, qui in sanctis paginis vocatur magni Concilii Angelus, quam divi Thomae sententiam caeteri quoque Theologi pene omnes confirmant.

Q. XI. *Pro quibus in quinta canonis oratione: Memento etiam Domine, orat sacerdos?*

℟. Orat pro animabus fidelium Defunctorum in purgatorio detentis. Sancta haec in ecclesiae consuetudo orandi in Missa pro defunctis ex apostolica dimanat traditione. Vide §. 13. Q. I. oratio: Memento in vetustis inscribitur Monumentis: Oratio super Diptycha, ob eandem quae §. praecedente q. 8. allata est rationem. Ritu siquidem antiquissimo nomina etiam fidelium Defunctorum tabulis inscribi, et intra Missarum solemnia recitari consuevere, de quo ritu Chrysostom. homil. 69 ad populum Antiochen. inquit: non temere ab Apostolis haec sancita fuere, ut in tremendis Mysteriis Defunctorum agatur commemoratio. Et Augustinus serm. 32 de verbis Apostoli ait: hoc a patribus traditum universa observat ecclesia, ut pro iis, qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur,

*) Lib. II. cap. 13. §. 4.

oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. . . Unde Concil. Turonense statuit: si fuerint nomina Defunctorum, recitentur, deinde postquam recitata fuerint, dicat sacerdos: ipsis et omnibus, si quorundam, qui vel in haeresi, vel in schismate mortui erant, nomina e sacris Diptychis radebantur, etiam post mortem dicebantur excommunicari. . . . Quia interim ignoratur, an illis, quorum nomina recitantur, suffragia prosint, vel an precibus indigeant, pro omnibus simul defunctis in canone orandum esse.

Monet Augustinus in Enchyridio cap. 108, quamvis, inquit, altaris sive orationum sive eleemosynarum sacrificia non pro quibus fiunt, omnibus prosint et iis tantum etc. (qui nempe suffragiorum capaces sunt), quia tamen non discernimus, qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum praetermittatur, ad quos haec beneficia possint et debeant pervenire; melius enim supererunt ista iis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt. Ideoque etiam sacerdos addit: et omnibus in Christo quiescentibus. —

Martene de antiquis eccles. rit. lib. I, cap. 4, art. 8, N. 24 tradit ritum, nomina Defunctorum alta pronuntiandi voce sub Missa durasse ad saeculum usque XII. Nunc mentaliter a sacerdote nominantur, vel melius ante Missam nominata, pro quibus specialiter is orare decrevit.

Hanc commemorationem pro defunctis ab Apostolis introductam scribit s. Chrysostom. homilia 69 ad popul. Antiochenum, ut defuncti adhuc in purgatorio detenti participent de Christi meritis. —

In commemoratione pro defunctis in fine cum dicit: *Per eundem Christum etc.* Sacerdos caput inclinat, quo ritu mystice representat Christum in hora mortis, quando inclinato capite tradidit spiritum, descensurus ad liberandos captivos. Quarti.

Compendiosa ratio facile in utroque memento recordandi omnium, pro quibus tenetur sacerdos orare.

In primo Memento.

I. In ss. vulnere manus *dextrae* Christi crucifixi meminerit.

1) Summi Pontificis et universae Ecclesiasticae hierarchiae.
2) Episcopi ordinarii et aliorum superiorum.
3) Omnium religiosorum ordinum.

II. In ss. vulnus manus *sinistrae*.

Imperatoris, omnium regum ac principum cum toto populo christiano.

III. In ss. vulnere pedis *dextri*.

1) Benefactorum spiritualium, confessariorum etc.

2) Benefactorum temporalium, tum suimet tum ecclesiarum commissarum.

IV. In ss. vulnere pedis sinistri.

1) Inimicorum, persecutorum, generalium et privatorum.

2) Infidelium, haereticorum, obstinatorum peccatorum, et in quavis miseria spirituali, maxime in agone constitutorum.

3) Miserorum, tentatorum, in necessitate constitutorum, calamitosorum omnium etc.

V. In ss. vulnere lateris et cordis.

1) Sui ipsius, petendo verae poenitentiae gratiam et compunctionis spiritum, augmentum fidei, spei et caritatis.

2) Parentum, consanguineorum, confratrum et omnium denique sibi commissorum.

NB. In secundo Memento pro defunctis possunt eodem fere modo accommodari.

Post verba illa: *In somno pacis,* viginti quondam Diptychorum ritu, in Monasteriis sibi invicem consueverant mittere fratrum et benefactorum nomina, ut Diptychis inscriberentur. Cessante vero Diptychorum usu nomina Defunctorum libro inscribebant, quem Necrologium vocabant, e quo quotidie post lectionem Martyrologii eorum nomina legebantur, qui ea die obierant et pro ipsis psalmus: De profundis cum oratione competente cantari solebat.

Quinta haec oratio incipit: Memento etiam relative ad Memento vivorum ante consecrationem. Dicit porro oratio: *Dormiunt in somno pacis;* licet enim animae in purgatorio patiantur, de sua tandem obtinenda gloria securae in amicitia et pace Dei requiescunt, omnis expertes impatientiae.

Ipsis Domine et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii. — Ubi Deus absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, et ubi non erit amplius neque luctus neque clamor neque ullus dolor erit ultra. Lucis visionis beatificae et pacis — tandem perfectae et consummatae ut indulgeas, deprecamur p. C. D. N.

Q. XII. *Quid postulat sacerdos in sexta canonis oratione: Nobis quoque peccatoribus?*

℞. Postquam sacerdos fidelium Defunctorum animas suis Deo precibus commendavit, se ipsum pariter et fidelem populum Missae assistentem divinae commendat misericordiae, ut haec sibi populoque cum sanctis in coelo partem aliquam et societatem donare dignetur, et eundem in finem sanctos quosdam nominat; quos nomi-

nando veneratur et venerando patronos invocat. Et pergit: *Intra quorum nos consortium non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte;* cum enim sacerdos merita numeret modica et haec modica insuper gratiae dona sint, peccatorum vero suorum populique conscius sit, ideo non meritorum intuitu, sed divina miseratione ad sanctorum rogat consortium se una cum populo admitti *).

Pectoris percussio denotat, ut nobis fiat in salutem, quod Hebraei impii in suam perniciem exclamavere: Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Verum Innoc. III et alii explicant de latrone et centurione confitentibus Christum verum Deum. —

Porro denotat pectoris percussio, factum centurionis et aliorum crucem circumstantium. (Durandus l. c.)

Gemma animae lib. 1, cap. 108 observat, sanctos et diversis selectos ordinibus in hac oratione commemorari; primo quidem nominatur Joannes Baptista praecursor Domini, non vero Joannes Evangelista.

Quem non hic nominari communior tenet opinio, quam confirmant Liturgiae s. Basilii et Chrysostomi, quae Baptistam nominant. Festum ejusdem agitur 24. Junii. 2) Stephanus Diaconus 26. Decembris. 3) Matthias Apostolus 24. Febr. — Notant scriptores ecclesiastici, Matthiam in oratione: Communicantes ante consecrationem Apostolis non adnumerari, quia nonnisi post passionem et resurrectionem Domini Apostolorum fuit associatus collegio, neo in evangelio ejusdem inter Apostolos nomen recensetur; quanquam vero par ratio suadere videatur, s. Paulum non ante consecrationem sed hoc convenientius loco esse commemorandum; ast cum uti notatum est superius, ecclesia Romana eundem a s. Petro separat nunquam, ideo nomen ejus orationi Communicantes fuit insertum. Nominatur interim s. Matthias post s. Stephanum, quia hic ante gloria martyrii coronatus est. 4) Barnabas e numero discipulorum Christi 11. Junii. 5) Ignatius episcopus 7. Febr. 6) Alexander Pontifex 3. Maji. 7) Marcellinus presbyter 2. Junii. 8) Petrus exorcista 2. Junii. 9) E numero conjugatorum Perpetua et Felicitas, 7. Martii. 10) E numero Virginum Agatha 5. Februarii. 11) Lucia 13. Decembris. 12) Agnes 21. Januarii. 13) Caecilia 22. Novembris. Et 14) Anastasia 25. Decembris.

Quindecim sancti hoc loco nominantur, octo viri, septem mulieres, quia per hoc sacrificium a septem donis Spiritus

---

*) Romsee l. c. pag. 294 et seq.

III. In ss. vulnere pedis *dextri.*

1) Benefactorum spiritualium, confessariorum etc.

2) Benefactorum temporalium, tum suimet tum ecclesiaru commissarum.

IV. In ss. vulnere pedis sinistri.

1) Inimicorum, persecutorum, generalium et privatoru

2) Infidelium, haereticorum, obstinatorum peccatorum. in quavis miseria spirituali, maxime in agone constitut

3) Miserorum, tentatorum, in necessitate constitut calamitosorum omnium etc.

V. In ss. vulnere lateris et cordis.

1) Sui ipsius, petendo verae poenitentiae gratiam punctionis spiritum, augmentum fidei, spei et carit

2) Parentum, consanguineorum, confratrum et o nique sibi commissorum.

NB. In secundo Memento pro defunctis possu modo accommodari.

Post verba illa: *In somno pacis,* viginti quond ritu, in Monasteriis sibi invicem consueverant m benefactorum nomina, ut Diptychis inscriberent Diptychorum usu nomina Defunctorum libro in crologium vocabant, e quo quotidie post lecti rum nomina legebantur, qui ea die obierant De profundis cum oratione competente ca

Quinta haec oratio incipit: Memento vivorum ante consecrationem. Dicit po *pacis;* licet enim animae in purgato obtinenda gloria securae in amicitia expertes impatientiae.

Ipsis Domine et omnibus in *gerii.* — Ubi Deus absterget o ubi non erit amplius ne erit ultra. Lucis vis *et consummatae* ut

Q. XII. *Quid* *bis quoque pecc*

R. Postq precibus com assistentem que cum netur, et

venerantur et ... nos consortium ... admitte ... *ipso* tanquam vere
est Deo patri per
itus sancti, qui ex
Deitatis. Insinuatur
nitas, in spiritu sancto
aequalitas *per omnia sae-*
...ia praecedentium ac-
lorum, vel continuata
...tum patens saeculum,
...s contexerunt, perveniat
... quod non habet finem,
... fine. (Expos. Miss.)

sententia; cum enim non
...rumque rerum facta fuerit
consueverit: *per quem haec*
...r continuantur, licet nullae
..., colligit inde, verba prae-
...latis tantum intelligantur. Quo-
...per quem (Christum) cum om-
...rioque creas panem et vinum in
...rtenda; *sanctificas* eadem a pro-
...vivificas, in corpus et sanguinem
... sacramentum, quod fons est omnis
praestas nobis, per s. communionem.
...em te inter et homines; et *cum ipso*
te distincta, et *in ipso* natura uno, ti-
...bi *Deo Patri omnipotenti in unitate* Spi-
tuo procedit, quique tecum et cum filio
... *honor et gloria.*

..., quorum tres ad verba *sanctificas* ....
...tum e laudato Innocent. III repraesentent
...onem, hora tertia crucifixum, in qua et tribus
Per tres alios ad verba *per ipsum* .... de-
... aliae horae, quibus in cruce pependit mortuus.
...o aliis extra calicem ad verba: *Est tibi Deo*
...t animae Christi separationem a corpore atque
...issionem et aquae e Christi latere; demum in ca-
...one et demissione cum hostia Christum de cruce
...m repositum venerantur.

crucibus *sanctificas* recole crucifixionem Christi,
...ertia apud Marcum linguis Judaeorum cruci est
... *Tolle etc.* in aliis tribus ad ea *per ipsum* at-
...em hora sexta manibus gentium, et in dua-
est tibi Deo patri etc. divisionem animae a

sancti ad octo beatitudines pervenitur. (Honor. in Gemma lib. 1, cap. 107.)

Observat Bona lib. 2. cap. 14. §. 5. sub finem orationis: *Nobis quoque peccatoribus*, antequam olim concluderetur per C. D. N. si novae fruges aut alia humanis usibus inservientia fuerint benedicenda, haec ante altare collocari, et ibi a sacerdote benedici consuevisse, et benedictionem solitam fuisse terminatam clausula per C. D. N. Tum sequentem ab eodem additam fuisse orationem: *Per quem haec omnia Domine semper bona creas.* Refert etiam ibidem e diversis depromptas codicibus varias benedictionum formulas novarum frugum, lactis et mellis, uvarum aliarumque rerum.

Q. XIII. *Quomodo exponi debent haec verba: per quem haec omnia Domine?*

℞. Bona l. citat et sequi videtur Lucam Dacherium, qui in praefatione ad Lectorem tom. IV. sui specilegii praefixi censet, verba: *per quem* non referri solum ad oblata, sed pariter ad res olim benedictas, quas Deus continuo creat, producit quasque petimus ejusdem benedictione sanctificari, ut nostris possint usibus esse aptae atque salutares *).

Per *quem omnia Domine semper bona creas:* venerantur haec verba Eutychianum papam ex pontificali romano; audiatur Bellarminus in Exposit. verborum: *per quem haec omnia domine semper bona creas, sanctificas, benedicis et praestas nobis:* Haec verba aptissime conveniunt, inquit, in canonis conclusionem, commemorant enim brevissime omnia beneficia circa hoc sacramentum, inchoando a prima productione materiae, unde illud conficitur. Itaque dicimus a Deo per hoc sacramentum ratione materiae primo *creari,* cum panis videlicet creatur; secundo *sanctificari,* cum dedicatur per primam oblationem ad sacramentum conficiendum, tertio *vivificari,* cum efficitur mysterium vitae, et in verum corpus Domini, et in ipsum Christum, qui est vita nostra, convertitur per consecrationem; quarto *benedici,* cum omnis benedictionis recipit effectum, ut scilicet sacramentali efficacia caput cum membris unicet; quinto denique *nobis praestari,* cum ad sumendum, ut ex eo vitam hauriamus de Missa lib. 6. c. 26. cfr. (Alcuin. de div. off. cap. de celebr. Miss.) Secundam orationem: *per ipsum et cum ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum,* exponit Magister Florus: *per ipsum* scilicet tanquam per verum mediatorem Dei et homi-

*) Romsee l. c. pag. 290 et 302 et sqq.

num; *cum ipso* tanquam coaequali; *in ipso* tanquam vere consubstantiali *omnis vere honor et gloria est Deo patri* per filium et cum filio et in filio in *unitate spiritus sancti,* qui ex patre filioque procedens unitatem possidet Deitatis. Insinuatur itaque in patre autoritas, in filio nativitas, in spiritu sancto patris filiique communitas, in tribus aequalitas *per omnia saecula saeculorum.* — Vel ut consequentia praecedentium accipienda sunt *per omnia saecula saeculorum,* vel continuata sibi commixtione copulentur, donec totum patens saeculum, quod ex diversorum temporum saeculis contexerunt, perveniat ad finem et succedat futurum saeculum, quod non habet finem, ubi Deus videbitur et laudabitur sine fine. (Expos. Miss.)

Sed Benedicto XIV. haec non placet sententia; cum enim non in qualibet Missa novarum frugum, aliarumque rerum facta fuerit benedictio, in omni tamen Missa dici consueverit: *per quem haec omnia,* sicuti eadem verba hodie pariter continuantur, licet nullae amplius sub Missa fruges benedicantur, colligit inde, verba praedicta ad amussim verificari, si de oblatis tantum intelligantur. Quorum igitur verborum sensus erit: per quem (Christum) cum omnia facta sint, tu o Deus Pater! quoque creas panem et vinum in corpus et sanguinem Christi convertenda; *sanctificas* eadem a profano ad sacrum separas usum; *vivificas,* in corpus et sanguinem Christi convertis; *benedicis* per sacramentum, quod fons est omnis benedictionis et gratiae; et *praestas nobis,* per s. communionem. *Per ipsum* tanquam mediatorem te inter et homines; et *cum ipso* filio tuo, ideoque persona a te distincta, et *in ipso* natura uno, tibique consubstantiali; est tibi *Deo Patri omnipotenti in unitate* Spiritus s., qui a te filioque tuo procedit, quique tecum et cum filio tuo unus Deus est *omnis honor et gloria.*

Octo nunc cruces, quorum tres ad verba *sanctificas* . . . . si audies Gavantum e laudato Innocent. III repraesentent Christi crucifixionem, hora tertia crucifixum, in qua et tribus vixerat horis. Per tres alios ad verba *per ipsum* . . . . designentur tres aliae horae, quibus in cruce pependit mortuus. In duabus vero aliis extra calicem ad verba: *Est tibi Deo patri* reperiunt animae Christi separationem a corpore atque sanguinis emissionem et aquae e Christi latere; demum in calicis elevatione et demissione cum hostia Christum de cruce in sepulchrum repositum venerantur.

In tribus crucibus *sanctificas* recole crucifixionem Christi, qui hora tertia apud Marcum linguis Judaeorum cruci est affixus: *Tolle, Tolle etc.* in aliis tribus ad ea *per ipsum* attende crucifixionem hora sexta manibus gentium, et in duabus sequentibus *est tibi Deo patri etc.* divisionem animae a

corpore Christi. Innoc. III. lib. 5, cap. 9: Fiant autem hae duae cruces extra calicem, quia haee separatio facta, non ex violentia passionis et calicis, sed ex potestate propriae voluntatis. Innoc. III. l. c. In tribus primis *per ipsum* memorare trinam orationem Christi in cruce. — Primam *pater ignosce illis,* alteram: *Deus, Deus meus.* Tertiam *pater in manus tuas,* s. Thom. l. c. — Titelmann cap. 48 addit in tribus primis crucibus notari tres horas, quibus vixit in cruce Christus, in aliis tribus, calice detecto, tres alias, quibus mortuus pependit; in duabus extra calicem emissionem sanguinis et aquae e latere, in amotione pallae templum veli scissum.

Hic pars respicit actum sublimem s. Communionis respectu sacerdotis, Cleri quin et ipsius populi, docetque celebrans una cum populo sese ad s. Synaxin digne sumendam praeparare atque ea peracta debitam et competentem gratiarum actionem subjungere.

Sub ultimis hisce verbis sacerdos calicem et hostiam ad altitudinem IV circiter digitorum, uti monent scriptores liturgici, ab altari elevat, de qua minori elevatione superius actum Q. V. Hic igitur notasse adhuc sufficiet, qui de eadem scribit Bouget Tom. 2. instit. cathol. p. 839: Ante saeculum XII, inquit, ad haec sola verba: omnis honor et gloria, nec prius ostendebatur corpus Christi simul cum calice populo circumstanti ad adorationem, calicem ergo simul cum hostia sacerdos sublevabat in altum, ut populus videret et adoraret. Ex quo autem usus invaluit elevandi corporis Christi, ac deinde calicis statim post peractam consecrationem, minus solemnis haec altera calicis et corporis elevatio plerisque in ecclesiis fuit; nec jam sacerdos sic elevat calicem, ut a populo videri possit. Notat insuper idem, Canonem prolatis voce clara verbis terminari: *per omnia saecula saeculorum,* ut populus omnia in Canone secrete suo nomine postulata adprobet confirmetque, per ministrum respondens. Amen *).

Elevatur calix cum hostia, statimque deponitur ad denotandam depositionem Christi de cruce ejusdemque sepulturam, (Eduens l. c.) in palla quo legitur calix vive lapidem ad ostium monumenti (Innoc. III l. c.) vel corpus Christi involutum syndone a Josepho (Durand c. 46).

Absoluto jam Canone jam te ad Communionem praeparare debes, facto initio ab oratione dominica, quam cum tremore et filiali erga Deum affectu recitabis, oculis in sacramentum intentis, quia Christus simul cum patre preces tuas audit et exaudit. Septem sunt ejus petitiones, in quibus summatim

*) Romsee l. c. pag. 301.

continentur res omnes a Deo petendae, et pro quarum impetratione hoc sacrificium offertur. In *prima* petitione desiderium excitabis eximiae tuae et aliorum sanctitatis, ut gloria Dei augeatur, ut ab omnibus ametur et timeatur, ejusque sanctitas, bonitas, sapientia ubique innotescat. In *secunda* optabis Deum in tua et caeterorum voluntate regnare simulque petes ad regnum suum feliciter pervenire. In *tertia* rogabis, ut omnes homines sic Deo serviant et obediant in terris, sicut ei ab Angelis servitur in coelis, nunquam peccando, et quae illi grata sunt semper ferventissime faciendo. In *quarta* omnia necessaria pro victu, vestitu, caeterisque temporalibus postulabis. In *quinta* implorata Dei liberalitate pro alimentis, ejusdem clementiam pro remissione peccatorum deprecaberis, elicito actu contritionis et sincerae dilectionis omnium inimicorum et aliorum, qui tibi causa fuerunt alicujus molestiae, pure illos amando propter Deum. In *sexta* diffidens de propriis viribus et timens mollitiam et inconstantiam tuam petes a Deo, ut te praeservet a tentationibus, ne forte in eas inductus ab ejus gratia et amicitia excidas. In *septima* a malis culpae et poenae liberari precaberis, atque ab omnibus adversitatibus, quas diabolus et mundus contra te moliuntur.

Haec postrema petitio fusius explicatur in sequenti oratione: *Libera nos quaesumus,* in qua enumerantur mala, a quibus liberari postulas, praeterita scilicet, praesentia et futura. Mala autem praeterita sunt peccata, de quibus scriptum est: *Fili, peccasti, ne adjicias iterum sed de praeteritis* deprecare, ut tibi dimittantur; praesentia sunt quotidiana peccata et aliae calamitates, futura sunt tentationes et aliae imminentes miseriae, quae sine speciali adjutorio Dei evitari non possunt. Ad haec impetranda opem flagitas B. Virginis sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, Andreae et omnium Sanctorum, et signans te signo crucis pacem petis, quam Christus nobis sua passione promeruit.

Sequitur fractio hostiae in tres partes, quarum unam dum calici immittis, intimam cum Deo unionem postulabis. Pacem populo annuncians, triplicem cunctis pacem desiderabis, pacem scilicet uniuscujusque cum Deo, quae in ejus amicitia et gratia consistit, pacem cum seipso, quae in concordia appetitus cum recta ratione sita est, ut quod ista dictat, ille exequatur; pacem cum proximo suo, ut nemo alteri praebeat offensae occasionem, sed omnes potius christianae caritatis officiis sibi devinciat.

Ad primum *Agnus Dei* elicito actus fidei erga Christum ibi praesentem, qui est vere agnus Dei pro nobis in cruce immolatus; liberari et praeservari petes ab omnibus miseriis spiritualibus, quales sunt habitus pravi, tepiditas in obsequio Dei, inconstantia in bene coeptis. Ad secundum liberari item

ac praeservari petes a miseriis temporalibus, a peste, fame, bello, morbis et persecutionibus, quatenus a servitio et cultu pacifico Dei nos impediunt. Ad tertium pacem postulabis, quam parit bona conscientia, dominum sui omniumque rerum creatarum contemptus. (C. Bona Tract. ascet. de sacrif. Miss. pag. 129—130.)

§. XXVII.

De Oratione Dominica et aliis usque ad Communionem.

Q. I. *Quae sunt ulteriores rubricae ordinationes ab oratione dominica usque ad communionem?*

℞. Sacerdos post genuflexionem erectus positis hinc inde manibus super corporale, dicit voce intelligibili: *per omnia saecula saeculorum,* et respondente ministro: *Amen,* dicit: *Oremus,* et simul jungit manus ante pectus, ac caput profunde sacramento inclinat, et junctis manibus pergit: *praeceptis salutaribus* usque ad *pater noster* exclusive, quam orationem dominicam dicit manibus ad humeros extensis, et oculis ad sacramentum defixis, usque ad finem ejusdem orationis *).

Responso dato a ministro: *sed libera nos a malo,* sacerdos secreto addit: *Amen.* Tum inter indicem dextrae pollici conjunctum et reliquos digitos accipit patenam et purificatorium simul, dein cum dextra solam sumit patenam inter indicem pollici pariter conjunctum, et medium digitum sinistrae, tenens ante purificatorium dextra, quo abstergit patenam supra partem lateralem corporalis versus cornu epistolae, deinde purificatorium complicatum ad priorem reponit locum, et patenam abstersam e sinistra accipit inter indicem pollici unitum, et medium digitum dextrae, ac eandem patenam extra corporale super purificatorio sic erectam tenet, ut pars concava respiciat corporale, et manus dextra sit supra patenam elevatam, dum interim sinistra supra corporale deponitur.

Postea dicit sacerdos secreto: *Libera nos,* et ad nomen *Mariae* caput versus librum inclinat. Antequam dicit: *Da propitius pacem,* manum sinistram ponit infra pectus ita, ut palma coelum respiciat, et dextra elevat patenam de altari, eaque se signat ad frontem dicens: *Da propitius,* ad pectus: *pacem,* ad humerum sinistrum: *in diebus,* et ad dextrum: *nostris.* Deinde nil dicens os-

---

*) Romsee Tom. I. p. 136 et seq. Tom. IV. p. 309.

culatur patenam in extremitate, et eandem hostiae submittit, quam indice sinistro a pollice sejuncto supra patenam accommodat, et hanc cum hostia supra corporale extra locum hostiae ita collocat, ut ejusdem extremitas posterior super pede calicis quiescat. Patena cum hostia sic collocata, et terminata oratione: *Libera* nos Domine .... tres extremos digitos sinistrae ponit supra pedem calicis, et inter indicem et medium digitum dextrae accipit pallam de calice, quam deponit, uti superius et manibus intra corporale depositis genuflexus sacramentum adorat. Iterum erectus indice manus sinistrae adducit hostiam ad extremitatem patenae versus cornu epistolae, eamque accipit in medio inter pollicem et indicem dextrae, et hac sola hostiam elevat supra calicem, ubi eandem pariter apprehendit indice et pollice sinistrae dividitque in duas aequales, si fieri possit, partes, incipiens fractionem a parte superiori, et interim secreto dicit: *per eundem D. N. J. C. filium tuum,* et ad nomen Jesus caput profunde inclinat; dein mediam hostiae partem, quam inter pollicem et indicem dextrae tenet, ponit super patenam, ac de alia media parte hostiae, quam adhuc supra calicem inter pollicem et indicem sinistrae retinet, frangit pollice et indice dextrae particulam ex inferiori parte, proseqnens secreto: *Qui tecum vivit et regnat,* et dicens: *in Unitate Spiritus s. Deus,* partem majorem, quam sinistra tenet, sic adjungit parti hostiae supra patenam positae, ut hae duae partes circulatim uniantur, continuans interim pollice et indice dextrae tenere particulam super calice.

(Antiquissimi ordines Romani I et II norunt fractionem panis. Notandum, quod „*Haec commixtio* verbum *consecratio* significat idem utpote commixtio sacrarum speeierum, sensus verborum" *frangitur pro nobis* est recordatio violenti mortis D. N. J. Christi ideo sacerdos memor pacis per mortem Domini subjungit *pax Domini.* Est fractio panis in tres partes mystica significatio Dei triuni in redemptore per Christum. Commixtio juxta Liturgiam s. Jacobi conjunxtionem denotat divinitatis cum humanitate, vel juxta Micrologum resurrectionem salvatoris. (de eccl. observ. c. 17). Sergium I papam autorem hujus esse docet Amalar. lib. 3, c. 33. Notatu dignum, sacerdotem in hac oratiuncula non dirigere preces ad patrem, sed ad filium.

Frangitur hostia, quia in fractione panis cognitus fuit Christus resuscitatus (Innoc. III l. c.) inque tribus hostiae partibus agnosce cum s. Thoma 3. part. qu. 8, art. 5 distinctionem corporis Christi mystici vel distributionem gratiarum ejus post resurrectionem.)

Dein apprehenso nodo calicis inter indicem et reliquos digitos manus sinistrae dicit intelligibili voce: *per omnia saecula saeculorum.* Responso: *Amen,* celebrans particula parva ter signans a labio ad labium intra os calicis, sine ejus attactu, movensque dextram totam et non solos pollicem et indicem, dicit clara voce: *pax Domini sit semper vobiscum,* et responso: *et cum spiritu tuo,* demittit particulam ex indice et pollice in sanguinem dicens: *haec commixtio et consecratio,* inclinatque profunde caput sacramento ad nomen Jesus et interim pollices et indices utriusque manus supra calicem extergit, iterumque jungit, ac finita oratione ponit extremitates trium ultimorum digitorum sinistrae supra pedem calicis, quem palla inter pollicem et indicem dextrae accepta cooperit.

Immissio particulae in calicem significat resurrectionem Christi, (Amalari lib. 3, c. 32) vel confessio resurrectionis Domini, in qua corpus et sanguis unita cum anima sunt (Microl. c. 20) tres cruces cum particula supra calicem admonent de triduo mortis (s. Thom. l. c.)

Pax Domini sit semper vobiscum significat animam Christi ad ejus corpus redeuntem, et pacificata esse non solum, quae in coelis sunt, sed etiam quae in terra et ima summis esse conjuncta. (E Cod. ant.)

Tres cruces sub verbis pax Do † mini sit, sem † per vobis † cum faciendae sunt.

Celebrans apprecatur populo mediantibus tribus crucibus inter *pax Domini* a labio ad labium calicis juxta s. Bonaventuram l c. cap. III tria pacis genera a Christo resuscitato discipulis annuntiata: Nimirum pacem *temporis, cordis* et *aeternitatis.*

Informatione crucis cum hostia id insuper notetur, ut hostia aliquantulum infra medium sumatur, ut recta linea sine ulla prorsus ejusdem inclinatione a labio ad labium super calicem prius signum crucis cum eo formari possit. 2) Ut dum fiunt cruces inter calicem et pectus celebrans parum brachium incurvet sinistrum, ne formando praedictas cruces super brachium ipsum pertransire faciat. Ut si nunc (Vide Q. Mohren XII pag. 426) calicem cum hostia elevat, in ista elevatione nullum reverentiae signum faciat, dictaque hostia populo adoranda non monstretur nec inclinata, sed recta etiam teneatur, dum fiunt duae ultimae cruces. (Vinitoris l. c. p. 191.)

Deinde utraque manu hinc inde supra corporale deposita, sacramentum genuflexus adorat, et iterum erectus stans junctis ante pectus manibus capite, et non corpore versus sacramentum profunde

inclinatus dicit: intelligibili voce: *Agnus Dei, qui* .... dein disjungit manus, et sinistram ponit super corporale ac extremitate trium digitorum ultimorum dextrae sibi unitorum modeste percutiens pectus, dicit: *miserere nobis*, et dein non jungit manus, sed tarde et continue movens dextram sine ejus depositione supra corporale iterum percutiens pectus dicit: *miserere nobis,* quod cum tertio facit, dum dicit: *Dona nobis pacem.*

Hic addendum erit, tripliciter dici debere *agnus Dei.*

Tunc manibus junctis super altare positis, et corpore mediocriter inclinatus dicit secreto: *Domine Jesu Christe* .... qua oratione finita si est daturus pacem, (quae regulariter in Missis privatis non datur, nisi Praelatis aut Magnatibus, uti ait Merati de ritu celebr. Missae Tom. 10. Num. 10.) osculatur in medio et instrumentum pacis ei porrectum a ministro juxta ipsum, ad dextram suam genuflexo et dicit: *pax tecum,* minister respondet: *et cum spiritu tuo.* Data pace, vel si haec non detur, dicta prima oratione statim subjungit duas alias orationes, non inclinans caput ad nomen Jesus, cum jam humeris et capite sit inclinatus. Si vero sacerdos Missam celebret pro defunctis, non percutit pectus *ad agnus Dei,* sed loco *miserere nobis* dicit: *Dona eis requiem,* ac tertia vice addit: *sempiternam.* Nec dicit primam orationem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti:* sed alias duas tantum orationes: *D. J. C. fili Dei vivi, et Perceptio corporis tui.*

Initium huic praeparationi datur per orationem dominicam, quam ex praecepto divino praescriptam docet s. Hieronymus lib. III adv. Pelag. — id quod obscure quoque ecclesia indicat per praefatiunculam: *Praeceptis salutaribus moniti,* quam laudata oratio *pater noster* praefixam habet. Est autem oratio *communis,* quam Christus ipse nos docuit, ut praemissa ejusdem acerbissimae passionis commemoratione fidelium petitiones facilius a Deo patre exaudirentur.

Septima petitio *libera nos a malo* olim integra dicebatur a populo, quia synopsin continet totius orationis.

Sacerdos autem respondet *Amen,* ut ita Deus praesentium preces exaudire dignaretur.

Mystica ejus significatio juxta Natalem Alexandrum lib. II, Theol. A. 6, N. 10 designata per septem petitiones *septem* Christi in cruce verba, et per *patenam,* quae hucusque aliquantulum subtus corporale cooperto purificatorio mansit, denuo productam tres mulieres valde mane ad monumentum venientes. Marci XVI. a.

Ast non consentit Bened. XIV de sacrif. Missae §. 318.

sed ideo patenam paulisper reconditam putat, quod ejusdem usus hucusque necessarius haud fuerit. —

Dicitur secreto *libera nos Domine*, ut liberatos intelligamus sanctos patres a limbo, quo secreto descenderat anima Christi. Durand. l. c.

Q. II. *A quo tempore, et quo autore oratio Dominica liturgiae fuit inserta?*

℞. Sacerdos servatum stricte sub Canone silentium exceptis verbis: *nobis quoque peccatoribus*, tandem solvit clara voce dicens: *per omnia saecula saeculorum*, queis Canonem concludens verbis, invitat fideles Missae assistentes, ut postulationes et vota pro ipsis ad Deum durante Canone Missae ratificent, quod etiam praestant per ministrum respondentem: *Amen* *). Uti praenotatum fuit §. praecedentis sub finem. Dein sacerdos dicens: *Oremus*, populum excitat ad attentionem et devotionem sub recitanda oratione Dominica, quam ex apostolica liturgiae insertam traditione patrum auctoritas et disciplina probat perpetua. Optatus Milevitanus lib. II. inter vicina momenta, inquit, tum manus imponitis, delicta condonatis (absolvitis poenitentes publicos) mox ad altare conversi dominicam orationem praetermittere non potestis. Augustinus homil. 42. inter 50 ait: In ecclesia ad altare Dei quotidie dicitur oratio dominica; et Hieronymus lib. 3 adversus Pelagianos, Apostolos dicit quotidie solitos orationem dominicam in sacrificio recitare. Dein Gregorius M. lib. 7. epist. 64. scribit: Orationem dominicam idcirco post precem (canonem) dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Igitur errare convincuntur, qui a Gregorio M. orationem dominicam primo liturgiae insertam volunt, cum Gregorius ipse ad Apostolorum provocet traditionem. Nil igitur a Gregorio constitutum tradit Joannes Diaconus in vita Gregorii lib. 2. cap. 20. nisi ut oratio dominica congruo recitaretur loco, nempe post canonem ante communionem. In eadem epistola tradit Gregorius, apud Graecos fidelem populum Missae assistentem una cum sacerdote dominicam recitare orationem, apud Latinos vero a solo eandem dici sacerdote, qui ritus hodie in utraque latina et graeca perseverat ecclesia.

Cum vero in Hispaniis abusus irrepsisset, ut quidam sacerdotes non quotidie, sed die tantum dominica eandem orationem in sacri-

---

*) Romsee l. c. p. 313.

ficio dicerent, Concilium Toletanum IV. can. 9. statuit: ut quotidie in Missa dicatur oratio dominica, sub depositionis poena.

Q. III. *An liturgia Apostolica constabat sola oratione dominica, consecratione et sumptione?*

℟. Quaestionis occasionem dat allata superius Gregorii Magni sententia, quam etiam Gemma animae cap. 86 et Walefridus Strabo cap. 22. de rebus ecclesiasticis tueri videntur. Verum Apostolos divina celebrantes mysteria non solam recitasse orationem dominicam, testis est Apostolus fidelibus praecipiens, ut coetus suos, quos praeprimis concomitabatur Missae sacrificium, sanctificent psalmis, hymnis, canticis, orationibus, ita quidem, ut prudenter opinari liceat, Apostolicam liturgiam tempore permittente nostra usque adeo fuisse prolixiorem *), quod pariter innuit temporibus Apostolorum vicinus Justinus Martyr apolog. 2. His accedit Chrysostomus hom. 27 in 1ma ad Corinth.: Cum sacras illas, inquit, coenas accipiebant Apostoli, quid tum faciebant, nonne in preces convertebantur et hymnos? nonne in s. Vigilias? nonne in longam illam doctrinam, et multae philosophiae plenam?

Itaque ad conciliandam patrum supra laudatorum sententiam apparenter contrariam notasse juvabit, Apostolos et brevem, et prolixam diversis temporibus celebrasse liturgiam; brevem imperabant excitatae persecutionum procellae, prolixiorem indulgebat suadebatque facta hinc inde post tempestatem tranquillitas. Quibus et hoc addendum, particulam: *solummodo,* in Gregorianum forte irrepsisse textum, vel Gregorium per orationem generatim non dominicam tantum, sed alias quoque preces consecrationem antecedentes et consequentes intellexisse. Vide etiam §. 25. Q. 3.

Q. IV. *Formula: Oremus, praeceptis salutaribus . . . cur orationi dominicae praemittitur?*

℟. Hanc formulam, quam brevem quoque praefationem autores nuncupant, ideo sacerdos praemittit, ut se populumque ab omni vindicet temeritate dominum majestatis patrem appellaturus. Itaque divino parentem praecepto, divinaque edoctum institutione sese tantum audere Deum patrem nominare protestatur. Haec ipsa praefatio antiquissima est, quam etiam innuit Hieronymus lib. 3 adversus Pelagianos. Graeci, pariter Maronitae, Mozarabes, et Ambrosiani eundem fere in modum praefantur.

---

*) Romsee l. c. p. 315.

Q. V. *Quomodo summarie exponitur oratio Dominica?*

℞. Orationem dominicam solis recitare quondam licebat baptizatis, ideo inquit Chrysostomus homil. 21 in Matth. quia, qui nondum initiatus est, non potest patrem appellare Deum *).

Hinc etiam eadem oratio competentibus primum tradi consuevit feria IV. post Dominicam IV. quadragesimae ex statuto Ordinis Romani. In Africa autem teste Augustino homilia 42 citata feria 2da majoris hebdomadae hanc traditionem nervosa comitabatur expositio. Similem vero hic attexere fusius utpote vel e catechesi notam, esset actum agere. Subcincta tamen, quam materiae series postulare videtur, sequitur: *Pater,* qui tua nos omnipotentia creasti, providentia conservas, gubernas ac bonitate ad felicitatem vocas aeternam. *Noster,* nos fratres, filios, ejusdem amantissimi patris. *Qui es in coelis;* ubi divitias gloriae tuae pandis, quo postulationes nostrae omnes tendere debent et vota. *Sanctificetur nomen tuum,* sicut decet filios patrem tenere amantes, ejusdem semper et ubique quaerere gloriam, ut nomen tuum in se sanctissimum, ab omnibus etiam agnoscatur, adoretur, et glorificetur in tempore et aeternitate.

Adveniat regnum tuum. Irrequieta enim sunt corda filiorum tuorum, donec quiescant apud te patrem in regno tuo, cujus nos cum Jesu Christo cupis esse cohaeredes. *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra;* quomodo beatissimi regni tui cives ad nutum divinae tuae parent majestati, ita optamus, ut in terris exacta ac constans mandatis tuis praestetur obedientia, ita ut nec jota praetereat, donec omnia fiant. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* ne vero defectu necessariorum, queis mortalis haec indiget vita, sollicitudo anxia remoram injiciat in via mandatorum tuorum, secura cum fiducia a te patre, quo nemo tam pater, non solliciti in crastinum postulamus panem quotidianum. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* et quia in multis offendimus omnes, et filii prodigi te patrem deserentes in regionem longinquam migravimus; divina tua gratia excitati atque adjuti redimus ad te patrem, et dantes lacrymas cordis, dicimus: pater! peccavimus in coelum et coram te, jam non sumus digni vocari filii tui; et sic revertentes nos paterno amplectere affectu, sicut et nos fraternis cordibus fratribus nostris eas, quas contra nos commisere, offensas dimittimus; *et ne nos inducas in tentationem:* ast ne a daemone, mundo et carne hostibus nostris sollicitati denuo a te

---

*) Romsee l. c. p. 317 et seq.

separemur, qui tam amanter in gratiam nos recepisti, obsecramus, ut vel non permittas nos tentari, vel saltem non tentari, quin digneris simul cum tentatione dare proventum, ut possimus sustinere, et ita virtus in infirmitate perficiatur, *sed libera nos a malo, Amen.* Non a malo autem peccati tantum, sed et ab alliis quibuscunque malis liberari petimus, queis vel a tuo obsequio, vel quod pejus est, a tuorum observantia mandatorum avocari possemus.

Q. VI. *Oratio: Libera nos quaesumus, cur ab antiquis rituum expositoribus embolismus appellatur?*

℞. Haec oratio voce graeca *embolismos,* latine *interpositio,* sive *superaugmentum* appellatur, eo quod diserte, distincteque illa enumeret mala, a quibus in oratione dominica generatim petiit liberari sacerdos. Igitur liberari petit se populumque ab omnibus malis praeteritis — *peccatis;* praesentibus: *poenis peccatorum,* et rationibus ad peccata, necnon a miseriis vitae hujus et futuris — *miseriis* alterius vitae. Dein Beatissimam Mariam V., Apostolorum principes Petrum et Paulum, et Apostolum primo a Christo vocatum Andream, et omnes demum sanctos invocat patronos *).

Antiquitus e sacerdotis pendebat arbitrio, in hac oratione nominare quotquot volebat sanctos, quam sacerdotis facultatem ad sanctorum nomina in oratione relata ritus limitat hodiernus. Horum sanctorum patrocinio suffultus rogat sacerdos pro dono pacis, et *ut a peccatis simus semper liberi,* quia non est pax impiis; *et ab omni perturbatione securi.* quam excitant adversitates et afflictiones vitae hujus, haec enim quietem mentis turbant et non raro peccatis occasionem praestant, queis vera pax animae tollitur.

Sub hac oratione sacerdos patenam, qua se signat, osculatur dicens; *da propitius pacem;* patena siquidem symbolum est pacis, in qua requiescit princeps pacis, qui in cruce collapsam Deum inter et homines pacem redintegravit.

Oratio: *Libera nos quaesumus* habetur in ordine romano; tribuitur ab aliquibus s. Gregorio.

Q. VII. *Ritus frangendi hostiam, a quo institutus?*

℞. Ritus frangendi hostiam Christum Dominum ipsummet autorem veneratur, qui in ultima coena accepit panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis. Et quoniam (vide Bona) quod fecit ipse, faciendum praecepit Apostolis, ideo et ipsi cum fidelibus convenisse leguntur ad frangendum panem Act. XX. cap. 2. fideles perseve-

---

*) Romsee l. c. p. 325 et seq. et p. 331.

rasse narrantur in communicatione fractionis panis utique eucharistici, de quo Apostolus 1ma ad Corinth. panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est *)?

Unde etiam, quotquot extant liturgiae, hunc ritum praescribunt. Ambrosiana hanc legit formulam: Corpus tuum frangitur Christe, quam ex eadem viri quidam pietate non minus, quam doctrina praestantes expungi optarunt.

Ast formula professionis catholicae, quam in Conc. centum et tredecim episcoporum praesidente Nicolao II R. P. anno 1159 recitavit Berengarius, inter alia continet: Consentio, verum corpus D. N. J. C. in veritate manibus sacerdotum tractari et frangi et fidelium dentibus atteri . . . .

S. Thomas de hac fidei formula pluribus disserens tertia parte Q. 77, art. 7 idem concludit: Hoc modo intelligenda est confessio Berengarii, ut fractio et attritio dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi. Frangitur itaque et dividitur corpus Christi ad fractionem et divisionem specierum ipso integro permanente, et in qualibet particula existente sicut anima rationalis, uti docet Augustinus lib. 6 de trinitate cap. 6 et in corpore toto tota est, et in qualibet ejus parte tota est. Unde etiam ecclesia in hymno canit: Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, et iterum: Fracto demum sacramento, ne vacilles sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.

Non uniformis semper et ubique fuit ritus dividendi hostiam. Occidentalis ecclesia in tres quondam partes dividebat hostiam, quarum una demittebatur in calicem, alteram manducabat sacerdos, et tertia in plures subdividebatur particulas, quae distribuebantur adstantibus et infirmis.

Cum enim tunc hostiae majores essent illis, queis nunc utimur, pluribus cibandis una sufficere poterat.

Antiquitatis hujus vestigium aliquale custodit Missa solemnis s. Pontificis, in qua tertia particula in duas subdividitur partes dandas Diacono et Subdiacono. — In consecratione Episcopi, consecrans Episcopo, qui consecratur, pariter praebet tertiam particulam. Ritu hodierno in tres hostia partes dividitur, quarum una in sanguinem immittitur, et quam una cum sanguine, reliquas vero duas invicem junctas sacerdos sumit. Fractionis hujus rationes mysticas tradunt antiqui praecipue scriptores liturgici.

---

*) Romsee l. c. p. 329. N. IV.

Graeci hostiam in quatuor dividunt partes, unam sumit celebrans, altera distribuitur populo, tertia reservatur infirmis, et quarta in sanguinem immittitur. Ritu mozarabico hostia primo dividitur in duas partes aequales, dein una harum in quatuor, et altera in quinque et ita summatim in novem partes et cuique parti nomen correspondens uni mysteriorum Christi imponunt; atque incipientes a posteriori extremitate corporalis linea recta versus celebrantem collocant quinque particulas, quarum nomina sunt: *Incarnatio, nativitas, circumcisio, apparatio, passio.* Dein versus cornu Evangelii unam dictam: *Mors* et tandem versus cornu Epistolae tres appellatas: *Resurrectio, Gloria Christi in coelo,* et *Jesu Christi regnum.*

Q. VIII. *Quae genuina est expositio, orationis: haec commixtio et consecratio?*

℟. Innocentius III, (cap. 2, L. 5. mysteriorum Missae) vocem commixtio refert ad species panis et vini; sed altera vox consecratio difficultatem parit majorem, ad quam declinandam in quibusdam omissa fuit missalibus. Bellarmin. tit. 3 contravers. lib. 6 de Miss. sacrif. cap. 27 dictam voculam exponit: Non petimus, ut nunc fiat consecratio, sed ut consecratio antea facta sit nobis ad vitam aeternam *).

Innoc. III l. c. docet etiam cap. II, quod commixtio haec denotet novam corporis Christi unionem cum anima in ejus resurrectione subsecutam; vult porro tribus divisis hostiae partibus mystice adumbrari tres corporis Christi mysticas partes, puta: Ecclesiam militantem in terris, patientem in purgatorio, et triumphantem in coelis.

Haec commixtio sagt Binterim, hat eine mysteriöse Bedeutung, die besonders schön in der syrischen Liturgie des h. Jakobus ausgedrückt wird: Miscuisti Domine divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanitatem nostram cum tua divinitate; vitam tuam cum mortalitate nostra, et mortalitatem nostram cum vita tua; accepisti quae nostra erant, et dedisti nobis tua ad vitam et salutem animarum nostrarum: tibi gloria in saecula. (Denkw. 4. B. 3. Th. S. 470.)

Le Brun pag. 58 eandem vocem non in abstracto, sed in concreto sumens difficultatem aufferre videtur. Dicta, ut sensus sit: hoc *commixtum et consecratum*, corpus nempe et sanguis Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen. Unde corpus et sanguis Christi jam ante consecrata nunc in abstracto vocantur consecratio ita, ut abstractum suppleat pro concreto. Haec mixtio spe-

*) Romsee l. c. p. 334.

ciorum vetustissima est, quae in liturgia Jacobi et antiquissimo extat Ordine Romano, concomitans vero oratio substantiae quidem concordans diversis tamen in diversis missalibus concepta legitur verbis.

Mixtionis sacrarum specierum hanc, quam alii quoque amplectuntur rationem mysticam assignat Innoc. III. l. c. cap. 2. Commixtio panis et vini designat unionem carnis et animae, quae in resurrectione Christi denuo sunt unita.

Quam rationem pariter tradiderat Mycrologus de ecclesiasticis observationibus cap. 17. unam hostiae partem, in calicem faciendo crucem mittere debet, cum dicit: *pax Domini sit semper vobiscum,* ad designandum corporis et animae conjunctionem in resurrectione Christi.

In oratione: Libera nos, pro pace supplicavit quidem sacerdos voce submissa, nunc vero eam, pro qua secreto rogavit pacem publice apprecatur dicens: pax Domini sit semper vobiscum. Haec populi salutatio in primo invenitur Ordine Romano et antiquis Missalibus. Nec mirabitur quisquam sacerdotem jam modo secunda et tandem tertia vice in oratione prima ad communionem praeparatoria pacem a Deo petere, si perpendat, pacem Domini, quae exsuperat omnem sensum, donum esse maximum, quod nimiis expeti nequit votis, cum et Christus ipsemet post resurrectionem suam apparens Apostolis eisdem semel et iterum dixerit: pax vobis.

Q. IX. *Quid venit nomine benedictionis episcopalis, quae olim dabatur ante salutationem: pax Domini etc.*

℟. Antequam celebrans quondam salutabat populum dicens: *pax Domini* . . . . praemitti consuevit benedictio a sacrorum rituum scriptoribus appellata Episcopalis, quod a solo dari posset Episcopo. Extant hujusmodi benedictiones in pontificali Romano edito sub Leone X et in vetustis sacramentorum libris, quarum plures formulas e diversis excerptas codicibus refert Bona lib. II. cap. 16. §. 1 et 2, duos insuper §. 3. allegat canones Concilii Agatensis celebrati sub Symmacho apparenter contradictorios. Et quidem c. 44 statuit: benedictionem super plebem in ecclesia fundere, aut poenitentem in ecclesia benedicere, presbytero penitus non licebit. Canon vero 47. decernit, Missas die dominico saecularibus totas tenere speciali ordine praecipimus, ita, ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat. Quae igitur a primo canone presbytero interdicitur benedictio, haec a secundo adstrui videtur. Quos canones

§. citato 53 conciliat demonstrans, de Episcopali benedictione ante salutationem: pax Domini in utroque canone sermonem esse *).

Igitur canone priori interdicitur presbytero benedictio illa Episcopalis, simulque solemnis, ac publica poenitentium reconciliatio ante salutationem: pax Domini, eo quod utraque functio Episcopalis esset. Posterior canon vetat, ne populus ante eandem benedictionem Episcopi, quem usus illorum temporum sacerdotem appellabat, egrediatur. Mos siquidem illius aevi erat, ut communicantes quidem finem Missae expectarent, noncommunicantes vero absoluto canone ante orationem dominicam ab ecclesia discederent, quia reliquum Missae ad communionem relationem habeat. Jubet igitur canon, ut saltem maneant noncommunicantes, donec post orationem dominicam Episcopali muniti essent benedictione. De hac enim et non de alia, quae nunc a presbytero in fine Missae datur, canonem loqui verosimilius est, quod tunc a presbyteris in fine Missae nondum daretur benedictio; nisi quis cum Myorologo cap. 21 per benedictionem intelligere malit orationem post communionem, cum antiqui collectam etiam benedictionem appellaverint, uti ex dictis de oratione constat. Pravae interim consuetudines egrediendi ex ecclesia ante communionem radicitus extirpandae Episcopi illorum temporum sedulam navarunt operam, quam faustus etiam tandem coronavit exitus.

Q. X. *Oratio: Agnus Dei . . . quando locum in liturgia invenit?*

℞. Orationem *agnus Dei* a Sergio I. circa annum 687. ad s. Pontificatum evecto liturgiae insertam communior tenet opinio; de eo liber pontificalis haec tradit: statuit, ut tempore confractionis dominici corporis *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, miserere nobis,* a clero et populo decantaretur. Et s. Bonaventura in expositione Missae cap. 4 sequitur Agnus Dei, quod Sergius papa instituit; cum vero de clero populoque et non celebrante liber pontificalis loquatur, inde colligi posse videtur, non statim a celebrante, sed serius eandem fuisse dictam orationem **).

Haec oratio excerpta est e Joannis cap. 1. ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi! praedixit etiam Isaias Messiam veluti agnum ad occisionem ducendum. Unde pariter mos dimanavit pingendi Christum sub agni figura; quem morem cum synodo Trullana can. 82. ausu temerario convellere, eandem picturam prohibere at-

---

*) Romsee l. c. pag. 342. — **) Romsee l. c. pag. 347.

tentaret, romana eidem sese opposuit ecclesia, veteremque hunc usum defendit, custodivitque constanter.

Liturgia Jacobi similem formulam, ast non deprecatoriam insertam habet: Ecce agnus Dei, filius patris, qui tollit peccata mundi. Et liturgia Chrysostomi sacerdoti s. panem divisuro dicere praecipit: frangitur et dividitur agnus Dei, filius patris. Unde colligere licet, in Graecorum liturgiis antiquiorem esse agni Dei commemorationem.

Sergius papa non legitur constituisse, ut ter diceretur agnus Dei, ideoque non semper, nec ubique idem servatum fuere dicitur. In Ordine Romano 2. praescribitur, ut tam diu cantetur, donec completa sit fractio. Propterea bis, ter et saepius aliquando repetebatur. Missalia tandem varia saeculi XII. praescribunt, ut ter dicatur. Ritus tamen dicendi: miserere nobis, ingruentibus postea bellis, ut testatur Innocent. lib. 6. de mysteriis Missae cap. VI. sive uti alii volunt, ad tollendum schisma hanc obtinuit mutationem circa saeculum XII, ut ultima vice diceretur: dona nobis pacem. Qui ritus nunc in omnibus receptus est ecclesiis, excepta lateranensi Basilica, quae antiquum retinuit ritum, quem pariter feria V. in coena Domini quaedam servant ecclesiae, quibus adnumeratur Coloniensis; quia feria V. in coena Domini pax intra Missam non datur.

In Missis Defunctorum sacerdos non dicit: miserere nobis, sed ejus loco: dona eis requiem, ut ostendat, Defunctorum sese magis, quam viventium esse memorem *). S. Thomas de eodem ritu loquens tertia parte Q. 83. art. 4. in corpore: In Missis Defunctorum inquit, in quibus sacrificium offertur, non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Alba Spinaeus de veteribus ritibus lib. 1. observ. 17. aliam ritus hujus assignans rationem, notat, Missas Defunctorum non solemnes, sed privatas quondam fuisse, cum vero pax in solemnibus duntaxat consuevisse dari Missis, ideo in Defunctorum Missis eandem non dari.

Pax quoque non datur in Missa feriae sextae majoris hebdomadae ad manifestationem moeroris de morte Domini.

Oratio agnus Dei introducta est per modum praeparationis proximae ad communionem, ut Christus in altari jam pro nobis immolatus ceu *Agnus Dei,* nostra peccata penitus tollere, et ita nos magis dignos reddere dignetur.

Dicitur *ter,* ut insinuetur Christum fuisse agnum per obedientiam ad patrem, per reverentiam ad matrem, et innocen-

*) Romsee l. c. pag. 345.

tiam qua subiit mortem. — Bonaventura loc. cit. ob ingruentes varias ecclesiae adversitates factum est, ut successu temporis post ultimum *agnus Dei* diceretur *Dona nobis pacem.* Innoc. III, lib. VI, cap. 4. Autor hujus precatiunculae habetur Sergius I. P. M. qui et orationem primam pro pace instituit et ordinavit, ut ter dicatur *agnus Dei.* Walefridus l. c. cap. 22.

Notandum ut in pectoris cussione sub *agnus Dei* et *Domine non sum dignus* pollex cum indice juncti casulam non tangant. Gavantus l. c.

Q. XI. *Tres orationes communionem praecedentes, quem autorem habent?*

℟. Micrologus c. 18 docet: Orationes communionem praecedentes non ex antiqua s. Pontificum ordinatione, sed ex religiosorum traditione liturgiam intrasse. Nec tamen omnes tres simul et semel assumptae fuere. Secunda tantum refertur in Missali romano Manuscripto anno 1158 *).

Ita Bellarmin. in lib. II de Miss. cap. I.

Hanc solam quoque recitant Carthusiani et Dominicani, cumque primorum ordo a fine saeculi XI, et aliorum ab initio saeculi XIII exordium ducat, cumque ritus suos e Galliis hauserint, colligere hinc licet, non in omnibus saltem illius aevi Galliarum ecclesiis primam et tertiam orationem Liturgiae fuisse insertas. Saeculo tandem XIV ordo romanus XIV, et omnes exin libri ritum sequentes romanum eo, quo nunc leguntur, ordine easdem referunt.

Q. XII. *Osculum pacis, quod post primam orationem in Missa datur, unde suam traxit originem?*

℟. Ex traditione Apostolorum; etenim 1. ad Corinth. scribit Apostolus: *Salutate invicem in osculo s.:* hujus insuper apostolicae traditionis testes prae caeteris adduci merentur: S. Justinus Martyr. apol. 2da Athenagoras oratione ad Christianos et Chrysostomus lib. 1. de Compunctione: Osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in usu est: sed verior, ne forte plures ex vobis labiis hoc tantummodo faciant, cum Christus pacem non ex ore, sed ex corde desideret **).

Sancta inde nata est disciplina, ut hoc mutuae dilectionis symbolo commonstrarent fideles, omnes sese esse cor unum et animam unam, eoque duntaxat divinorum participatione munerum dignos censeri, qui ad eadem exhibito hoc fraternae caritatis signo sese

---

*) Romsee l. c. p. 357. No. VI. — **) Romsee l. c. p. 352.

praeparassent. Referunt hunc morem et orientalis et occidentalis ecclesiae liturgiae omnes, quanquam Graeci, aliique Orientales, Mozarabes quoque osculum pacis dent ante praefationem.

Observat Fromondus scribens in locum Apostoli citatum, osculum pacis a foeminis nonnisi a foeminis et a masculis nonnisi a masculis dari consuevisse, duravit haec disciplina osculi pacis ad saeculum usque XIII, cum sub finem saeculi duodecimi eandem adhuc vigentem commemoret Innocentius III, sed refrigescente tandem caritate et deficiente morum puritate pax data fuit instrumento, quod pax, *tabella pacis* et *osculatorium* dici solet. Interim caeremoniale episcoporum statuit cap. 8vo, ut episcopus celebrans et ab eo recipiens pacem genas sinistras ad invicem admoveant se leviter tangentes — pro Missis vero solemnibus presbyterorum decernit missale romanum de ritu celebrandi Missam titulo X. num. 8., ut dans pacem et eam recipiens se complectantur, et genas sinistras sibi invicem appropinquent, igitur sine tactu physico. Celebrans pacem daturus olim osculabatur praevie hostiam, verum usum hunc jure merito abrogavit major sacramento debita reverentia.

Haec autem pax etiam signat omnium consensum adeo, quae acta sunt in mysterio totius consecrationis. Albert. Magn. P. 3. cap. 21 l. c.

Dominicani osculantur praevie calicem; Carmelitae calicem et insuper corporale vel pallam; Missale Coloniensis ecclesiae anno 1509, praescribit osculum missalis utpote continens verbum Dei. Ritu romano nunc altare osculatur sacerdos a quo Christum repraesentante pacem accipiens, eandem aliis communicat. — In Missis defunctorum, qui privatae olim censebantur, pax non datur uti notavit supra Alba spinaeus. Quanquam e rubricis missalis romani de ritu celebrandi titulo X, no. XI observet Merati, in Missis etiam privatis pacem dari posse praelatis, aliisque personis in dignitate constitutis.

Vide Catechism. Conc. trident. de ss. sacramento.

§. XXVIII.

De Communione sacerdotis.

Q. I. *Quos ritus, quasque caeremonias rubrica praescribit communioni sacerdotis?*

℞. Tribus itaque, et in Missa de *requiem* duabus dictis orationibus, ac positis hinc inde manibus super corporale sacerdos genuflectens sacramentum adorat et erectus dicit secreto: *Panem coeles-*

tem accipiam, quo dicto utramque hostiae partem in medio tangit indice manus sinistrae, adducitque ad extremitatem patenae versus cornu epistolae, ubi extremitatem utriusque particulae simul accipit inter pollicem et indicem dextrae, dein inter pollicem et indicem sinistrae easdem particulas ita conjungit, ut hostia appareat integra; postea patenam inter indicem et medium digitum dextrae acceptam, et exin positam inter indicem et medium digitum sinistrae supponit hostiae, atque sinistra, a corporali paululum elevata tenens patenam et super eam hostiam ad extremitatem inferiorem inter pollicem et indicem corpore mediocriter inclinato versus medium altaris pedibusque juxta se positis, pectus suum cum modestia et gravitate percutit extremitate trium ultimorum digitorum dextrae, interim voce aliquantulum elevata dicens: *Domine, non sum dignus;* dein dextram non deponit super corporale, sed eam a se lente removet dicens interim secreto: *ut intres sub tectum* . . . . quod idem eodem modo secunda et tertia vice dicit facitque.

Et in hoc loco occurrit nobis iterum pia mens ecclesiae Coloniensis. Audiamus Binterim — „In dem gedruckten Kölnischen Missale v. J. 1514. wird das Domine, non sum dignus etc. schon dreimal mit der Rubrik: hic ter tundat pectus, vorgeschrieben. Beweis genug, daß dasselbe nicht erst durch das Missal. Pius V. ist eingeführt worden." Denkw. 4. B. 3. Th. S. 489.

Post tertiam vicem erectus unam particulam praepositam alteri et sic utramque simul recipit inter pollicem et indicem dextrae juxta extremitatem inferiorem, ac patenam tenens inter indicem et medium digitum sinistrae ab altari paululum elevatae, utraque particula inter pollicem et indicem dextrae supra patena formans signum crucis se ipsum signat, ita tamen, ut hostia non egrediatur limites patenae, dicensque secreto: *Corpus Domini nostri Jesu Christi,* versus faciem suam incipit, continuat lineam versus pectus, caputque ad nomen Jesus profunde inclinat, tum hostiam ad medium ejusdem lineae elevans format lineam transversam a sua sinistra ad dextram, dicens porro secrete: *custodiat animam meam in vitam aeternam, Amen.* Quibus dictis, se inclinans et cubitis super altare positis, statim et absque ulla oratione vel meditatione easdem hostiae partes reverenter sumit; quibus sumptis deponit patenam extra locum hostiae partim super corporale et partim supra pedem calicis versus cornu evangelii et extersis super eandem patenam digitis se erigit et manibus ante faciem junctis (indicibus et pollicibus clausis) aliquantulum quiescit in meditatione ss. sacramenti.

Finita meditatione extremitates trium ultimorum digitorum sinistrae ponit supra pedem calicis, et inter indicem et medium digitum dextrae acceptam pallam de calice deponit ad locum ordinarium, interim dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* dein depositis hinc inde manibus super corporale genuflectit, surgit et accipit inter indicem et digitum medium primo dextrae, et dein sinistrae manus patenam, perlustrans sique fragmenta quiescant in ea et inventa indice dextrae in calicem immittit; tum remoto paulisper calice, ac accepta inter indicem et medium digitum dextrae patena, et dein accepta inter indicem et medium digitum sinistrae extremitate corporali illud paulisper elevat et patena, quam dextra tenet, sollicite quaesita colligit fragmenta. Post collectionem accipit inter indicem et medium digitum sinistrae patenam in ea praecise parte, qua eandem inter indicem et medium digitum dextrae intra collectionem tenuerat, et ita patenam elevat, supra os calicis atque anteriori, non vero laterali, parte indicis dextrae conquisita sedulo fragmenta, de patena intra calicem demittit; dein pollicem et indicem dextrae pariter supra calicem confricat, ut adhaerentes fors particulae similiter in calicem decidant.

Si adsint hostiae consecratae super corporale positae, pro alio tempore finita meditatione post sumptum corpus Domini statim, facta prius genuflectione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum et diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcunque minimum remaneat super corporale, quod si ibi fuerit, reponit in calicem.

Post extersionem patenae manum sinistram, in qua patenam retinet inter indicem et medium digitum deponit super corporale versus cornu evangelii, ac confricatis super ore calicis pollice et indice dextrae, inter ejusdem indicem et pollicem (clausum) et extremos digitos accipiens nodum calicis prosequitur secreto: *Calicem salutaris accipiam.* Hac oratione sic continuata et totaliter finita sinistram super altari relinquens dextra calicem elevat versus faciem suam, unde crucem formans sub linea versus pectus dicit secreto: *Sanguis D. N. J. C.,* caputque ad nomen Jesus profunde inclinat; tum calicem ad medium ejusdem lineae elevans format lineam transversam, a sua sinistra ad dextram et interim continuat: *custodiat animam meam in vitam aeternam, Amen;* facto signo crucis, quam sinistra tenet patenam supponit mento, absque tamen ejusdem attactu, stansque erecto corpore reverenter sumit totum sanguinem cum particula in calice posita, tam diligenter, ut ter calicem ori admoveat. Si particula hostiae in calice manserit, illam vel *dextrae in-*

dice adducet ad labium calicis, vel decentius cum purificatione sumet. Sanguine sumto celebrans deponit sinistram cum patena supra corporale, dextra vero porrigit ministro ad cornu epistolae stanti calicem super altari (si eo usque minister manum extendere valeat) calix tamen altare minime tanget et interim sacerdos dicens secrete: *Quod ore sumpsimus* . . . . et infusum a ministro vinum in tanta quantitate circiter quanta consecrata fuit, intra calicem ita circumaget, ut adhaerentes forte species consecratae vino misceantur. Dein patenam mento iterum supponit, et purificationem sumit, admovens bis ori eam praecise calicis partem, per quam sumsit et sanguinem.

Sumpta purificatione depositaque patena super corporale versus cornu evangelii, accipiens cuppam calicis, eandem tribus ultimis digitis utriusque manus complectitur, pollices vero et indices tenet supra os calicis unitos, quin tamen tangant eam labii partem, per quam fluxit sanguis. Deinde facta cruci capitis inclinatione profunda transit ad cornu epistolae, ubi minister primo vinum, et dein aquam, quorum neutrum omittendum est, fundit super pollices et indices, quo facto sacerdos calicem collocat super altare non procul a corporali, relinquens pollicem et indicem dextrae super ore calicis, et excussis guttulis a pollice et indice sinistrae supra os calicis atque inter indicem et medium digitum ejusdem sinistrae accepto purificatorio abstergit pollices et indices utriusque manus supra os calicis, dicens interim secreto: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi* . . . . Oratione hac finita digitisque abstersis purificatorium vel deponit juxta corporale, vel usu recepto ejus medium imponit indici sinistrae, ita ut ejus partes hinc et inde defluant.

Postea manibus junctis et pollice dextro in modum crucis sinistro super imposito revertitur ad medium altaris, ubi facta cruci inclinatione capitis profunda purificatorium, quod sinistra tenet supponit mento et dextra accipit nodum calicis, e quo sumit ablutionem unico, vel duplici haustu.

Tum dextra deponit calicem super corporale ad locum consuetum; dein utraque manu purificatorium ori admovet eoque os abstergit. Postea purificatorium super imponit ori calicis, ejusque nodum manu sinistra tenet et extremitatibus digitorum dextrae extensae purificatorium ad fundum cuppae deprimit, partem vero ejusdem purificatorii extra cuppam dependentem pollice premit, sicque calicem versus cornu epistolae paululum inclinatum, gyrando tergit in- et exterius. Dein calicem deponit ad locum ordinarium intra corporale, quem vestit purificatorio ita, ut ejus partes hinc et inde dependeant;

super purificatorium ponit cochlear et super utrumque patenam, quam palla tegit. Sic vestitum calicem collocat ad suam dextram, versus cornu epistolae et manu utraque plicat corporale, ita ut primo vertat ejus partem anteriorem, dein posteriorem tertio lateralem prope cornu epistolae et quarto lateralem prope cornu evangelii. Tum sinistra accipit bursam, in quam immittit corporale qua parte clausum est, bursamque cum incluso corporali sinistra versus cornu evangelii deponit, et dextra acceptum calicem ad medium altaris et velo cooperit, cui tandem super imponit bursam ita, ut pars ejus aperta parietem respiciat altaris. Vestito calice jungit manus et facta cruci inclinatione capitis profunda vadit ad cornu epistolae et ibidem legit junctis manibus ante pectus communionem.

Communio ideo appellatur, quia ab exordio ecclesiae omnes missae astantes participabant de corpore Christi. Olim duae communionis numerabantur genera. — Communio commercii seu mutuae cum reliquis fidelibus societatibus et communio eucharistica, quae prioris perfectio et finis est. Merati l. c. No. 35. Eucharisticae dicitur, quia communio cum oblatione habetque pro objecto corpus Christi verum, quum illa commercii in sola orationum participatione et fidelium consortio absolvatur. idem. Hic autem cantus (communio) in signum laetitiae est, intra viscera suscepti Dei et ideo cum laetitia cantabat illum cantum, unus ad alium quasi nuncians qualiter Deus susceptus sit ab eo et haec iteratio significabatur in psalmis, in voce exultationis, sonus exultantis. Albert. M. l. c. cap. 23.

Recte psalmographus de Domino loquens dixit: *et factus est in pace locus ejus* et Apostolus etiam ait: *pacem habete et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* Non ergo mirari debes, si saepius repetita imploratione docet ecclesia proxime ante communionem pacem a Deo petere, quae et omnia bona in se complectitur et dignum altissimo praeparet habitaculum. Hanc petitionem continet prima ex tribus orationibus, quae communioni praemittuntur; postquam in secunda remissionem postulas peccatorum et donum perseverantiae. Tertia vero timorem in te excitat ne panis vitae et potus aeternae salutis *proveniat tibi in judicium et condemnationem;* sed mox fiduciam concipies, sperans ut meritis Christi *tibi prosit ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam.* Tum genuflexus Deum adorabis ardentissimum concipiens desiderium ipsum in sacramento suscipiendi cum versiculum illum profers: *panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.*

Cum dicis *Domine, non sum dignus* confitere indignitatem tuam, sed simul agnosce Dei omnipotentiam et misericordiam sequentibus verbis: *sed tantum dic* etc. te autem indignum

fateberis primo propter peccata tua, secundo ob vilitatem naturae tuae, tertio quia ex te nihil es, nihil habes, nihil potes.

Ante communionem subsiste aliquantulum et praecipuarum virtutum humilitatis, fidei, spei, caritatis, contritionis, abnegationis et adorationis actus breviter elice, quos sequenti vel simili modo formabis. Quamvis autem longiusculi videantur, si tamen memoriae bene impressos habebis, fient tibi ex ipso usu et agilitate a Deo tributa adeo familiares, ut quasi in instanti eos mente depromas.

„Ita est Domine Jesu, indignissimus sum, quia omnibus „peccatoribus et ipsis damnatis deterior sum, indignus omni „bono et dignus omni malo. Fretus tamen pietate et mise„ricordia tua infinita *te sumere praesumo*. Credo Domine „quidquid credit a te edocta s. romana Ecclesia et quidquid „illa damnat ego pariter damno, et anathematizo. Spero a „te et peto omnia auxilia necessaria pro consequenda mea „perfectione et salute aeterna tuis infinitis meritis et Sancto„rum tuorum opitulationi et communioni innixus. Gaudeo „et exulto de omni bono et gloria tua ejusque propagationem „quam maximam desidero. Omnia peccata mea quantum „possum detestor propter te, paratus pro iis plenissime in „hac vita satisfacere, ut anima mea purissimum tuae majes„tatis habitaculum semper sit. Parco omnibus, qui me ali„qua molestia offecerunt aut deinceps afficient et eos propter „te sincere amo. Offero me ad omnia mala poenae juxta „beneplacitum tuum toleranda, renuntians voluntati, judicio, „amori proprio ac libertati meque tibi resignans cum omni„modo indifferentia. Te denique summum bonum meum „suppliciter adoro, et precor per illam amaritudinem, quam „sustinuisti pro me in cruce, maxime in illa hora quando „anima tua egressa est de corpore tuo, ut miserearis animae „meae in egressu suo.“ Sumpturus sanguinem considera te nihil habere, quo digne possis pro Christi corpore, quod sumpsisti, gratias agere; et ideo paris valoris sanguinem offerrens dices magno spiritu verba illa: *Quid retribuam Domino* cum sequentibus orationibus, quae sumpto sanguine dici debent.

Quia vero post communionem aliqua mora intercedit, dum abluitur calix, complicatur corporale, extenditur velum; ea durante eos affectus breviter et ferventer elicies, qui magnis principibus exhiberi solent, cum alicujus domum dignantur invisere. 1) Itaque tantum hospitem adorabis in ejus divinitate et humanitate. 2) Gratias ages, quod ad te tam indignum venire dignatus sit, et pro aliis beneficiis generalibus et particularibus. 3) Splendide eum tractabis, praebendo illi omnia, quae a te desiderat, detestando scilicet omnia peccata; renovando vota et bona proposita; proponendo ab iis absti-

nere, quae illi displicent et facere semper, quod melius est; offerendo te paratum ad omnem crucem et molestiam. 4) Petes a tanto rege, qui omnia potest, quidquid tibi et aliis vivis et defunctis est necessarium. — C. Bona Thes. ascet. de sacrif. Missae pag. 133—135.

Q. II. *Praecatiunculae sacerdotis sumptionem corporis et sanguinis praecedentes et consequentes, unde desumptae sunt?*

℟. Verba sumptionem corporis praecedentia: *Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo* excerpta sunt e psalmo 115. ita tamen, ut ecclesia versiculum hunc praesenti accommodans actioni, loco vocis: *calicem,* substituerit: *panem.* Est hic animae Deo suo intime uniendae jubilus. Quid est invocare? quaerit Augustinus, nisi in se vocare. Haec precatiuncula, quae diversa in diversis fuit relata missalibus, saeculo XIV in ordine romano XIV stabilem nacta est sedem *)..

Altera oratio: *Domine, non sum dignus* . . . . autorem habet centurionem, qui Matthaeo octavo Christum rogasse legitur, ut suum solo sermone sanare dignaretur servum: *tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Ultimis his voculis duabus surrogatae sunt hae: *anima mea.* Continet haec oratio humilitatem profundam: *Domine, non sum dignus;* fidem praecellentem, tantum dic verbo, et fiduciam firmam et sanabitur puer meus **).

Est το: Domine, non sum dignus, humilitatis fideique actibus plenum et ideo ter repetitum, jam tempore Origenis, ut iteratum reperitur. Hom. V. in divinis loco Evang.

Hanc vel similem apologiam, sive indignitatis contestationem fideles divinorum semper praemisisse perceptioni misteriorum inter caeteros, qui id testantur patres. Origenes tradit homil. V. in diversa Evangelii loca: Quando s. cibum, inquit, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitae pane et poculo frueris, manducas et bibis corpus et sanguinem domini; tunc dominus sub tectum ingreditur, et tu ergo humilians te ipsum imitare hunc centurionem, et dicito: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Libri tamen antiquiores hanc orationem a sacerdote dicendam non referunt. Ordo romanus XIV. tandem liturgiae eandem inseruit.

Sumpto corpore Domini dicit sacerdos: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* quae verba ex eodem desumpta psalmo 115. quam belle sonant in sacerdotis ore? Qui enim datum a Deo Deum intra se possidet, profecto possidet omnia. Ideoque

*) Romsee l. c. pag. 360. — **) Romsee l. c. pag. 362.

sacerdos se reddendae condignae gratiarum actioni prorsus imparem se agnoscens exclamat: *Quid retribuam* . . . . . *). Haec etenim oratio ab antiquioribus non relata ordinibus romanis ab ordine romano XIV. ad liturgiam assumpta est.

Oratio: *Calicem salutaris* . . . . . ad eundem spectat psalmum 115.; ast verba subsequentia: *Laudans invocabo Dominum* . . . . e psalmo 117. accepta sunt, quae in liturgia stabilem non invenire locum ante saeculum XIV, quo ordo romanus XIV eadem, uti et illa: *Corpus Domini nostri J. C.* liturgiae asseruit; alia vero: *Sanguis Domini nostri J. C.* . . . . . a Pio V. in missali reformato addita fuere.

Oratio: *Quod ore sumpsimus* . . . . vetustissima, ordini romano IV. inserta legitur. Hac oratione postulat sacerdos, ut corpus et sanguinem Domini, sicut pura suscepit mente, ita conservet; atque munus temporale sive transiens contra praesentis tentationes vitae remedium fiat aeternum, futuraeque gloriae pignus. His denique addit sacerdos: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis,* inseparabiliter animae meae, et praesta, ut non remaneat in me scelerum, ne venialium quidem *macula,* quem pura et sancta refecerunt sacramenta, qui vivis . . . Haec oratio ab ordine romano XIV. primum ad liturgiam assumpta fuit.

Q. III. *An idem olim, qui nunc in purificatione calicis et digitorum ablutione servabatur ritus?*

℞. Vetustissimi libri omnes et ordines testantur romani, sacerdotem sumto olim sanguine manus simpliciter lavasse, et aquam lotionis in sacram missam fuisse byssinam.

Quoad calicis purificationem tradit le Brun tom. I. p. 633. Episcopos quondam particulam hostiae calici immissam, una cum sanguine, qui supererat sumendam reliquisse Diacono et Subdiacono, quem morem in Missa solemni summo retinere pontificem refert Bona lib. II. c. 17. §. 8. Qui cap. 20. §. 1. fatetur, non compertum esse satis, quo quondam modo calix post sumptionem sanguinis ablueretur. Hoc interim certum esse, summam ministros altaris adhibuisse diligentiam, ne particulae sanguinis aut corporis ullae remanerent, iis exceptis, quae pro infirmis servabantur. Notat insuper in ordine romano ablutionis digitorum quidem fieri mentionem, ast non purificationis calicis, quae nunc a sacerdote sumitur; tantummodo moneri

---

*) Romsee l. c. p. 365.

Diaconum, ut caute procuret, ne quid in calice aut patena sanguinis vel corporis supersit *).

Interim de purificatione, quae fit solo vino decernit Innoc. III in cap. ex parte de celebrat. Miss., ut sumpto sanguine celebrans calicem vino perfundat, et vinum perfusionis sumat excepto casu secundae Missae ab ipso celebrandae.

Durandus eodem saeculo XIII, quo floruit Innoc. c. 55. l. 4. No. 1. inquit: Perfusionis autem aqua debet in locum mundum et honestum diffundi et No. tertio addit: Sacerdos digitos perfundit, et perfusionem sumit in dextro cornu altaris, vel saltem provolutus ad illud. Ex his inferri licet, illo aevo purificationem calicis non ubique saltem fixum habuisse ritum. Ast paulo post *Concilium Coloniense* anno 1280 decrevit, ut ablutio vino perficeretur et aqua; quod idem tandem statuit ordo romanus XIV., praescriptis igitur calicis purificationibus, quas sumere debet celebrans, cessavit mos mittendi ablutionem in locum mundum sive in s. byssinam. Igitur conformiter statuto ordinis romani observat Merati cum aliis tom. I p. 2. t. 10. N. 21., absque indulto pontificio, quando non est causa sufficiens, quae excuset, non licere omissa aqua solo digitos abluere vino.

Q. IV. *Communio, quam vestito calice legit sacerdos ad cornu epistolae, unde hoc habet nomen?*

℟. Communio, vel uti antiqui loquuntur: *Antiphona ad communionem* nomen suum derivat a communione populi. Ritu siquidem antiquissimo sub populi communione cantabatur antiphona, post quam, prout scribit Micrologus cap. 18. concinnabatur psalmus idem, e quo deprompta erat antiphona, vel si non e psalmo quodam, sed aliunde foret composita, psalmus ad Introitum repetebatur, cui, si is non duravit ad completam usque communionem, alius addebatur psalmus **). Populi tandem communione finita, et innuente celebrante cessabat psalmi cantus, et mox chorus cantabat: *Gloria Patri* . . . et dein antiphonam repetebat. Hunc morem refert Augustinus lib. 2. retractationum cap. XI., ut hymni ad altare dicerentur de psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur communio. Eundem ritum adstruunt ordines romani I, II, III. Cum tandem privatae multiplicarentur Missae, et in solemnibus quoque populi desinere coepisset communio, tractim psalmo omisso sola fuit retenta antiphona. Unde Durandus saeculo XIII. eandem antiphonam vocat:

---

*) Romsee tom. IV. p. 376. — **) Romsee l. c. p. 400. l. 401.

Postcommunionem, eo quod non amplius *sub* communione, sed *post* communionem populi cantaretur. In aliis dein libris omnibus subsequentibus eadem sine psalmo legitur antiphona.

Q. *Daturne vera obligatio necessitasque pro sacerdote s. communionem in Missae sacrificio sumendi?*

℟. Omnino. Nam communio sacerdotis etsi de essentia sacrificii non sit, est tamen principalis *integrativa* sacrificii quippe ad perficiendum, vel absolvendum sacrificium necessaria, quia sine illa sacrificium omnibus suis partibus completum non erit; voluitque omni tempore ecclesia, ut sacerdos sub duabus speciebus communionem accipiat, ita quidem, ut si casu celebrans ab ea praepediretur alius sacerdos succedere debeat, qui illius loco communicet. Christus Dominus hocce sacrificium non tantum instituit, sed ipsemet in ultima coena sumpsit, quod ipsi Apostoli praestiterunt dum erant perseverantes in communione fractionis panis. — Act. II. 42. Cor. X. 15.

Indecens est post sumptam sacram Eucharistiam *statim* expuere; si vero quis catarrhi aut alterius infirmitatis necessitate exspuere citius cogatur — (et non devorare vel supprimere queat.) non quidem in terram ubi conculcetur expuat, sed in parietem angulum (vas cum arena appositum) aut sudariolum ubi sine aliqua irreverentia exsiccetur, habenda autem ratio utrum sputum descendat ex capite, an vero ex pectore, nam hoc plus periculi et irreverentiae continet. Bonocino, Logmann, Navarus in Manuali c. 25. N. 89. —

Est autem legitimum tempus communicandi ante ultimam orationem, quae dicitur ad complendum, quia ejus petitio maxime pro eis est, qui communicant, unde etiam eorum, qui per singulas Missas communicare volunt accedendi videtur voluntas, quia per totam Missam pro eis maxime et quasi nominatim oratur, qui ibi offerunt et communicant. Possumus et debemus, ut earum sancta Missarum celebratio non paucis, sed multis prodesse credatur, dicere, caeteros et in fide et in devotione offerentium et communicantium persistentes ejusdem oblationis et communionis dici et esse participes, et quamvis cum voce soli sacerdotis Missam celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperatores pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, et quorum personam in quibusdam responsionibus exequitur sacerdos; tamen fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui intersunt sacerdos, respondens et offerens atque communicans, sicut ipsa precum compositio evidenti ratione demonstrat. Walefrid l. c, c. 22.

§. XXIX.

De Communione populi.

Q. I. *Quae pro communione populi intra Missam observanda praescribit rubrica?*

℟. Siqui sint communicandi in Missa, sacerdos post sumptionem sanguinis, antequam se purificat, calicem super corporale paululum versus cornu evangelii collocatum palla tegit, deinde manibus hinc inde intra corporale depositis, facta genuflectione, ponit particulas consecratas in pyxidem, vel si pauci sint communicandi super patenam, nisi a principio Missae positae fuerint in pyxide, seu in alium calicem *).

Interim minister ante communicandos extendit linteum seu velum album, et pro eis facit confessionem dicens: *Confiteor Deo* ..... Quodsi hostiae intra Missam non fuerint consecratae, calice tecto aperit tabernaculum, quo aperto statim genuflectit et erectus accipit pyxidem, atque operculo ab eadem versus cornu epistolae deposito, factaque a ministro confessione, iterum genuflectit, surgit et manibus ante pectus junctis, non disjunctis tamen pollicibus et indicibus, vertit se ad populum extra altaris medium versus cornu evangelii, dicitque voce aliquantulum elata et gravi: *Misereatur vestri* .... et dicturus: *Indulgentiam* .... sinistram suam ponit ante pectus, ita ut palma coelum respiciat et dextra format signum crucis super communicandos prosequens: *Indulgentiam, absolutionem* .... dein eadem, qua a medio recesserat, via ad idem medium revertens ibidem genuflectit et erectus accipit sinistra nodum pyxidis inter indicem et reliquos extremos digitos sinistrae et purificatorium distinctum a calicis purificatorio inter nodum pyxidis et suum indicem ita adaptat, ut ejus pars media supra pollicem et indicem sinistrae dependeat; sive accipit patenam, sicuti ad *Domine, non sum dignus*, si in ea sit sacramentum: Tunc dextra sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam, super pyxidem seu patenam et conversus ad communicandos in medio altaris (sive coram exposito ss. sacramento ad cornu evangelii) dicit voce aliquantulum elata: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, et deinde: *Domine, non sum dignus, ut* .... Quibus verbis tertio prolatis, accedit oculis in sacramentum intentis, ad communicandorum dextram i. e. cornu epistolae et unicuique porrigit sacramentum, fa-

*) Romsee l. c. p. 393. N. II.

ciens eodem signum crucis super pyxide vel patena, et simul dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Christi* . . . inclinans caput profunde nomini Jesu.

NB. Purificatorium adaptat inter nodum pyxidis.

Omissio purificatorii assumendi est negligentiae et indecentiae, aeque ac si fiat, ut in hac re extremitates inferiores et exteriores pollicis et indicis inter se clausorum, qui in distributione sacrarum specierum hinc et illic oris interna attingerant non abstergantur; quo fiat, ut saliva de uno ore in aliud immittatur. — Unde nausea orcurrenda vomitum producere potest.

Consultum est sacerdoti distribuenti populo communionem, tenere sinistra purificatorium cum pyxide, ut cum opus fuerit, digitos exsiccet parte madidos aliquorum linguae, vel oris contactu, ne hostiae fiant madidae et sequatur incongruum, sed prius, quam tergat advertat ne, quae adhaeserint particulae, quos honeste in pyxidem rejiciat. — Vinitoris l. c. p. 211. 212.

Distribuente populo communionem alio jam celebrante in eodem altari aut proxime consecrationem et faciente elevationem, subsistat, donec is elevationem fecerit, idque non genuflexus, sed erectus tenens Ciborium in manibus; aliqua tamen capitis pronioris submissione, dum is consecrata elevat, deinde pergit distribuere. Idem l. c. et p.

Omnibus communicatis revertitur sacerdos ad altare nil dicens, et constanter retinens pollicem indici dextrae unitum, supra pyxidem vel patenam, qua super corporale extra locum hostiae deposita, genuflectit et erectus pyxidem cooperit inque tabernaculum reponit, quod praevia genuflectione claudit; et non dat manu benedictionem, quia eam daturus est in fine Missae. Si particulae fuerint positae super corporale, sacerdos patena quaerit fragmenta, si forte quaedam supersint, et inventa in calicem immittit, praevie tamen collectis tractim in fundo calicis sanguinis guttulis sumtis. Dein dicit secreto: *Quod ore sumpsimus* . . . . et reliqua facit, uti supra. Quodsi in altare remaneant particulae in pyxide seu in alio vase usque ad finem Missae, serventur ea quoad genuflectiones et reliqua, quae feria V. in coena Domini praescribuntur circa finem Missae.

Q. II. *Quae fuit diversa diversis temporibus ecclesiae disciplina circa frequentem, vel minus frequentem usum populi communione?*

℟. Acta Apostolorum, queis accedunt patres Apostolorum temporibus viciniores, testantur, eam nascentis ecclesiae primorumque ejusdem saeculorum fuisse disciplinam, ut fideles, quorum erat cor unum et anima una, quotidie permanserint in communicatione, frac-

tionis panis ita quidem, ut nulli sacris liceret interesse mysteriis, qui de oblatis participare non posset *).

Justinus martyr apol. 2. saepe citata — autor constitutionum apostolicarum l. 8. cap. 20. — autor libri de ecclesiastica hierarchia cap. 3. — Cyprianus libro de oratione, aliique eandem concordi referunt calamo disciplinam. Quin eo usque fidelium exarserat fervor, ut existimarint quidam, pluribus praesentes Missis, in singulis quoque de divinis debere participare mysteriis, uti scribit Walefridus Strabo cap. 22. sub finem; quos non reprehendit, nam et *ipse sacerdos* inquit, quoties in die Missas facit, communionem non omittit.

Hic fidelium fervor languescere coepit citius in Oriente, quam in Occidente; quo super in homiliis saepe conqueruntur Athanasius, Chrysostomus: aliique patres graeci. In occidentalibus vero quibusdam ecclesiis ad finem usque saeculi IV., et initium V. quotidianam viguisse populi communionem, testes sunt Hieronymus epist. 50 *ad* Pammachium/ Augustinus epist. 118. ad Januarium. Ambrositus lib. 1. de sacramentis c. 4. Ast refrigescente in dies magis magisque caritate, tam rara evasit populi communio, ut non monitis tantum, sed et minis ad aliquando saltem sumendam in anno communionem invitare et compellere fideles oportuerit. Unde synodus Agathensis saeculo VI. canone 18. decrevit: Saeculares, qui in natali Domini, pascha et pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Conc. Turonense II. sub Leone III. sancivit pariter, ut ter saltem in anno populus communicaret. Sed caritatis fervor tandem ne ternas has quidem vices aequabat. Ideoque Innoc. III. in Lateranensi concilio anno 1215 in canone: Omnis utriusque sexus fidelis, mandavit, ut saltem *semel* in anno, et quidem in Paschate fidelis quilibet post discretionis annos sanctam sumeret communionem, alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christianae careat sepultura. Hoc idem decretum confirmavit synodus tridentina sess. 13. c. 9. de eucharistia, quanquam eadem s. synodus sess. 22. c. 6. de sacrif. Missae optet, ut in singulis Missis fideles astantes sacramentali eucharistiae perceptione communicarent.

Observat Bona l. 2. cap. 17. §. 2. in Missa solemni ab aliquibus ecclesiis retentam esse ministrorum communionem, moremque hunc in aliquibus Romae Basilicis emortuum apostolicae visitationis decreto resuscitatum fuisse sapientissimo sane concilio, ne, inquit, in

*) Romsee l. c. p. 383. N. IV.

desuetudinem abeat antiquissimus ecclesiae ritus, sine quo vix possunt intelligi, quae in liturgicis orationibus quotidie recitantur.

Q. III. *Quem ritum in distributione eucharistiae antiqua servabat disciplina?*

R. Refert Baronius anno 57. No. 146. ex Athanasio et Chrysostomo, pro fidelium communione a ministris praeparatas fuisse mensulas, quae erant tabellae spongia perpolitae, quarum vices hodie agunt linteamina pro excipiendis, siquae deciderint, sacris speciebus expansa .... Sacerdos communionem distribuens hac utebatur formula: *Corpus Domini;* et accipiens suam de reali Christi praesentia fidem profitens respondebat, Amen *).

Hunc ritum refert autor constitut. apostolicarum l. 8. cap. 13. Episcopus tribuat oblationem dicens: *Corpus Christi,* et accipiens dicat: *Amen;* Diaconus vero tribuat calicem dicens: *Sanguis Christi, poculum salutis,* et bibens dicat: *Amen.* Eundem allegant morem Cornelius Papa epist. ad Fabium Antioch. Tertullian: de spectaculis c. 25. Ambrosius l. 4. de sacramentis cap. 5. aliique plurimi.

Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni l. 2. scribit: hanc eo tempore viguisse formulam. Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam. Alcuinus hanc suo consuetam tempore tradit, hodiernae nostrae simillimam: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam aeternam.* Graeci nomen communicantis exprimentis hac utuntur formula: *Sumis serve Dei N. pretiosum et sanctum corpus et sanguinem Domini et salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum tuorum, et vitam aeternam.* Hunc quoque morem a nostro diversum servabat antiquitas, ut eucharistiam non ore exciperent communicantes, sed manu. Tertullian: in libro de Idololatria ingemiscens quorundam impietati christianorum ab idolis ad ecclesiam euntium conqueritur, *eas* manus admoveri corpori Domini, quae daemonis corpora conferunt, (idola gentibus fabricant)! Contra manus praecidendae! De eodem ecclesiae ritu agit Cyprianus epist. 56. ad Thibaritanos et Basilius M. epist. 128. ad Caesaream patritiam.

Excepturus vero s. species dextram imponebat sinistrae in modum crucis, quam manuum compositionem docet Cyrillus hierosol. catechesis mystagog.: Accedens, inquit, ad communionem, non expansis manuum velis accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram velut sedem quandam subjiciens dextrae, quae tantum regem susceptura est, et concava manu suscipe corpus Christi dicens, Amen.

---

*) Romsee l. c. p. 379 et 389.

Hunc pariter ritum decrevit synodus Trullana cap. 101., siquis immaculati corporis particeps esse voluerit, et offerre se ad communionem, manus in crucis formam figurans sic accedat. Itaque sic manu exceptam eucharistiam reverenter ori admovebant viri, ast non manu nuda mulieres, sed substrato linteolo, quod *Dominicale* appellabatur, Christi corpus excipiebant. Ita decrevit synodus Antisiodorensis c. 36. Non licet mulieri, nuda manu eucharistiam accipere. S. August. ad eundem receptum in Africa morem provocans sermone 252. de tempore inquit: Mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi excipiant, sic corpus castum et cor mundum exhibeant.

Saeviente persecutione hanc etiam fidelibus facultatem indulgebat ecclesia, ut species s. a sacerdote acceptas secum domum deferre et congruo possent sumere tempore. Cum enim coetus agere, vel ad eosdem convenire non toleraret persecutio, hinc, ut domi de sacris possent participare mysteriis, fideles, providebat ecclesia, ut pane fortium roborati ad quaecunque pro fide obeunda certamina constantiores redderentur. De hac ecclesiae disciplina loquuntur, Tertull. lib. 2. ad uxorem c. 5. Cyprius libro de spectaculis. Hieronymus epist ad Pammachium.

Quodsi ob infirmitatem, senium, carcerem, similemque causam canonicam sacris aliqui non possent interesse mysteriis, ad hos absentes mittebatur s. eucharistia. Justinus M. citat apolog. 2. scribit: Diaconi distribuunt unicuique praesenti, et ad absentes perferunt. Dionysius Alex. apud Eusebium lib. 6. c. 44. refert, seni cuidam Serapioni sanctam fuisse missam particulam a presbytero per puerum laicum, qui eam aquae intinctam in os senis infudit, qui protinus animam Deo reddidit. Idem Eusebius lib. 5. c. 24. testatur a summis pontificibus Victoris antecessoribus transmissam fuisse eucharistiam diversarum ecclesiarum presbyteris, seu episcopis in signum mutuae communionis.

E pluribus etiam sacrae antiquitatis monumentis constat, iter ingressuros longum sacram secum detulisse eucharistiam. Testatur Petrus Arcudius l. 3. de sacramentis c. 59. apud monachos graecos adhuc eundem hodie servari morem. Angelus Rocca in commentario de hoc ritu scribit: Pontificem romanum iter extra urbem agentem longum solere secum deferre eucharistiam, quaecum magnifico et religioso ipso comitatu praecedit, atque ejusdem originem idem autor refert ad priscum, de quo loquebatur morem.

Cum tandem mos secum deferrendi eucharistiam in frequentes

degenerasset abusus, ac fraudes, atque sacrilegia, non raram inde occasionem nanciscerentur, conc. Caesar. Augustanum sub Damaso can. 3. decrevit: ut siquis probaretur eucharistiae gratiam in ecclesia non sumpsisse, anathema esset in perpetuum. Toletana synodus I. anno 400 celebrata c. 14. sancivit pariter: Siquis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus appellatur.

Ex his interim canonibus inferre nil aliud licet, quam sublatum fuisse morem eucharistiam deferendi; ast ea inde nondum legitur correcta disciplina, quae laicis eucharistiam propriis sibi dare manibus permittebat. Nec compertum satis est, quo ista tempore exoleverit. Refert Morinus de s. ordinationibus p. 3. exercitat 12. cap. 3. se in ordine romano ante annos septingentos conscripto sequens legisse decretum: Presbyteri ergo et Diaconi osculando episcopum, corpus Christi ab eo manibus accipiant, in sinistra parte altaris communicaturi; Subdiaconi autem osculando manum episcopi, ore accipiant corpus Christi ab eo. Igitur ne subdiaconis quidem eo tempore propriis sese communicare manibus permittebatur. Ambiendum itaque minime, quin etiam laicis ea fuerit adempta facultas. Conc. Trullanum can. 58, pariter cavit, nequis eorum, qui sunt in ordine laicorum, divina sibi mysteria impertiret, praesente episcopo, vel presbytero, vel Diacono. Cum caeteroqui ea, quae ad disciplinam spectant, in variis variare soleant ecclesiis, haec ipsa varietas opinari suadet, morem propriis sese communicandi manibus non statim ubique, sed tractim in desuetudinem abiisse.

Cum interim primis ecclesiae saeculis, eucharistiam domum deferendi facultatem laicis fecerit ecclesia, credere profecto oportet, piam hanc providamque matrem a potiori eandem pro infirmorum communione in ecclesiis asservasse. Praxin hanc indigitat Optatus Milevitanus lib. 2, cum a Donatistis traditam canibus narrat eucharistiam, eosque ultricem Dei manum extemplo sensisse. Canes enim rabie accensi homines ipsos vindice laniarunt dente. Eundem morem pro infirmis asservandi eucharistiam allegat Cyrillus Alex. in epist. ad Coelosyrium praefixa libro adversus Antropomorphitas. Notissimae insuper e s. historia sunt, turritae aediculae; pariter et argenteae aureaeque appensae columbae, in quibus sacra reverenter custodiebatur eucharistia. Canon etiam tertius Conc. Turonensis II. supra §. 4. Q. II. relatus eandem contestatur disciplinam, ut corpus Domini in altari, non in armario, sed sub crucis titulo componatur. Bona lib. II. cap. 17. §. 6. loco in armario legit: non in imaginario ordine, i. e. uti exponit, non in ordine imaginum.

Quanquam vero infirmis asservatam in ecclesiis eucharistiam inconcussa antiquitatis monumenta testantur, nullibi tamen eandem pro sanis reservatam legimus. Cum enim quondam nullus esset extra sacrificii actionem communionis usus, solo casu communionis domi sumptae excepto; hinc posterioribus primum temporibus praxis, etiam pro sanis extra sacrificium communicandis, asservandi eucharistiam coepit. Morinus lib. 8. de poenitentia cap. 14 tradit: a mendicantibus primum eandem praxin fuisse introductam, et ab aliis deinde usurpatam, ipso rituali romano refragante, in quo nunc etiam decernitur, eucharistiam pro infirmis asservari.

Q. IV. *Quis inter communicantes quondam ordo vigebat?*

℟. Celebrans ipse sacra se reficiebat communione, eandem deinde dispensabat primo episcopis, siqui aderant, vel presbyteris concelebrantibus. Secundo Diaconis, Subdiaconis, clericis, monachis, diaconissis et sacris virginibus. Tertio adjuvantibus presbyteris, eandem distribuebat laicis, primo viris dein separatim mulieribus*).

Hic ordo in calicis etiam dispensatione cum hac tamen servabatur differentia, quod presbyteri eundem sibimetipsis praeberent, et hi Diaconis, Diaconi vero reliquis eundem calicem ministrarent. — Si tandem de loco, in quo singuli enumerati sacra reficiebantur eucharistia, quaeratur? Celebrans in medio altaris, alii presbyteri in circuitu, Diaconi retro altare, Subdiaconi et clerici in limine sanctuarii sive in choro, reliqui extra cancellos communicabant. Ordo hic a Romana diu custoditus ecclesia, paulatim Romae alibique variare coepit.

Q. V. *Quos ritus et quas caeremonias pro communione populi hodierna praescribit disciplina?*

℟. Pro populi communione sequens proderit praemisisse decretum ritualis romani de sacramento eucharistiae. Communio autem populi infra Missam fieri debet, (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda,) cum orationes, quae in Missa post communionem dicuntur, non solum sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectant. Unde etiam in actis Mediolanensis ecclesiae pag. 597. S. Carolus Borromaeus hoc institutum, inquit, parochus servare studeat, ut quod antiquissimi ritus est, intra Missarum solemnia post sanguinis sumptionem praebeat eucharistiam **).

Sola tamen excipienda venit Missa pro defunctis, si sacerdos

---

*) Romsee l. c. p. 396. N. IV. — **) Romsee l. c. p. 392 et tom. 1mo p. 148.

in eadem populi communione hostias non consecraverit. S. enim R. C. 2. Septemb. 1741 referente Talu vetuit, ne in Missa defunctorum populo dispensetur eucharistia ex hostiis in alia Missa consecratis. Quodsi a contrario in defunctorum Missa hostias consecraverit sacerdos, easdem in eadem Missa dispensare posse idem decretum indulget. Sicut enim ob colorem nigrum celebrans vetatur minime seipsum communicare, ita ob eundem colorem de eadem sacrificii hostia participare non prohibetur populus. Colligere id pariter licet e Tridentino sess. 22. cap. 6. e verbis quoque Canonis, ut quotquot ex hac altaris participatione sacramentum fidei tuae corpus et sanguinem sumpserimus; tandem ex ipsis rubricae verbis Missae etiam de requiem insertis: Siqui sint communicandi eos communicet, antequam se purificet.

Ritum vero in dispensanda populo eucharistia intra Missam, vide quaest. 1. pag. 447.

Quodsi rationabili ex causa extra Missam dispensetur eucharistia, sequentia praecedentibus addenda veniunt: Sacerdos itaque *lotis manibus* ac toga talari, superpelliceo, atque stola coloris officii induitur; minister dein defert ad altare bursam cum incluso corporali, purificatorium et clavem tabernaculi, duosque accendit cereos. His praeviis sacerdos junctis ante pectus manibus, oculisque ad terram demissis gressu lento ac gravi ad altare procedit, in cujus gradu infimo flectit uno genu, et erectus ascendit ad altaris medium, ibique facta cruci inclinatione capitis profunda, acceptum dextra corporale e bursa utraque manu extendit supra altare. Dein tabernaculum aperit, quo aperto genuflectit, et acceptam e tabernaculo sacram pyxidem, dextra super corporale deponit atque sublato de eadem et extra corporale versus cornu epistolae deposito operculo, factaque a ministro confessione genuflectit iterum, et proprio cornu evangelii conversus ad populum, junctis manibus dicit: Misereatur vestri et reliqua continuat, quae tradit responsio ad Q. I.

Dispensata omnibus communione redit ad altare, et deposita super corporale pyxide genuflectit et erectus perlustrat pollicem et indicem dextrae super pyxide et eisdem particulas fors adhaerentes confricando in pyxidem immittit, quam operculo tegit et in tabernaculum reponit, quod praevia genuflectione claudit. Dein pollicem et indicem dextrae in vase ad id praeparato abluit et purificatorio tergit. Rituale romanum, cui consonat Agenda Coloniensis, hortatur, ut ante repositionem s. pyxidis utroque genu flexus sacerdos dicat: *O sacrum convivium*, cum versu: *Cibavit eos ex adipe frumenti*,

et erectus orationem de venerabili. Tempore paschali antiphonae et versui addit: *Alleluja*, ac orationi de venerabili hanc substituit: *Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes, p. C. D. n.*

Tandem ante descensum ab altari, ad illud conversus manus ante pectus junctas extendit et elevat versus humeros, oculisque ad crucem elevatis interim dicat: *Benedictio Dei omnipotentis,* tum oculis demissis, junctisque iterum ante pectus manibus, factaque crucis inclinatione profunda capitis se vertit ad populum et manum sinistram ante pectus ponens dextra format signum crucis dicens: Sub prima linea *patris et filii,* et sub transversa: *et Spiritus sancti,* dein junctis manibus prosequitur: *descendat super vos et maneat semper,* et minister respondet: *Amen.* Denique ad altare conversus plicat corporale et in bursam immittit, quam una cum clavi tabernaculi et purificatorio super impositis, minister extinctis cereis ad sacrarium deferet. Dein sacerdos cruci inclinatione capitis profunda descendit et in infimo altaris gradu uno genu flectit et junctis ante pectus manibus recedit.

Scriptores ritualistae communiter e rubricis eruunt, benedictionem populo sacra cum pyxide dandam non esse, solo excepto casu viatici, hoc enim dato, rituale romanum praescribit. Sacramento benedictionem esse aegrotanti impertiendam, sed in silentio et absque oratione.

Q. VI. *An sub una, vel utraque specie olim communicarunt fideles?*

℟. Certissima antiquitatis monumenta demonstrant, communionem sub utraque specie tunc olim fuisse administratam, quando solemni Missarum celebrationi fideles intererant, offerebant et de oblatis participabant. Duravit haec disciplina usque ad saeculum XII, quo inchoante plures episcopi gravissimis permoti rationibus usum calicis populo interdicere coeperunt, quanquam saeculo XIII. nondum ubique usus ille obsolevisset *).

S. Thomas enim parte III. Q. 80. art. 12 scribit: Provide in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sumendus sanguis non detur. Sic in quibusdam ecclesiis, non igitur in omnibus. Cum tandem anno 1415. Joannes Hus et Hieronymus Pragensis illum per Bohemiam spargerent errorem, necessarium esse, sub utraque specie sacra sumere mysteria, patres concilii Constantiensis sess. 13. sta-

*) Romsee l. c. p. 380. N. II.

tuere, pro lege habendam esse consuetudinem jam receptam, ministrandi sacramentum sub specie panis duntaxat, eumque condemnandum, qui hujusmodi auderet improbare consuetudinem; jussitque, ut episcopi hanc servare legem curarent. Idem anno 1437 adversus Taboritas et Calixtinos sancivit synodus Basiliensis, et tandem Conc. Tridentinum 1562 contra Lutheranos et Calvinistas.

Rationes vero, queis ducta ecclesia veterem immutavit disciplinam, sunt: 1. Effusionis periculum; 2. quorundam contra vinum nausea; 3. quorundam nausea etiam inde causata, quod post alios ex eodem oporteret bibere calice; 4. raritas vini in quibusdam locis; 5. ne occasionem inde sumeret populus opinandi, non totum sub una specie contineri Christum.

Quam certa nunc antiquitatis monumenta demonstrant, communionem sub utraque specie intra Missarum solemnia fuisse ministratam, tam indubitata quoque evincunt, in pluribus etiam casibus sub una tantum fuisse specie dispensatam. Eucharistia siquidem domi asservata, ad absentes missa, ad iter assumta, ab anachoretis in eremo percepta, totidem sunt certissima communionis sub specie panis tantum acceptae documenta. Quin salvator ipse discipulis in Emmaus sub sola panis specie seipsum dedit, uti s. probat historia, quam eo etiam modo exponit Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 25.

His adversatur minime canon Gelasii apud Gratianum de consecrat. dist. 2. Comperimus, quo praecipit pontifex, ut fideles aut integra sacramenta percipiant, aut integris arceantur. Manichaeos siquidem canon ferit, qui cum dicerent, vinum esse fel principis tenebrarum et a diabolo creatum, ideo communionem sub specierum vini sumere recusabant. Testatur id Leo Magnus sermone 4. de quadragesima, ubi fidelibus Manichaeos hoc manifestare voluit indicio, quod ore indigno, quidem corpus Christi acciperent, sanguinem autem redemtionis nostrae haurire omnino declinarent. Quo igitur medio detegendi latitantes inter Catholicos Manichaeos usus pridem fuerat, Leo, idem Gelasius arripuit, ut Romae deprehensi in exilium deportarentur, quorum etiam codices ante fores Basilicae S. Mariae igni fuere traditi. Tantum vero abest, ut allata de Manichaeis historia rei nostrae noceat, quin faveat maxime; si enim quicunque fideles sacrum semper sumpsissent sanguinem, necesse non erat sumendum eosdem hortari, ut Manichaei non sumentes tandem deprehenderentur, qui etiam inter Catholicos secure latitare potuissent minime, si fideles reliqui omnes semper gustassent sanguinem.

Graeci pariter durante tota Quadragesima (Sabbatis et Dominicis exceptis) sub una specie praesanctificatis utuntur; aegrotis etiam sub una tantum specie eucharistiam praebent, singulis quippe annis feria V. in coena Domini panem solito majorem consecrant, cujus quartam partem sumit sacerdos, et tres reliquas in minutas dividit particulas, quas *Meridas* et communiori vocabulo *Margaritas* appellant.

Panem hunc consecratum Christi sanguine humectam, tum s. disco ignem subjicientes, eundem exsiccant, donec induratus per annum totum conservari valeat. Speciebus igitur vini exsiccatis, sola panis remanet species, quam ad aegrotum deferentes vino non consecrato perfundunt, ut emollescant, sicque ab aegroto sumi possit facilius. Bona lib. II. cap. 18. §. 2. — Graeci denique ritu hodierno ante aliquot saecula introducto sub utraque specie non seorsim, sed simul mixta populum communicant, species enim panis sanguine Christi perfusas, parvo ministrant cochleari, cujus tenue est et oblongum manubrium, in crucem parvam desinens. Eundem morem in quibusdam etiam latinis quondam receptum fuisse ecclesiis probat idem Bona loco citato §. 3. Cum vero sub una specie tantum coepta et praecepta tandem fuisset communio, mos intinctas Christi sanguine ministrandi panis species ubique decretorie extinctus est.

Q. VII. *An etiam pueris olim sub una tantum specie, sacra fuit ministrata eucharistia?*

R. Pueris quondam statim post Baptismum sacram fuisse datam eucharistiam sub specie vini tantum plurima antiquitatis monumenta comprobant. Referunt hunc ritum Cypr. epist. 63. ad Caecilium, liber de ecclesiastica hierarchia in fine et cap. 7. Liber sacramentorum s. Gregorii editus a Menardo, agens de baptismate infantum, in officio sabbathi sancti, indulget, ut lactatis etiam infantibus posset dari eucharistia *). Qui etiam non prohibentur lactari ante s. communionem, si necesse fuerit.

Quamvis vero veneranda antiquitas infantibus sacram ministraverit communionem, non tamen credidit eandem ad parvulorum salutem necessariam. Synodus Tridentina sess. 21. cap. IV. docens, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae sumptionem, addit: Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis servabit: ut enim sanctissimi illi patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

---

*) Romsee l. c. p. 384. N. V.

Alius quoque quondam in ecclesia Constantinopolitana mos erat, ut si particulae sacrae superessent eucharistiae, pueris, qui innocentes credebantur, eaedem dispensarentur. Testatur Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 25., se adhuc puerum saepe iis fuisse adnumeratum parvulis, qui reliquias sacramentorum sumpserunt. — Morem eundem eucharisticas pueris panis species ministrandi in Occidente pariter, et saltem in Gallia receptum constat, e Conc. II. Matisconensi anno 588, quod cap. 6. statuit: Quaecunque reliquiae sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersederint, quarta vel sexta feria innocentes pueri ab illo, cujus interest, ad ecclesiam adducatur et indicto eis jejunio, easdem reliquias vino conspersas percipiant.

Verum Conc. Turonense III. tempore Caroli Magni cap. 19. presbyteros admonendos decrevit, ne, cum s. Missarum solemnia peregerint atque communicaverint, pueris aut aliis quibuscunque personis corpus Domini non indiscrete tribuant. Et Odo, episcopus Parisiensis, qui XII floruit saeculo, in statutis synodalibus cap. 39. communium praeceptorum, discrete prohibuit presbyteris, ne hostias etiam non consecratas pueris darent ullo modo.

Mos igitur ille eodem saeculo desiit. Ne vero reliquiae sacramenti remanerent, cum putrefactionis periculo, saepe decretum fuit, ut tot tantum particulae consecrarentur, quot sumpturis sufficerent; et si tamen quaedam superessent, a sacerdote vel ministris sumerentur, pauculis duntaxat reservatis pro infirmorum communione, quae statis debeant diebus renovari.

Q. VIII. *Quae olim ecclesiastica et quae laica dicebatur communio?*

℞. Vox communio in antiquis ecclesiae monumentis de sacramentali semper nequit divinorum participatione mysteriorum intelligi, sed aliquando indigitat jus societatis et communionis cum caeteris fidelibus, in rebus tam sacris, quam civilibus. Cum itaque fideles alii sint laici, qui ministerio verbi ac sacramentorum instrui atque enutriri debent; sint etiam alii nempe clerici, qui docendi et dispensandi sacramenta aliis et facultatem habent et praeceptum, nascitur inde communio duplex: ecclesiastica videlicet una et laica altera. Prima inter clericos, altera inter fideles viget laicos. Cum vero diversorum in clero ordinum sint gradus, hinc ecclesiastica communio et ipsa diversa est, quatenus nempe episcopi cum episcopis, presbyteri cum presbyteris, et sic deinceps inter se communicant, denique omnes inter se invicem. Quodsi jam in poenam delicti a sui ordinis exercitio quondam arceretur clericus, dicebatur is,

ecclesiastica privari communione, eo quod in iis, quae ordinis sui erant, cum aliis ejusdem ordinis communicare prohiberetur. Si tandem delictum admissum ejus esset gravitatis, ut depositione perpetua a sui gradus honore et functione removeretur, is jus omne ecclesiasticae amittebat communionis, ac in ordinem plebis redactus communione tantum laica fruebatur, ita ut etiam in eucharistiae perceptione instar laicorum sese gerere, eamque extra chorum ante cancellos, vel sub una, vel duplici specie, more inter laicos recepto, sumere teneretur.

Q. IX. *Eulogiae unde nomen habent?*

℟. Panis consecrationi destinatus, cum justae quondam esset magnitudinis, in tot dividebatur particulas, quot sacerdoti populoque communicando sufficerent. His igitur separatis, superstites particulae solemnibus benedictae precibus ad finem Missae dispensabantur his, qui ad sacramentalem jus quidem habebant communionem, ast propter impedimentum communicare non poterant, vel ad communionem non erant praeparati. Particula talis benedicta, graeca voce: *Eulogia* sive *Benedictio* appellabatur. Eandem etiam Graeci aliquando: *Antidorum*, i. e. loco doni nuncupant, eo quod loco doni eucharistici daretur. Ipsamet etiam eucharistia, quanquam rarius, per eulogias designabatur, uti a Cyrillo Alexandrino epist. ad Nestorium: Accedimus ad mysticas eulogias et sanctificamus, participes effecti s. carnis et pretiosi sanguinis omnium nostrum salvatoris Christi.

Eulogiae denegabantur iis, quibus vel nondum ad eucharistiam patebat aditus, uti catechumenis; vel ob crimen aliquod interdictus erat, uti poenitentibus. Eulogiae caeteroqui intra ecclesiam sumi consueverant, quanquam Graeci recentiores, apud quos adhuc in usu sunt, eulogias secum iter agentibus deferre soleant.

Q. X. *Etymon Agaparum unde?*

℟. Agapae secundum morem antiquum publica erant fraterna convivia post sumtam eucharistiam in ecclesiasticis conventibus frequentata ad fovendam caritatem mutuam et pauperes refocilandos. De his Apostolus agens 1. ad Corinth. 11. abusus, qui jam tum irrepserant, reprehendit et aboleri mandat. De iisdem disserit Tertull. Apologetici cap. 39. „Coena nostra, inquit, de nomine rationem sui ostendit; vocatur enim *agape*, id quod *dilectio* penes Graecos est. Quamviscunque sumtibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumtum; si quidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur,

ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum sibi Deum esse, ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Aeque oratio convivium dirimit. — Inde disceditur, non in catervas caesionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiae et pudicitiae, ut qui non tam coenam coenaverint, quam disciplinam." Enati tandem abusus agapis in Oriènte et Occidente finem imposuerunt.

Q. XI. *Quoties s. species sive in pyxide sive in Remonstrantia renovari oporlet?*

℟. Rituale romanum de sacramento Eucharistiae statuit: Ss. Eucharistiae particulas frequenter renovabit (nempe rector ecclesiae, vel alter sacerdos, cui cura demandata est (hostiae vero, vel particulae consecrandae sint recentes; et ubi eos consecraverit, veteres primo distribuat, vel sumat.

Pro hujusce renovationis frequentia *s. Carolus* octiduum et concilium Turonense IV. anno 798 usque adeo septimum quemque determinat diem. Innoc. IV. in Bulla ad legatum in regno Cypri cap. 4. sequentibus ritum ecclesiae graecae, quindenam pro eadem renovatione indulget, quod et confirmavit Clemens VIII.

In decretis etiam synodalibus Maxim. Henrici archiepiscopi Coloniensis tit. VII de Sacramento eucharistiae cap. 1. §. 3. statuitur: „Variis conciliis et canonibus ordinatum est, ut in singulis ecclesiis parochialibus aliisque curam animarum habentibus hostiae consecratae in tabernaculo clave obserato pro infirmorum aliorumque fidelium communione asserventur, quae ne vetustate corrumpantur, singulis saltem quindenis, vel si loci humiditas requirat, saepius etiam renoventur et novae consecrentur." Concludere hic licet, octiduanam sacrarum specierum renovationem almo eucharistiae sacramento admodum esse congruam, non tamen contra eandem delinquere reverentiam, qui saltem singulis quindenis sacras renovent species, nisi vel loci, vel aëris humiditas frequentiorem mandet renovationem, quae quo diutius ultra quindenum differtur, eo gravius delinquitur, ita quidem, ut dilectio ultra mensem etiam a mortali non videatur immunis peccato, praeprimis tempore, vel loco humido. — Notetur etiam sedulo, quod rituale romanum pro renovatione sacrarum specierum exigat, ut hostiae consecrandae *sint recentes,* quales si non sint, finis renovationis praeceptae non obtinetur, qui est, ne cito corrumpantur. Ideoque quoties praedicta fiet sacrarum specierum renovatio hostiae recenter coctae comparentur.

Q. XII. *Quoties, quando et quomodo pyxis est purificanda?*

℟. Ad 1^{mam}. Quoties conformiter responsioni ad Quaestionem praecedentem renovandae sunt sacrae species in pyxide contentae, toties et pyxidem purificari oportet. Cum enim uti mox dicetur: Sacrae species in pyxide residuae, vel populo distribui, vel sumi a sacerdote debeant, particulas reliquas minusculas, ne et hae corrumpantur, conquirere et sumere debet celebrans.

Ad 2^{dam}. Pyxidem sub Missae sacrificio post sacrum sumtum sanguinem purificari oportet.

Ad 3^{tiam}. Sumto sacro sanguine et palla cooperto calice sacrificii, ac ad cornu evangelii remoto, sed semper super corporali; celebrans tabernaculum aperit, quo aperto genuflectit, acceptamque pyxidem deponit supra corporale, et deposito operculo genuflectit, iterum surgit et species integras distribuit fidelibus, siqui sint communionem poscentibus, residuas celebrans reverenter sumit. Si interim nimium hostiae sint, quasque vel non decenter satis, vel nonnisi intra moram temporis nimis longam sumere posset; tum vel curet, ut easdem sacerdotes praevie celebrantes successive sumant, vel ipse in sacrificiis praecedentibus eas successive sumat. Speciebus igitur omnibus sumtis cuppam pyxidis sinistra sua, supra calicem palla prius discooperta elevatam teneat, et exinde indicis dextri extremitate particulas, undequaque diligentissime et tandem praecipue e fundo ad pyxidis labium deducat inque calicem mittat. Dein purificationem, quae alias calici sacrificii infunditur, pyxidi curet infundi, eandemque purificationem intra pyxidem caute circum agat, ut forsan adhaerentes adhuc particulae vino misceantur, dein eandem purificationem in calicem sacrificii fundat, postea pyxidem purificatorio diligenter exsiccet, ita ut nihil humoris remaneat, dein hostias recenter consecratas in eandem pyxidem caute ponat eamque operculo tegat. Tum iterum removens calicem sacrificii ad extremitatem corporalis versus cornu evangelii, pyxidem, nisi communionem postea distribuat, in tabernaculum reponat, et genuflectat antequam illud claudat: Calicem vero illum, in quo recentes consecraverat hostias, eo quo supra de pyxide dictum est modo purificet, curetque et illi vinum infundi, illudque post modicam circum agitationem in calicem sacrificii ad purificationem pyxidis ibi existentem refundat, e quo calice sacrificii pariter post modicam circum agitationem utramque purificationem simul sumit. Poterit dein pro securitate majori super calice, in quo consecraverat hostias, ablutionem sumere digitorum, quam iterum post circum agitationem modicam refundet in calicem

sacrificii, in quo illam sumet. Dein hunc calicem, et postremo illum in quo consecraverat, exsiccabit purificatorio, quod praevie modo inverso plicabit, ita ut alio ejusdem latere ad binos exsiccandos calices utatur.

Quodque finito sacrificio reponet, abscondetque ne cuicunque sit ad manum; ejusdem siquidem ad lotionem usque nullus amplius erit usus. — Quodsi idem purificatorium ob humorem nimium utrique calici exsiccando servire nequeat, congrue alio eum in finem utetur, quod pariter statim modo plicabit inverso reponetque usque ad ejus lotionem.

Demum rubrica statuit si particulae (nempe recenter consecratae) positae erant super corporale, extergit illud cum patena et si quae in ea fuerint fragmenta, in calicem mittit dein dicit: *Quod ore sumpsimus* . . . . et se purificat.]

Q. XIII. *Quando renovanda est hostia Remonstrantiae?*

℟. Si renovanda sit hostia remonstrantiae, de qua renovatione quoties facienda supra pariter actum est, sequentem meliori salva praxin servabimus. Itaque duas sacerdos hostias majores consecrabit, dictisque orationibus ante communionem, calicem sacrificii ob effusionis periculum diligentissime vitandum removebit versus cornu evangelii ad posteriorem partem corporalis, deinde tabernaculum aperiet genuflectet et erectus remonstrantiam acceptam supra corporale versus cornu epistolae ponet exque lunula inde sumpta hostiam ad patenam deponet, lunulamque super eadem patena vertet, cum quadam motione, ut si fors in eadem particulae remanserant, decidant, quem in finem etiam perlustrabit lunulae concavitatem, dein hostiam remonstrantiae super patena dividet, jungetque hostiae sacrificii et praevia genuflectione dicet secreto: *panem coelestem* et caetera peraget ritu consueto usque ad sumptionem utriusque simul hostiae. Sumto postea sacro sanguine hostiam majorem recenter consecratam in lunulam ponet, quam reponet in remonstrantiam, hancque remoto uti supra versus cornu evangelii calice sacrificii in tabernaculum reponat, quod antequam claudat, genuflectet, tum fragmenta quaeret missamque continuabit.

Denique ritum sumendi hostiam remonstrantiae in Missa servabit semper sacerdos, nec illam in partes divisam populo distribuat, prout et hanc praxin vetuit s. Carolus, ne rudis offendatur populus videns, nec integram, nec rotundam sibi hostiam porrigi.

Q. XIV. *An communio in Missae sacrificio pro populo necessaria?*

℟. Non, prout docet s. synodus Trid. sess. 22. cap. VI., quae

oportet quidem, ut in singulis Missis fideles astantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae receptione communicarent, sufficit tamen, quod a sacerdote, ceu ministro publico, utpote omnium nomine peragatur, proin neque *integralis* multo minus *essentialis* pars est. —

Peracta communione sequitur gratiarum actio, quae est ultima Missae pars incipiens a versiculo, qui communio dicitur eo quod olim cantaretur dum populus communicabat. Sequentes autem orationes non solum gratiarum actionem continent, sed etiam postulationem, ut dona accepta in te permaneant et majus quotidie sumant incrementum. Tum dimittitur populus et dum ille respondet: *Deo gratias,* gratias ages Deo. Ad orationem: *placeat tibi* rursum offeres sacrificium purissima intentione et cum omni desiderio triumphantis ac militantis ecclesiae, prout ipsa verba sonant. Deinde populo benedicens uberem a Deo omnibus fidelibus benedictionem omniumque coelestium gratiarum abundantiam ex animo precaberis, ut nunc in via, postea in patria sanctissimam trinitatem omnes glorificent. Leges demum in fine initium evangelii secundum Joannem cum reverentia et gratitudinis affectu pro beneficio incarnationis, et vocationis ad fidem et cum desiderio gloriae Dei, ut ab omnibus agnoscatur et glorificetur. Praescribunt s. Augustinus, ut gravissimi autores testantur, hoc evangelium aureis litteris conscribendum et per omnes ecclesias in loco eminenti proponendum esse dicebat. Idem antiqui christiani tanti faciebant, ut plerique collo appensum ferrent, tanquam alterum christianae fidei symbolum ac veluti amuletum contra Daemonum vexationes. In prima hujus evangelii parte agnosces, quantus sit hospes, quem sub panis et vini velamine latentem suscepisti, nempe verbum aeternum per quod omnia facta sunt. Filius Dei patri consubstantialis, hominum lux et vita per quem et in quo omnes vivunt et illuminantur. Expendes deinde ne forte ad te pertineant verba, quae sequuntur: *Lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt.* Sicut enim homini caeco praesens est sol, sed ipsi soli absens est, sic homines terrenis affectibus veluti tenebris obvoluti intimam Dei lucem non vident, nec ab ea illuminantur. Haec etiam verba ponderabis. *In mundo erat et mundus eum non cognovit: In propria venit et sui eum non receperunt:* ne et haec forsitan in te locum habeant, quod ne contingat, Deum precaberis et timebis. In ultimis denique verbis attendes, quo dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* et hoc in te adimpleri rogabis: et quia verbum divinum est plenum gratiae et veritatis, ex hac plenitudine uberrim haurire satages, quidquid tibi ad salutem et perfectionem est necessarium. C. Bona tract. ascet. d. sacrif. Miss. p. 136—137.

§. XXX.

De orationibus post communionem, et reliquis usque ad finem Missae.

Q. I. *Quid de orationibus post communionem, et reliquis usque ad finem Missae statuit rubrica?*

℞. Celebrante purificato, dum calicem collocat in altari, liber missalis defertur per ministrum ad cornu epistolae, ipse autem minister genuflectit juxta cornu evangelii, ut in Missae principio, et celebrans vestito calice jungit manus, et facta cruci capitis inclinatione profunda vadit ad cornu epistolae et ibidem legit junctis manibus ante pectus communionem; qua lecta junctis item ante pectus manibus redit ad medium altaris, ibidemque manibus hinc inde extensis super altare illud osculatur, et erectus junctis manibus se ad populum vertit, ad quem conversus extendens et jungens manus dicit clara voce: *Dominus vobiscum,* statimque sine capitis inclinatione versus crucem redit ad librum in cornu epistolae et dicit orationes post communionem eisdem: modo, numero et ordine, queis supra dictae sunt collectae ante epistolam.

Oratio *Postcommunio,* attingit prima tempora christiani Aevi, ita August. ep. 59. al. 149. ad Paulinum. — Cyrill. catech. 5. Mystagog. Augustinus nuncupatur istum ritum ex apostolica traditione ad nos derivatum secundum I. Tim. 2, 1. Liber missalis a cornu evangelii ad alterum epistolae defertur significans, quod in fine mundi reliquiae Israel salvae fiant. Durandus. Quarti.

In Quadragesima a feria quarta cinerum usque ad feriam quartam hebdomadae majoris in feriali officio — oratio super populum post praescriptas reliquas postcommuniones, quarum ultima ritu consueto concluditur sub distincto: *Oremus,* distinctaque dicitur conclusione. Sacerdos vero dicens: *Oremus, humiliate capita vestra Deo,* extendit, jungitque manus, et caput cruci profunde inclinat, quibus dictis conversus ad missale manibus extensis recitat orationem ritu consueto. Dicta igitur complete ultima conclusione et non ante claudit librum, eum collocat ita, ut non dorsum, sed ejusdem pars anterior medium altaris respiciat. Nisi distinctum ab illo s. Joannis esset in fine legendum Evangelium, quo casu sacerdos, vel convenientius minister librum defert apertum ad cornu evangelii. Itaque missali aperto vel clauso relicto, manibus junctis revertitur ad medium altaris, ubi depositis iterum super altare manibus, illud osculatur et erectus junctis manibus absque capitis inclinatione vertit se

ad populum, quem manus extendens et jungens salutat, dicens clara voce: *Dominus vobiscum*, et responso accepto a ministro: *et cum spiritu tuo*, manibus junctis manentibus dicit clara voce: *Ite Missa est.* — A sabbato Paschae usque ad sabbatum dominicae in albis inclusive, dum Missa dicitur de octava Paschae, ad *Ite Missa est:* adduntur duo *Alleluja*, in Coloniensi *Archidioecesi tria* et in eodem unum additur *Alleluja* toto tempore paschali.

Gaudium sonat *Ite Missa est*, sicut hymnus angelicus et canticum Te Deum unde se invicem consequuntur, sicut cantus angelorum et iter pastorum ad Christum. Durand. lib. 7. cap. 1.

Responsio *Deo gratias* hoc loco usurpari innuit Dion (c. 3. Eccles. hierarchiae) iis verbis: „In gratiarum actionem sacram desinit cum omni ecclesia sacra plenitudine“ (Aug. Epist. 59 ad Paulinum). Participatio tanti sacramenti et gratiarum actio cuncta concludit. — Amalar. lib. 1. cap. 34.

Haec populi solemnis dimissio est, reverenda modulantis enuntiatione nitens rei dignitatem exprimere et quasi extrema manu in abeuntis populi cordibus memoriam ejus stabilire. Rupert. l. c. lib. 2. cap. 20.

Quodsi *Ite Missa est*, dicendum non sit, tunc dicto *Dominus vobiscum*, se iterum sacerdos convertit ad altare, junctis praevie ante pectus manibus, ad quod conversus factaque cruci profunda capitis inclinatione dicit: *Benedicamus Domino*; in Missis autem defunctorum eodem modo dicit: *Requiescant in pace.* Dicto: *Ite Missa est*, vel *benedicamus Domino*, sive *requiescant in pace*, celebrans ante medium altaris stans junctis super eo manibus et capite profunde inclinato dicit secreto: *Placeat tibi s. trinitas.* Quo complete dicto et manibus extensis hinc inde super altare positis, illud osculatur in medio. Dum erigens se elevat ad crucem oculos simulque elevat de altari manus, illasque usque ad humeros extensas statim jungit, et facta cruci profunda capitis inclinatione dicit voce clara: *Benedicat vos omnipotens Deus*, et manibus junctis ac oculis ad terram demissis conversus ad populum manum sinistram ponit ante pectus, et dextra extensa digitisque junctis semel benedicit populo dicens eadem clara voce, sub prima linea: *Pater et Filius*, et sub transversa: *et Spiritus sanctus*, et celebrans circulum perficiens manibus ante pectus junctis accedit ad cornu evangelii, ubi oblique seu semi versus ad populum stans dicit clara voce: *Dominus vobiscum*, et dato responso: *et cum spiritu tuo*, deponit manum sinistram super altare; vel si proprium in libro legat evangelium, super librum et

cruce signat altare vel initium sacri textus extremitate pollicis manus dextrae extensae.

Usu in *Coloniensi Archidioecesi* recepto sacerdos semper signat initium s. textus, sola excepta Missa pro defunctis, in qua altare signat, quod signat sacerdos nil dicens, tum manus sinistrae palma pectori admota, extremitate pollicis dextrae extensae se signat in fronte ad os, et in pectore interim dicens: *Initium s. Evangelii secundum Joannem.* Si vero signet initium s. textus, dicit simul: *Initium vel sequentia,* et dein se ipsum pariter signat, ut ante quo facto manibus junctis et clara voce legit evangelium; cumque dicit: *et Verbum caro factum est,* manibus hinc inde super altare depositis genu dextro flectit versus cornu evangelii et mox surgens manibus junctis prosequitur, ut prius eadem voce eodemque corporis situ. Evangelii non osculatur textus sancti initium, nec dicit: *Per evangelica dicta* . . . sed si proprium legerit evangelium in libro, eundem claudit, et ita collocat, ut pars ejus anterior medium respiciat altaris.

Si celebrans in altari vertit faciem ad populum utpote, quem inter celebrandum coram se habet, sine conversione benedicit eidem uti supra; deinde accedit ad cornu evangelii et legit evangelium s. Joannis, vel aliud proprium.

Si celebraverit coram s. pontifice, Cardinali et legato sedis apostolicae, vel Patriarcha, archiepiscopo et episcopo in provincia, civitate, vel dioecesi sua existente, celebrans dicto: *Placeat tibi s. trinitas,* addit: *Benedicat vos omnipotens Deus,* et dein se convertens ad s. pontificem genu uno flexus, ad cardinalem vero et legatum, vel alium ex supra dictis praelatis, capite profunde inclinato quasi licentiam benedicendi petens prosequitur: *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus,* benedicens astantes a parte, ubi non est pontifex, Card., legatus aut praelatus praedicti. Si autem celebraverit coram Patriarcha, archi- et episcopo extra eorum provinciam, civitates, vel dioecesin constitutis, eis absque alio respectu, ut caeteris, qui intersunt, benedicit more consueto.

Si autem celebraverit pro defunctis, dicto: *Placeat tibi s. trinitas,* ut supra post osculum altaris accedit ad cornu evangelii, et dicto: *Dominus vobiscum* etc. dicit evangelium s. Joannis praetermissa benedictione, quae in Missis defunctorum non datur.

Finito evangelio in fine Missae, si celebraverit coram s. pontifice, Cardinali, legato sedis apostolicae, vel patriarcha, archi- et episcopo, convertit se ad illum coram, quo praedictorum Missa celebravit, et

facit reverentiam convenientem. Nempe s. pontifici genu unius flectionem, aliis vero praelatis profundam capitis inclinationem. Si non celebravit coram aliquo praedictorum, hujusmodi reverentiam praetermittit.

Itaque evangelio finito manibus junctis vadit ad medium altaris et exhibita cruci capitis inclinatione profunda, accipit manu sinistra nodum calicis et dextram super imponit bursa ac iterata cruci inclinatione capitis profunda conversus, per dextram suam paululum versus cornu evangelii descendit de altari et ante infimum altaris gradum ad illud se vertens per dextram suam caput profunde inclinat, vel si in eo tabernaculum actualiter continens ss. sacramentum genu uno flectit. Deinde erectus accipit a ministro biretum, quo caput tegit et posita dextra supra bursam incessu gravi oculisque ad terram demissis, observans etiam ea, quae in accessu ad altare observare oportuit, ministro praecedente redit ad sacristiam, interim dicens antiphonam: *Trium puerorum,* atque incipiens canticum: *Benedicite opera omnia Domini Domino.*

Redux ad sacristiam de tecto capite exhibet cruci profundam capitis inclinationem et calice deposito sacris se ordine retrogrado exuit vestibus, osculans crucem stolae, manipuli et amictus.

Dein ex decentia manus lavat et interim prosequitur, finitque canticum, ac dicit orationes, ut suo loco ponuntur, queis et alias pro sua devotione genuflexus addet.

Si ob sacristiae defectum vel alterius loci congrui sit dimissurus paramenta apud altare, vel in ipso altari, ubi celebravit, tunc finito evangelio junctis manibus accedit ad medium altaris, et facta ibidem cruci capitis inclinatione profunda redit ad cornu evangelii, et ibidem se sacris exuit vestibus et dicit antiphonam: *Trium puerorum,* et reliqua, prout ante.

Q. II. *Oratio communionem sequens, cur postcommunio et ab antiquis oratio ad complendum appellata?*

℟. Vocatur *postcommunio,* quia communionem proxime consequens Deo, grates rependit pro beneficiorum omnium maximo, gratiamque postulat, ut divinorum fructus mysteriorum in animabus perennet, ad stabilem majoremque in dies sanctitatem promovendam tandemque vitam aeternam *).

In libro sacramentorum s. Gregorii nuncupatur oratio ad complendum, quod olim haec ipsum finaliter compleret sacrificium, eaque

*) Remsee l. c. pag. 404.

dicta populus dimitteretur. Quanquam postcommunio in eorum praecipue gratiam fuerit inserta liturgiae, qui sacrificio praesentes omnes, vel plurimi communicabant, ideoque etiam hodie communio populi intra Missam, communioni extra Missam praeferenda sit; nihilominus cum et alii Missae assistentes simul cum sacerdote offerant, communicentque spiritualiter, hinc orationes post communionem et illis favere noscuntur.

Q. III. *Oratio super populum unde nomen sumpsit?*

℞. Vocatur oratio super populum, quia illorum praecipue commodo ad Missam assumpta est, qui de sacramento intra Missam non participiant, ut hi non recedant sine speciali saltem aliqua benedictione. Cum enim postcommunio iis, qui sacramentaliter quondam communicaverant, prodesset specialiter; *Ne ergo populus*, inquit Microlog. cap. 51, ita oratione ut communione careret, adjecta est oratio super populum, in qua non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflectio vitatur, quae huic orationi a populo antiquitus persolvebatur, vel potius ideo, quia omnes juxta attestationem s. Ambrosii in dominicis diebus communicare deberent, quibus et oratio post communionem pro benedictione sufficere posset *).

Oratio haec vetustissima est, uti patet e sacramentario Gelasiano edito a Card. Tomasio: olim etiam extra Quadragesimam per annum dicta, tandem in Quadragesima tantum recitari coepit. Rationem ritus hujus loco citato affert hanc Micrologus: Orationem super populum in Quadragesima ideo frequentamus, quia oratio post communionem pro solis communicantibus solet orari, populus autem et si in Quadragesima quotidie conveniat, non tamen quotidie, ut deberet communicat. — Gemma animae aliam assignat rationem cap. 67: Statutum est, inquit, ut panis post Missam benediceretur et populo pro benedictione communionis partiretur. Sed quia hoc in Quadragesima fieri non licuit (ob jejunium) orationem super populum dici ecclesia instituit, ut per hanc particeps sit communionis. Quibus addi potest, quod olim Missa intra Quadragesimam hora primum nona, quin correspondet nostrae tertiae pomeridianae cantaretur, cui post communionem jungebantur vesperae; harum vero oratio erat simul Missae postcommunio, et tandem post vesperas sequebatur refectio seu coena. Ritus hujus vestigium custodivit ecclesia in Missa sabbati sancti, solo Missae et refectionis tempore immutato;

*) Romsee l. c. pag. 405. N. V.

Refectione tandem ad meridiem reducta, matutino Missa cantatur tempore, quo et vesperae diebus quidem ferialibus cantantur; ast non intra, sed post Missam, ita tamen, ut oratio vesperarum in Missa retenta fuerit, ut super populum diceretur, dominicis vero diebus oratio super populum omittitur, quod his diebus olim, sicut nunc, non jejunaretur et vesperae a Missa separarentur.

Q. IV. *Dimissio populi: Ite Missa est, estne antiqua et quem litteralem reddit sensum?*

R. Ordo romanus antiquissimus statuit, ut unus Diaconorum, cui praecedit Archidiaconus, finita oratione ad complendum diceret ad populum: *Ite Missa est.* Congruebat etiam, ut cum saepe canones fidelibus praeciperent, ne abirent nondum expletis Missarum solemniis, qui illud tandem designaretur tempus, quo abire liceret. Ideoque in homilia de ecclesia non contemnenda hortatur Chrysostomus, ingressus es in ecclesiam, o homo! ne exeas, nisi dimittaris *).

Sensum vero litteralem verba: *Ite Missa est,* hunc reddunt: *Ite:* vobis abire licet: *Missa est:* nam fit Missa sive demissio. Vide §. 19. Q. I. Graeci pariter in finem liturgiae *Apolysin* sive *dimissionem* canunt. Diaconus enim populum his dimittit verbis: *In pace procedamus,* et chorus respondet: *In nomine Domini.*

Q. V. *An dimissio: Ite Missa est, in omni annuntiatur Missa?*

R. Ritu antiquo in omni Missa; ast hodierna rubrica generalis missalis tit. XIII. num. 1 hanc sine exceptione regulam tradit: *Ite Missa est* dicitur, quandocunque (in eadem Missa) dictum est *Gloria in excelsis,* pro quo ultimo vide §. 19. Q. IX.

Cum vero rubrica certis diebus omissa demissione dicere sacerdotem jubeat: *Benedicamus Domino,* cum Bona lib. II. cap. 20. §. 3 haec videtur assignanda ratio, quia ecclesia certis optat diebus, ut fideles finita etiam Missa in oratione perseverent; donec reliquae finitae sint preces canonicae. Ideoque, ut testatur Durandus lib. 4. cap. 37. num. 5 et 7. Olim in quibusdam ecclesiis sub finem primae Missae in festo nativitatis Domini cantabatur: *Benedicamus Domino,* quanquam in Missa hymnus praecessisset angelicus, quia Missam consequebantur laudes, quibus adesse fideles intendebat ecclesia **).

In Missis etiam votivis, in quibus omittitur angelorum hymnus, *Ite Missa est* non dicitur, quod hae Missae non sint festivae, praeprimis si in colore celebrentur violaceo, ideoque solemnis illa demissio eisdem non ita congruere videtur. In Missis defunctorum

---

*) Romsee l. c. pag. 407. — **) Romsee tom. IV. p. 410—411.

dicitur: *Requiescant in pace.* Sicut enim eorundem curam durante toto egerat sacrificio sacerdos, ita congruit, ut eodem peracto per applicata Christi merita requiem eisdem finaliter optet aeternam. Cum aliae etiam post Missam defunctorum preces pro eisdem persolvi soleant, ad manendum potius, quam discedendum hortari fideles convenit.

Q. VI. *Quae postulat sacerdos oratione: Placeat tibi s. Trinitas?*

℟. Hac oratione ad ss. trinitatem directa protestatur quidem sacerdos, se ad majorem ejusdem trinitatis gloriam infinite gratam, ex parte rei oblatae obtulisse hostiam, ast suae populique indignitatis memor precatur, ut etiam accepta sit eadem hostia ex parte offerentium, sibique et aliis, pro quibus illam obtulit, sit praecipue propitiatoria *).

Bona l. c. eandem orationem a se inventam testatur in omnibus fere missalibus antiquis, etiam scriptis ante annum millesimum, extare etiam in Missa Illyrica, ast definiri nequit, quo praecise tempore liturgiae veluti pars accesserit. Facta siquidem olim populi demissione, absolutum erat sacrificium populoque abire licebat. Reliqua, nempe: *Placeat . . . . . benedictio populi,* et *Initium evangelii s. Joannis* particulari postea quorundam devotione tractim addita fuere. Sed autoritate tandem legitima locum in liturgia obtinuerunt; prout praedicta oratio: *Placeat,* in missali a Pio V reformato veluti pars Missae, cui fideles adesse debent, in liturgia locum obtinuit. De reliquis statim.

Q. VII. *Ritus benedicendi populo in fine Missae, estne antiquus?*

℟. Praeter benedictionem episcopalem ante communionem, de qua egit §. 27. Q. IX, nulla olim in ecclesia saltem latina in fine Missae dabatur benedictio. De hac enim silent Amalarius, Florus, Rabanus Maurus, Walefridus, aliique veteres sacrorum rituum scriptores. Neque etiam in antiquis sacramentorum libris ulla ejusdem benedictionis occurrit mentio. Amalarius quidem in lib. III. cap. 36 et Rabanus Maurus lib. I. cap. 23 memorant, datam olim benedictionem antequam Diaconus diceret: *Ite Missa est,* ast hi scriptores non eam referunt benedictionem, quae nunc datur in fine Missae, sed orationem postcommunionem nuncupant benedictionem; cum ex dictis supra de oratione constet, a veteribus orationem etiam fuisse appellatam benedictionem. Unde Walefridus in fine capitis 22 scribit: Statutum est in Aurelianensi concilio, ut populus ante benedictionem sacerdotis non egrediatur de Missa, quae benedictio intelligitur illa

*) Romsee l. c. pag. 412, 413—414.

ultima sacerdotis oratio. Ritus etiam antiquus Cisterciensis hanc in fine Missae benedictionem ignorabat; ut eandem nescit ritus Carthusianorum, quanquam hi, si celebrent in extraneis ecclesiis, populo nunc benedicant *).

Saeculo tandem XI in fine Missae a presbyteris in quibusdam ecclesiis datam populo benedictionem quidam ejus aevi scriptores commemorant; quanquam Rupertus Abbas sub initium saeculi XII nullam ejusdem faciat mentionem, ideoque opinari licet, hanc benedictionem devotione particularium hinc inde introductam ad alias tractim, quanquam non ad omnes transiisse ecclesias.

Ternis crucis signis sacerdotes olim populo benedicebant, ast Pius V hunc ritum eatenus derogavit, ut in Missis tantum solemnibus ternis crucis signis populo benedicendi facultatem reliquisset presbyteris. Verum Clemens VIII in missali romano anni 1587 trinam hanc benedictionem in omni Missa sacerdotibus interdixit, quam episcopis reservavit. Abbatibus tamen regularibus ait Benedictus XIV, Alexander VII decretis fit potestas, ternas dandi benedictiones in Missis tantum pontificalibus: unam vero duntaxat in aliis.

In Missis defunctorum, quanquam alicubi quondam data quoque fuerit benedictio, ritu tamen hodierno omittitur; cum enim ad solemnitatem spectet, ut advertit le Brun, Missae lugubri non convenit **).

Wer voll Gottes ist, kann das Volk wohl auch segnen, denn Gott segnet aus ihm und durch ihn. Deshalb spricht auch der Priester nicht: Ich segne euch, sondern Gott segne euch! Sailer a. a. O. S. 180.

In benedictionibus proferendis *„Benedicat vos omnipotens Deus“* reperio aeque ac pulchre, quam consentaneum, quid vocationi sacerdotis. Qui ut homo nil potest, ut mediator Deum inter et homines omnia potest dare et obtinere, benedicere et anathematizare. — *Quidquid solveritis in coelo* etc.

Ni fallor docuisse fertur Hermes (sine limitatione) sacerdotem benedicere non posse — privavit ergo populum dono, privavit sacerdotem dignitate. Nam honos, qui tribuitur sacerdoti (saepe pro dolor! ex gentium minimo) non homini, sed illi tanquam mediatori — ergo ejus spirituali tribuitur dignitati. Ita res se habet. Si ab eo vetusto ecclesiae aedificio lapidem unum quidem amovere, vel eruere elato animo conabimur, eum sequetur secundus, donec totum ceciderit in ruinam, utinam tot ac tanta mala nos effecissent sapientiores!

---

*) Romsee tom. 10. pag. 416 . . . . 419. — **) Romsee l. c. p. 421.

Q. VIII. *A quo tempore initium evangelii s. Joannis ad liturgiam assumptum; et an in omni legitur Missa?*

℟. Initium evangelii s. Joannis ante Pium V nec certa lege, nec uniformi legebatur consuetudine. Ab aliquibus omittebatur, recitabatur ab aliis, sed ab his ad altare, ab aliis in recessu ab altare et iterum a quibusdam intra vel post sacrarum vestium depositionem. Unde apud varios antiquos sacrorum rituum scriptores variisque in ordinariis nulla ejusdem occurrit mentio.

Cum saeculo XII quidam viri ac nonnullae matronae consuevissent, diebus singulis audire evangelium s. Joannis et haec pietas in superstitionem degenerare coepisset, Salegernstadiense concilium anno 1022 celebratum canone X sancivit: Quidam etiam laicorum et maxime matronae habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant evangelium: In principio erat verbum .... et Missas peculiares, hoc est: de s. trinitate, aut de s. Michaële, et ideo sancitum est, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, et nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia sanctae trinitatis, non pro aliqua divinatione. Crescente tamen magis magisque fidelium erga hoc evangelium veneratione, devotoque desiderio illud audiendi saepius, Pius V initium evangelii s. Joannis liturgiae asseruit, statuitque, ut apud altare ad concludendum Missae sacrificium regulariter legeretur, adjungendo quippe incarnationis verbique divini recordationem. Quanquam Martene de antiquis monachorum ritibus lib. II. cap. 4. N. 19 observet, hoc evangelium ad liturgias monachorum Cassinensium, Cisterciensium et Carthusianorum nondum assumptum.

In caeremoniali episcoporum praescribitur: Episcopus deposita mitra dicit: *Dominus vobiscum* submissa voce, et facto crucis signo super altare dicit: *Initium s. evangelii secundum Joannem,* quod prosequitur procedendo mitratus ad locum, ubi a principio accepit paramenta.

Quoad alteram quaestionis partem rubrica generalis missalis titulo XIII. num. 2. statuit, quod evangelium (Joannis) nunquam praetermittitur in Missa, nisi quando fit de festo, in aliqua dominica, vel feria (cui accedit Vigilia), quae habet evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Cum enim evangelium dominicae, feriae, vel vigiliae specialem tradat instructionem diei congruam apposite istud evangelio s. Joannis praedictis substituitur diebus, cum hoc utpote frequentissime auditum omnibus erit notissimum. Exceptiones a regula tradita vide citatis tit. et numero.

Q. IX. *Quae succincta dari posset exegesis initii evangelii s. Joannis?*

℟. In principio — *antequam quidquam fieret a principio, ante omnem creaturam, a diebus aeternitatis — erat Verbum a mente patris ab aeterno genitum, perfecta ejus imago, eique coaeternum et consubstantiale; et Verbum erat apud Deum. — Filius apud Patrem,* ideoque persona a persona patris distincta, *et Deus erat Verbum,* sive et verbum erat Deus, persona quidem a Patre distinctum, natura vero *unum.* En igitur Verbi aeternitas, Verbi generatio, Verbi divinitas! Hoc erat in principio apud Deum — hoc idem Verbum erat gignente coaeternum *).

Omnia per ipsum facta sunt: Sanctissima trinitas creatrix est, ast proprietates Verbi: sapientia, ratio, intelligentia in creatis maxime rebus elucent; *et sine ipso factum est nihil, quod factum est,* — neque in coelo, neque in terra, neque sub terra extitit quidquam, sive magnum, sive parvum, sive visibile, sive invisibile, quod non sit factum per Verbum. *In ipso vita erat* — in Verbo erat vita essentialis, aeterna, quae fons est et origo vitae nostrae corporalis, spiritualis et aeternae; *et vita erat lux hominum* — vita in Verbo aeterna, in tempore carne induta, erat lux hominum mentes illuminans; *et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Tam densis vero infidelitatis, pertinaciae ac malitiae tenebris immersi erant homines, ut has magis tenebras dilexerint, quam lucem hanc a Judaeis tandem extinctam. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes* — ut igitur fugatis tenebris ignorantiae malitiaeque domino pararetur plebs perfecta, missus in spiritu et virtute Eliae Joannes, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. *Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Joannes apud Judaeos omni exceptione major luci, quam tenebrae non comprehenderant; testimonium perhibuit, ut hoc saltem ducti ac docti testimonio crederent; Jesum esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Praedicator lucis, non lux ipsa Joannes erat, qui confessus est, et non negavit et confessus est, quia non sum ego Christus. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* — Non erat lux quaedam creata, incerta, sed increata, aeterna, origo et fons omnis verae lucis, quae natura quidem sua tenebras fugat, hominesque illuminat

*) Romsee tom. IV. p. 430 et sqs. . . . .

universos, nisi qui in ignorantiae et malitiae tenebris propria versari culpa, illumque justitiae solem bonis malisque orientem non intueri malunt. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit.* — Verbum, cujus sapientia conditus est terrarum orbis, sua eundem immensitate replebat ejusque gloriam enarrabant coeli, et opera manuum ejus annuntiabat firmamentum; nec tamen creatura agnovit creatorem, vel si Deum creatorem agnoverit, non ut talem glorificavit. Manifestatum tandem est in carne Verbum, quod erat apud Patrem et apparuit hominibus, patrans innumera atque evidentissima miracula, totidem divinitatis sigilla, nec tamen illud mundus agnovit. *In propria venit* — In Judaeam titulis sibi specialissimis proprium venit, cui sua non concredidit eloquia, nec taliter fecit omni nationi. In mundum venit creator, in regnum suum venit Rex regum, et Dominus dominantium; sed sui ipsum servi creaturae creaturam non agnoverunt, non receperunt. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.* — Quotquot ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis fide, quae per dilectionem operatur, Verbum salvatorem mundi agnoverunt, recèperunt, dedit eis potestatem, honorem et praeeminentiam, ut filii Dei adoptivi, nominari possent et esse. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Divina haec generatio neutiquam assimilatur carnali, quae voluntate viri et foeminae, quae caro in Genesi appellatur, fit ex sanguinibus, sed spiritualis isthaec filiorum Dei generatio fit per gratiam sanctificantem, qua cum infunduntur fides, spes et caritas daturque spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater! *Et verbum caro factum est* — homo factum est, perfectus Deus, perfectus homo, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, non confusione substantiae, sed unitate personae. *Et habitavit in nobis* — Verbum nostra sic vestitum carne in terris cum hominibus conversatum est, viderunt oculi Verbum vitae, manuque contrectaverunt. *Et vidimus gloriam ejus* — praeprimis gloriam nativitatis, miraculorum, *transfigurationis,* baptismi, resurrectionis et ascensionis. *Gloriam quasi unigeniti a Patre.* Haec gloria talis erat, qualis decet unigenitum aeterni Patris; miraculis quippe, reliquisque mysteriis se Dei Filium, Patri aequalem, unum cum Patre, Deum de Deo comprobavit. *Plenum gratiae:* Verbum hoc autor et fons est omnis gratiae, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. *Et veritatis,* quia Verbum veritas est, omniaque verissima, quae docuit fecitque.

In illo et per illud impleta sunt promissa Patris, et Prophetarum oracula, *Lex per Moysen, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

§. XXXI.

De tempore Missae impendendo, et de gratiarum actione post Missam.

Q. I. *Quantum temporis Missae celebrandae impendendum?*

℞. Cum ob ritus caeremoniasque accidentales variantes nequeat quidem unum idemque Missis omnibus tempus impendendum determinari; tamen nihilominus designari poterit; quod Missae etiam breviores debita cum reverentia et devotione celebrandae jure optimo requirunt. Ut vero haec ipsa temporis designatio rubricis attemperetur, juvavit praevie, quid eaedem hac in parte velint, exquirere*). Itaque primo rubrica generalis missalis tit. XVI. num. 2 statuit: Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea, quae clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit, quae legit. Dein eadem rubrica ubique jubet, ut suo quaeque ordine, suo quaeque loco, talique cum harmonia, decentia et gravitate dicantur ac peragantur, qualem tanta, tanti sacrificii postulat majestas populique aedificatio.

Quisquis nunc sepositis judiciis, attentoque oculo totius Missae ordinem perlustraverit, deprehendet, ad reverentem, attentam devotamque Missae celebrationem saltem requiri quadrantem horae cum medio. Quique sacerdotem eo gravius peccare asserunt, quo minus temporis impendit, ita quidem, ut non desint judicantes, lethalis reum culpae illum fore sacerdotem, qui ne horae quidem quadrantem Missae impenderit. Neque durior haec cuiquam censura videbitur, qui ad vulgatum reflectet principium theologicum, legem quippe materiae gravis et praeprimis ex fine gravi praeceptae, gravem quoque imponere obligationem. Applicatio principii facillima est, cum enim totius religionis nostrae actio sit princeps, et tam augusta Missae celebratio, ut alia nulla assimilari eidem valeat; hinc primo statim intuitu se materiae gravitas manifestat, cumque magnificis idem sacrificium ritibus et ceremoniis ideoque perfici mandet ecclesia, ut ejusdem innotescat majestas; sublimis Deo differatur honos, populique acuatur attentio et excitetur devotio; hinc finem quoque rituum

*) Romsee tom. I. p. 70 et sqq.

caeremoniarumque gravissimum fateri oportet. Porro ritibus caeremoniisque omnibus suum, quibusque locum obtinent et tempus designabilem ecclesia.

Dignum Dei ministrum sub hisce complectimur verbis.

Missam legat in A. B. C. D. E. A. Nempe

A. i. e. Alte, ut audiatur.

B. i. e. Breviter non ultra dimidiam horam.

NB. Missam blaterare per horae quadrantem, vel viginti minutas etiam laxiori parti videtur peccatum. Quarti p. I. tit. 16. Dub. 6.

C. i. e. Clare, ut omnia proferantur integre.

D. i. e. Devote, ut attendatur ad ea, quae dicuntur.

E. i. e. Exacte vel exquisite, ut fiant omnia sicut in rubricis praescribuntur. — Merati p. 3. tit. II.

Nos autem addimus

A. i. e. Attente, ut omnes ritus secundum mentem s. ecclesiae rite faciat, et quid agat, percogitet.

Missa celebratur ab initio aurorae usque ad meridiem, quia in Missa offertur Christus, qui est Candor lucis aeternae et de se ait Joan. 9. Me oportet operare donec dies est. D. Thoma l. c. art. 4.

De iis, qui neque hora integra quadrante ad celebrandum indigent quaerit Tertullianus: *Num sacrificent, num insultent? num mimas agunt? an sacerdotes?*

Omnia haec nunc theoria praxique dimetientes liturgici aeque ac theologici scriptores judicant, spatio horae quadrantis minore Missam quamcunque rubricis conformem absolvi non posse, quin gravis rei sanctissimae irrogetur injuria et non minimum inde populo generetur scandalum. Audit quippe populus sacerdotem preces demurmurantem, cernit non ceremonias, sed gesticulationes potius exhibentem, vidit volantem de loco in locum altissimi ministrum; tanta genuflectiones crucesque formantem celeritate, ut jocari potius sacerdos, quam altissima tractare videatur mysteria! Et haec omnia insuper non debitis praestat tempore loco et ordine. Impartiale nunc judicium expostulant idem autores, annon naturaliter inde scaturiat in populo rerum divinarum grande vilipendium et contemptus? annon abjectus hic sanctissima tractandi mysteria modus irreverentiam secum ferat maximam? an igitur mirum, laicos de die in diem infidelitatis appropinquare finibus, infideliumque magis magisque augeri numerum et in fide languescere pene universos? Nunquid igitur rationibus ducti gravissimis autores gravis reum culpae illum pronuntiant sacerdotem, qui praepropera Missarum celebratione infaustus fit tanto-

rum parens malorum? annon propterea potiori jure formidandum est illis fulmen illud, quod contra veteris testamenti sacerdotes quondam evibravit Dominus: Mittam in vos aegestatem et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis . . . . et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum! Quod siquis in sacerdote mali totius investigare voluerit originem, vel modica vel nulla sese primo offeret ad sacrificium praeparatio. A profanis siquidem negotiis vel colloquiis, quae usque adeo saepe inter vestium sacrarum assumptionem et ad ipsum usque egressum e sacrario pertrahuntur, ad actionem angelicis etiam humeris formidandam ire non reformidat sacerdos, talis; sicque phantasiam sinistris quibusque refectam ideis ad altare gestat, queis sub ipsis etiam mysteriis tota occupatur anima; ideoque omnis exulat reverentia, attentio, devotio; sensimque uno sensu viva incipit deficere fides; actioque sanctissima tractatur tanquam profana, imo ne ut talis quidem.

Arida siquidem sic res sanctissimas tractandi consuetudo *noxiam* tandem parit *familiaritatem, matrem infelicem* contemtus. Ideoque actione taediosa sacerdos se expedit quam celerrime, ut ad illa iterum redeat negotia vel colloquia, a quibus propter Missam digressus fuerat. Totius tandem mali scaturiginem in pluribus sacerdotibus defectum vocationis ad sanctuarium merito dixerimus. Si enim ex fructibus cognoscenda sit arbor, non provecto creditur dextra domini plantasse eam, quae e diametro oppositos fini vocationis affert fructus. —

Ast cum Missam sacrilege accelerantibus familiare sit, adinvenire excusationes in peccatis, et illas paulisper expendamus.

Accelerare Missam, inquiunt, medium est praeprimis idoneum fugandis distractionibus! — Verum dicant verius accelerare Missam medium praeprimis idoneum esse fugandis attentioni, devotioni et reverentiae! — Quomodo enim verborum sese mutuo trudentium vel litteralem assequi sensum poterit intellectus? quomodo nutriri devotio exteriorque ceremoniis conciliari decor, gravitas, majestas, si confuse omnia non servatis loco tempore, ordine dicantur, peragantur. Igitur intellectus minimas hic habebit partes, naturaliter ad alia excurret objecta. Praeterea norunt omnes, tantum abesse, ut distractiones involuntariae noceant, quin inde displicetur corona. Quodsi vero voluntarias assumere sacerdos voluerit, an ut malum vitet voluntarium, ideo gravius committet irreverentiae scandalique malum? Sufficient igitur totius animae intra se recollectio juncta sedulae praeparationi cum protestatione contra futuras, fors mentis evagatio-

nes, et hae sic non tantum non nocebunt, sed invito obvenientes augebunt meritum.

Nec majoris est momenti, quod praetendant, fideles Missarum acceleratione ad frequentandam earumque auditionem allici, eorumque contra Missas nimium protractas praecaveri murmurationes.

Sed nunquid iterum ad illorum potius fidelium judicium provocare oportet, qui ad frequentanda eo ferventius sacra alliciantur mysteria, quo majori cum accurratione reverentia et majestate celebrantur; quique a contrario lurida eorundem sacrorum mysteriorum tractatione non mediocriter commoventur? Intemperans ac irreligiosum aliorum murmur attentionem meretur nullam, utpote qui ne per mediam quidem horam divinis sine querela vacare volunt mysteriis. Horae enim dimidium Missam excedere non oportet. Studeat igitur sacerdos Deo magis placere, quam hominibus istis.

Nec alia sibi incumbentia praetexant negotia iidem Missam deproperantes; poterunt enim vel unum assignare negotium, quod illi, de quo loquimur, valeat aequiparari? Eo, quo sacerdos tempore cum reverentia et devotione immaculatam Deo hostiam offert, nil aliud ab eo exigitur. Agat igitur, quod agit, et pro reliquis etiam negotiis divinam fidenter sperare poterit benedictionem, ut hic de illis non loquamur, quorum unicum fere negotium est, lapides platearum terere, in compotis stare, novellis inhiare, per agros camposque circum cursare, visitationes frequentare inutiles, ne dicam, castitati inimicas, libros nescio quos, a proprio tamen omnes instituto deviantes legere, quique nil agunt eorum, quod ecclesiasticorum concernunt munia, si pensum ex caeteris canonico et Missam accepta eleemosyna utcunque accelerabant, his, inquam, familiarius esse solet, Missam cursim deproperare, queis profecto nullam festinandi occasionem negotia praebent. Ut tandem paucis dicamus omnia, nulla datur nec dabitur Missam irreligiose deproperandi causa. Manet igitur sua autorum judicio veritas, reverentem nempe Missae celebrationem horae saltem quadrantem cum medio exigere, quae tamen etiam ultra horae dimidium non durabit.

Q. II. *An et quae post Missam a sacerdote praestanda est gratiarum actio?*

℟. Ad gratiarum actionem post Missam sacerdotem obligant: 1) Praecellentia doni accepti, 2) Christi exemplum, 3) Ecclesiae praeceptum.

1) Praecellentia doni; si vel ipsa lex naturalis gratitudinem jubeat, rependere benefactori pro dono quocunque finito; quam non

exiget pro dono infinito? Deus pater non contentus per incarnationem filium suum dedisse unigenitum redemptorem; nisi ejusdem simul in almo eucharistiae sacramento corpus et sanguinem cibum largiretur et potum. Hunc sumendi non tantum, sed et producendi facultas obtigit sacerdotibus. Jesus Christus sacerdos in aeternum per hominem ministrum se offert quotidie Deo Patri. Deus se offert Deo, et Deus dat homini Deum. Limites hic invenit omnipotentia, limites bonitas. Quid enim Deus Deo dare posset amplius. Donum igitur, quod obvenit sacerdoti, infinitum est, infinitum porro donum maximam, quae in potestate creaturae est, exigit gratitudinem *).

2) Ad eam gratiarum actionem obligat ipsum Jesu Christi exemplum. Divinus hic humanae generis autor, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in fine dilexit eos, et sciens, quod ex hoc mundo transiturus esset ad Patrem, hunc instante morte rogavit, ut suis se fidelibus ad consummationem usque saeculi in cibum dare posset et potum; cumque nosset pro sua se a patre exauditum esse reverentia, eidem gratias egit pro beneficio non suo, sed suorum, quos in dolore pariturus erat filiorum. Gratias agens primo ad Cor. 11, et nonnisi hymno cum discipulis dicto ad passionis suae exivit exordia. En! Deus homo Patri aeterno non pro suo, sed nostro gratias egit beneficio; exemplum igitur dedit et praeceptum, ut quemadmodum ipse fecit, ita et nos faciamus.

3) Tandem ecclesia de gravissima Jesu eucharistico grates rependendi obligatione persuasa jubet, ut sacerdos ab altari recedens, coelum et terram, et omnia quae in eis sunt invitet, ut secum celebrent gratiarum actionem pro dono omnium donorum, eumque in finem mandat, ut sacerdos hymnum trium puerorum et psalmum: *Laudate Dominum in sanctis ejus.* — Cum precibus quibusdam subjunctis, reverenter, attente, devote persolvat. Optatque eadem s. mater ecclesia, ut his non contentus sacerdos aliis porro devotiones exercitus vacet. — Ast nunquid dolenter referre oportet, sacerdotes plurimos preces hasce nonnisi perfunctorie, distracte et arida quadam recitare consuetudine, cum interim alia quaecunque objecta tota eorum absorbeant attentionem et quidem eo praecise tempore, quo pretiosissima vitae totius momenta fluunt! Sacerdos Dei majestatem in sinu suo gestat. Si igitur unquam se ipsum totum infra se recolligere, si aditus cordis sui omnes observare oporteat; erit profecto tempus illud, quo omnium gratiarum fontem inter se possidet.

*) Romsee l. c. p. 427.

Quid! ignem intra se habere, et non sentire calorem? Mel in ore et non gustare dulcedinem? et interim quotidie proh dolor! cernere quis poterit sacerdotes summa qua possunt celeritate se ex ecclesia peracto utcumque sacrificio proripere. Interrogare merito quis posset: quid, quaeso, mali in ecclesia huic vel illi sacerdoti obviavit aut imminet, quod fuga tam praepropera sibi consulat? Dic, amabo, sacerdos Dei altissimi! quid mali fecit tibi Jesus eucharisticus, quod tam cito tergum ei vertas? Quid rei est, quod ne ad horae quidem quadrantem eidem conversari ames? rem acu profecto tetigerit, qui dixerit: nauseat anima tua super cibo isto. Ollas Aegypti anhelas, a pristino caritatis fervore excidisti, funestus et lethifer te occupat tepor, est igitur profecto, cur formides terribilem illam sententiam apocalipticam, utinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Apoc. 3. Sed nunquid praestat saniora capescere consilia? peracto igitur tremendo sacrificio, persolutisque reverenter, devoteque praescriptis ab ecclesia precibus, ulteriorem da locum gratiae in te operaturae. Da spatium animae tuae: ut alimentum divinum suaviter digerat illoque roboretur.

Diversarum effice actus virtutum, ac prae caeteris fidei, spei, caritatis, zeli, salutis propriae, et alienae, et praeprimis promovendae in te aliisque Dei gloriae. Gratias postula tibi, aliis, et toti praecipue ecclesiae necessarias; roga, ut Jesus ecclesiam suam sanctam pacificare, custodire, regere, ampliare, infideles, haereticos ac schismaticos ejusdem gremio aggregare, iracundiae suae flagella ab eadem clementissime removere dignetur. Pete, ut sacerdotes Domini, praeprimis vero Domnus Apostolicus, episcopi, aliique animarum rectores induantur justitiam, populoque fideli verbo et exemplo praeeant, ut sic justi justificentur adhuc, et impii derelinquant vias suas, et ad Dominum convertantur. Divinae etiam misericordiae commenda animas in purgatorio detentas, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, meritis sacrificii quantocius consequantur. Denique tota die memor sis accepti a mane beneficii, omni cor tuum sedulitate custodi, ne thesaurus horis matutinis comparatus postea deperdatur. Talem te in diuturnis exhibe actibus, qualem exigit sanctitas hospitis, qui a mane ad te divertit. Ita fiet, ut Missa ejus diei praeparet te ad Missam sequentis, et ad omnium ultimam ad felicem aeternitatis introitum.

Q. a. *Unde tanta quondam in celebrando celeritas?*

℟. Resultat ex s. ceremoniarum neglectu et penitus ex tota

mentis ac sacrificii vituperatione, cuncta tam praecipitanter et perfunctorie dicendo, quasi de aliis si citius absolverint, triumphaturi. Ex defectu praeparationis et fidei, ardentisque devotionis, ut eo citius accedant saecularia, societates potus et commessationes. —

NB. Addendum est. Negotia saecularia saepe et ipsi ecclesiae detrimento sunt; negotia ut obtineantur Nomen, Nummi, dignitates mundanae, a quibus saepe rationis reddendae causa abhorrere fideles multo magis clericos oportet.

Proh dolor! Ex ignorantia summe culpabili et oblivione tremendi quod peragunt mysterii.

Q. b. *Quas vero sinistras ejusmodi tepiditas producit sequelas?*

R. Experientia comprobat, quod

1) In tali lurido sacerdoti pedetentim minuatur reverentia exterior.

2) Tepescat et successive recedat fides.

3) Vilipendatur majestas divina.

4) Impediatur et evanescat devotio in- et externa.

5) Contemptui exponatur status venerabilis clericalis.

6) Acatholici sanctissimum sacramentum et sacras ecclesiae ceremonias derideant et demum.

7) Majora tum in clero tum apud fideles enascuntur scandala.

Ad refutandum errorem laxitati servientium, quorum parvi inter est, quomodo peragantur ritus et qui axiomati indulgent: errando discimus, unde favent, ut praepropera addiscantur ritus et obiter exerceantur his quibus fors meditationes D. Mohren editae a pastore Houben. Coloniae 1843 totam meditationem pag. 115 inserimus, ut per ejus summam honorem Domini Mohren in suis sustentemus, monstremus, ut aliam ille secutus sit sententiam, quomodo nervose eo studuerit. Aspirantes ante ordinationem ita erudiendi sunt, ut post eam errando addiscere vitare possint.

De ceremoniarum notitia exactaque eorum observantia a diaconis requisitis.

Audi Israel ceremonias atque judicia, quae ego loquor in auribus vestris hodie; discite ea et opere complete. Deuteron 5. V. 1.

Si lex vetus perfectam ceremoniarum, quamvis carnalium, notitiam exigebat, numquid potiori ratione lex nova perfectiorem exiget notitiam spiritualium? Si figura postulabat exactam earum observantiam, et quidem sub maledictionibus intentatis ibidem cap. 28., an non exactiorem earum observantiam postulabit veritas?

1. Rationes urgentissimae matrem ecclesiam permoverunt ad instituendas pro Missae sacrificio, sacramentorum administratione aliisque divinis officiis ceremonias.

Quarum 1ᵃ, ut notae essent religionem veram distinguentes a quacumque falsa. — 2ᵃ. Ut iis tanquam totidem religionis actibus debitus divinae majestati honos deferretur. — 3ᵃ. Ut sacrificio Missae, sacramentis aliisque rebus sacris conciliaretur majestas, et inde veneratio. — 4ᵃ. Ut fragilitati humanae sese attemperaret ecclesia ad exemplum Salvatoris nostri, qui, ut hominum infirmitati subveniret, in sacramentorum institutione signis uti voluit sensibilibus, ut per horum cognitionem in cognitionem quoque effectuum insensibilium, quos sacramenta in suscipientibus operantur, fideles perducerentur. — 5ᵃ. Ut populi acueretur attentio, et nutriretur devotio. — Rationes hae potissimum excerptae sunt e Concilio Trid. sess. 22. de sacrific. Missae cap. 5.

Voluntas debitam, quam merentur, venerationem erga augustas ecclesiae ceremonias in se excitat, simulque desiderium efficax noscendi et rite observandi.

2. Ceremonias ecclesia instituit, ut observentur. Quilibet igitur ecclesiae minister et nominatim diaconus eas nosse debet et servare.

Quicumque enim ecclesiae minister praescriptas sibi ceremonias exacte exhibere tenentur et praevie nosse. Ideoque Concilium Lat. 4. sub Innoc. III. c. 17. mandat: Districte praecipientes, ut episcopi promovendos sacerdotes diligenter instruant et informent per se ipsos et per alios divinis officiis et ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. Satius enim est, maxime in ordinatione sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros. — Non sufficiet vero nosse ceremonias, nisi et rite observentur. Quod ni fiat, debitus divinitati subtrahitur honos, populi evanescet attentio, — ab ecclesia intenta instructio frustrabitur, — reverentia rebus sacris debita minuetur et veneratio — populique languebit et aufugiet devotio. — Unde nisi decenter, circumspecte et quadam cum majestate exercentur, tantum abest, ut pietatis et religionis fiant instrumenta, ut uberem scandalis contemptuique rerum sacrarum materiam subministrent. Ideoque ministri non nisi maledictiones, quas seminarunt, metent, et potiores quidem, quam in lege veteri. — Quodsi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias mandata ejus, et ceremonias, quas ego praecipio tibi, venient super te omnes maledictiones istae et apprehendent te. Deut. 28. V. 15. — Itaque conformiter variis Conciliis nulli ordini aut ministerio sese quis ingerat, priusquam ceremonias apprime noverit; insimul ceremoniarum significationem tum mo-

ralem, tum mysticam acquirere satagat, ut iis, dum exerceantur, conformes in corde suo affectus excitare et populum pariter desuper instruere valeat.

Voluntas statuit ceremoniarum earumque significationum perfectam acquirere notitiam, easque exacte observare, Deumque, cujus praeprimis cedunt honori, pro gratia necessaria rogat.

Ueber die Geringschätzung zeitlicher Würden. Sion 1838. „Als die päbstlichen Abgeordneten dem heil. Bonaventura den Cardinalshut nach Florenz überbrachten, fanden sie ihn im Kloster (denn er war ein Mönch, ein Franziskaner) und eben beschäftigt, die Küchengefäße zu reinigen. Er bat die Gesandten, sie möchten den Hut nur einstweilen an die Wand hängen bis er mit seinem Geschäfte zu Ende wäre." Nonne qui vocatus, ut Aaron dicitur, quid expectandum si desiderio desideratur mitra et officia et beneficia sine vocatione, ut Aaron?

§. XXXII.

De Missa coram exposito sanctissimo sacramento celebranda.

Q. I. *Licetne celebrare Missam in altari, in quo expositum est sanctissimum sacramentum?*

℞. S. R. C. 4 Martii 1606 decrevit: Eucharistia non esse singulis diebus exponenda, sed in quibusdam tantum solemnitatibus. Eadem 26 Februarii 1628: Nequeunt regulares sanctissimum sacramentum cum solemnitate exponere sine licentia ordinarii. Et 9 Augusti 1670: Missam in altari majori, ubi est expositum publice sanctissimum sacramentum, non licet celebrare, praesertim si in ecclesia adsunt alia altaria, in quibus celebrari possit.

Caeremoniale episcoporum lib. 1. cap. 12. §. 9. monet similiter ex antiquorum monumentis, abstinendum esse a Missa celebranda coram sanctissimo sacramento.

Prima fronte igitur resolvendum videtur, non licere Missam praecipue privatam celebrare coram ss. sacramento. Ast cum consuetudinem debitis vestitam conditionibus contra legem ecclesiasticam disciplinarem praevalere posset, nemini non notum sit; consuetudo etiam celebrandi coram exposito sanctissimo sacramento, ex causa saltem rationabili a s. Congregatione non tantum non improbatam, sed tacite potius approbatam esse, ex ejusdem S. R. C. decretis erui posset; hinc sacrorum rituum scriptores docent nunc communiter, ex

causa rationabili Missam etiam privatam coram exposito sanctissimo sacramento celebrari posse.

Q. II. *Quae regulae tradi solent pro specialibus, in Missa coram sanctissimo sacramento observandis ceremoniis?*

℟. Quoniam ritus antiquus celebrandam coram ss. sacramento Missam vetuit, hinc rubricae generales de specialibus in illa ceremoniis silent. Cum interim feria V in coena Domini sacerdos hostiam consecret etiam pro feria VI parasceves, et eadem hostia consecrata, dicta feria V post communionem sacerdotis in calice super altare remaneat, et sequente feria VI ad idem altare reponatur ante Missam, quae est praesanctificatorum, tunc primo e rubricis ejusdem diei, dein etiam ex instructione Clementis XI anno 1705 et tandem e probatorum autorum scriptis sequentes derivantur regulae.

Regula 1. Quoties celebrans intra Missam accedit ad medium altaris; quoties recedit a medio, et quoties transit idem medium, toties uno genu flectit.

Exceptio ab hac regula

a) Utraque tamen genu flectit, cum profunda capitis inclinatione ante infimum altaris gradum primo in accessu ad altare.

b) Ad infimum gradum ante principium Missae et confessionem

c) et iterum ante eundem infimum gradum altaris ante recessum ab altari finita Missa.

NB. More in dioecesi nostra recepto tam in accessu ad altare, quam in recessu ab eodem non ante, sed ad infimum altaris gradum utroque genu flectit sacerdos. Gavantus interim et rubricistae communiter tradunt in accessu ad altare et in recessu ab eodem in terra plana ante infimum gradum utroque genu flectendum esse.

Reg. II. Si genuflectio et osculum altaris in ejusdem concurrant medio altaris; et sacerdos vel a cornu evangelii vel epistolae ad medium veniat; osculo praemittenda erit genuflectio, quodsi vero actu sit in medio altaris praecedet osculum.

Reg. III. Celebrans ad populum se vertens, nunquam tergum vertet sanctissimo sacramento, sed paulisper de medio versus cornu evangelii praecedet.

Reg. IV. Inclinationes capitis cruci alias debitae nunc sanctissimo exhibentur sacramento.

Reg. V. Ad altare, in quo expositum est sanctissimum sacramentum, sacerdos sacras vestes nunquam assumet, nec deponet.

Q. III. *Regulae traditae, quomodo practice applicandae?*

℟. Celebrans cum ingressus fuerit presbyterium, sive capella,

ubi expositum est sanctissimum sacramentum, subsistens paulisper, caput detegit et birretum ministro porrigit*); progrediens usque ad infimum altaris gradum ante eum — in nostra dioecesi supra eum genu utroque flectit caputque profunde inclinat. Surgit dein et ascendens ad altaris medium collocato calice versus cornu evangelii, depositisque hinc inde manibus super altare uno genu flectit. Porro explicato corporali et calice supra plicam ejusdem clausam collocato denuo genuflectit et erectus pergit ad cornu epistolae, ubi missale aperit, et Missa reperta ad medium regrediens flectit uno genu. Quodsi conformiter rubricae nullam ibi moram trahat, vertit se statim extra medium versus cornu evangelii et descendit. Si autem in medio moram trahat, non ita tamen rubricis conformem, iterum ante descensum genuflectit. Post descensum ad planum capellae utroque genuflectit, super infimum altaris gradum caputque profunde inclinat, et surgens Missam incipit. Confessione cum reliquis facta, absque genuflectione ascendit ad altaris medium, ubi genuflectit, dein dicit: *Oramus te Domine* . . . qua precatiuncula finita iterum genuflectit, conformiter enim regulae primae: in accessu ad medium debita erit genuflectio, et quia ibidem mora trahitur etiam in recessu genuflectere oportet.

Accedit dein sacerdos ad cornu epistolae, ubi dicto introitu revertitur ad medium et genuflectit. Post hymnum angelicum, vel si hic omittatur, post ultimum Kyrie osculatur altare et genuflectit. Dein surgens vertit se ad populum extra medium versus cornu evangelii et dicto: *Dominus vobiscum,* cum se iterum vertit ad medium altaris et genuflectit, et erectus accedit ad librum in cornu epistolae; dictis ad cornu epistolae orationibus, et reliquis revertitur ad medium altaris, et genuflectit; ac praevia oculorum elevatione ad sacramentum dicit: *Munda cor meum* et *Jube Domine* . . . . quibus dictis denuo genuflectit et pergit ad cornu evangelii; ubi lecto evangelio regreditur ad medium altaris, et genuflectit, et erectus dicit: symbolum. Quo dicto osculatur altare et iterum genuflectit. Quodsi symbolum non dicatur, post lectum evangelium ad medium veniens genuflectit et dein osculatur altare, et se vertens ad populum extra medium versus cornu evangelii eundem salutat dicens: *Dominus vobiscum.* Qua salutatione dicta ad medium revertens genuflectit, surgit, et post panis oblationem denuo genuflectit et vadit ad cornu epistolae. Post vinum cum aqua in calice infusum ad medium re-

---

*) Romsee tom. I. pag. 171. —

grediens genuflectit ibidem, et dicto: *Veni sanctificator.* Iterum genuflectit et revertitur ad cornu epistolae, et uti ritualistae passim tradunt, descendit in planum per gradus laterales, in cornu epistolae et ibi manus lavat, facie versa ad populum, quin tamen ante vel intra lotionem tergum vertat sanctissimo sacramento.

E rubrica in parasceve et in ceremoniali episcoporum lib. II. cap. 26. §. 19. ritualistae passim eruunt, in Missa quacunque coram exposito sanctissimo sacramento lotionem manuum extra gradus altaris a sacerdote perficiendam. Qua quidem ceremonia in *Archidioecesi Coloniensi* viget in Missa solemni, non item in privata, quod optandum tamen foret.

Post manuum lotionem psalmumque dictum revertitur celebrans ad medium altaris et genuflectit; dictoque ibidem: *Suscipe s. Trinitas* osculatur altare et iterum genuflectit ac convertens se ad populum, extra medium versus cornu evangelii dicit: *Orate fratres,* quo dicto per eandem viam redit ad medium non perficiens circulum et genuflectit. Deinceps vero omnia peragit ritu consueto usque ad sumtam sub utraque specie communionem inclusive. Sumpta purificatione genuflectit celebrans et accipiens cuppam calicis eandem tribus digitis ultimis utriusque manus complectit, pollices vero et indices tenet supra os calicis unitos, dein ad cornu epistolae accedit, ubi facta digitorum ablutione et abstersione ad medium regrediens genuflectit, et peractis ibi omnibus usque ad collocatum vestitum calicem ad medium altaris, genuflectit et erectus recedit ad cornu epistolae, ibique dicta antiphona, quae *Communio* appellatur revertitur ad medium et primo genuflectit, ac dein osculatur altare et vertens se ad populum extra medium versus cornu evangelii eundem salutat dicens: *Dominus vobiscum,* quo dicto redit ad medium et genuflectit ac erectus tendit ad cornu epistolae, in quo finita postcommunione ac libro clauso vel aperto relicto, si distinctum ab evangelio s. Joannis sit legendum evangelium regreditur ad medium, ubi genuflectit et dein osculatur altare, et vertens se ad populum, uti supra dicit: *Dominus vobiscum* et *Ite Missa est;* quibus dictis ad medium revertitur et genuflectit. Quodsi post *Dominus vobiscum* sit legendum: *Benedicamus Domino,* tunc dicto: *Dominus vobiscum* redit ad medium altaris, genuflectit et post genuflectionem erectus dicit: *Benedicamus Domino.*

Finita oratione: *Placeat tibi s. Trinitas,* osculatur altare, et oculis ad sanctissimum sacramentum elevatis dicit: *Benedicat vos*

omnipotens Deus; quo dicto, sine capitis inclinatione genuflectit et ad populum conversus extra medium versus cornu evangelii eidem populo benedicit; dein nec circulum perficit, nec redit ad altaris medium, nec genuflectit, sed statim facie et dein dextra ad altare conversa pergit ad cornu evangelii, ubi dicto: *Dominus vobiscum,* extremitate pollicis dextri non altare, sed initium evangelii in libro vel tabella cruce signat. Quodsi neutrum adsit, signat se ipsum solum. Cum dicit: *et Verbum caro factum est,* genuflectit, parum se vertens versus sanctissimum sacramentum.

Finito evangelio ad medium altaris regreditur, genuflectit et accepto calice sine capitis inclinatione vertit se extra medium altaris versus cornu evangelii, et post descensum extra infimum gradum, ad altare conversus ante eundem infimum gradum (in Archidioecesi Coloniensi ad infimum gradum) flectit utroque genu et profunda capitis inclinatione, et discedens caput birreto non tegit, donec pervenerit extra presbyterium vel capellam, ubi paululum subsistens accipit a ministro birretum, quo tegit caput et ad sacrarium revertitur.

Q. IV. *Quid si sacerdos celebraturus sit in altari, ante cujus gradus actu distribuitur s. communio?*

℞. Hermann Janssens part. I. secundae partis tit. 15. Quaestionem proponit, quae observanda sint sacerdoti, qui celebraturus est in altare, ante cujus gradus actu distribuitur s. communio et silentibus de hoc casu rubricis et S. R. C. decretis, ad quaestionem, habitam cum eruditis collatione et salvo meliori judicio, respondendum censet, dictu nempe sacerdote eo in casu sic servata proportione sese gerere debere, ac si celebraret coram sanctissimo sacramento.

Itaque sacerdos ille eligens ad altare prope distribuente sanctissimum sacramentum, illud utroque genu flexus in plano capellae juncta capitis inclinatione profunda adorabit. Tum erectus se vertens non nihil ad altare profundam corporis inclinationem cruci exhibebit. Dein ne tergum vertat sanctissimo sacramento, *diagonaliter* per gradus altaris, vel aliter pro situ loci ad medium altaris ascendet, et omnibus illic pro more peractis a medio altaris versus cornu evangelii descendet et sistet se ibidem ante infimum altaris gradum et in plano capellae utroque genu flexus cum profunda capitis inclinatione iterum sanctissimum sacramentum adorabit. Dein erectus stans, aliquantulum conversus ad altare incipiet Missam, et facta confessione dictoque: *Oremus,* genu uno flectet versus sanc-

tissimum sacramentum, et erectus incipiet per eosdem gradus ascendere ad medium altaris, interim dicens: *Aufer a nobis,* et reliqua ritu ordinario perficiet ad dandam in fine benedictionem. Dicto igitur: *Placeat tibi s. Trinitas,* dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus* .... et convertens se ad sacerdotem, qui distribuit s. communionem genu uno flectet, surget, et prosequitur: *Pater et etc.,* benedicens adstantes ab ea parte, ubi non adest sacerdos tenens s. pyxidem.

Dicto ultimo evangelio vadet ad medium altaris, et facta cruci inclinatione capitis profunda, et dein accepto calice per illos descendet gradus laterales, quos magis expedire judicat, ut nunquam tergum vertatur sanctissimo sacramento. Demum ad planum capellae veniens ibidem utroque genu flectet versus ss. sacramentum, et erectus aliqualiter se vertens ad altare, cruci in eodem collocatae exhibebit profundam capitis inclinationem et caput nonnisi extra capellam constitutus teget birreto, ac ad sacristiam revertetur.

§. XXXIII.

De quibusdam defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, ac de remediis, quae adhiberi debent.

Q. I. *Quos defectus in celebratione Missae occurrentes recenset, et praecaveri vel emendari jubet rubrica?*

℞. Rubrica tit. I. summatim defectus in Missarum celebratione occurrentes dividit in eos, qui ipsam vitiant sacramenti essentiam et in eos, qui etsi sacramenti veritatem non impediant, peccatum tamen vel scandalum generant. Dein tit. II. agit de defectibus materiae generatim. Tit. III. de defectu panis. Tit. IV. de defectu vini. Tit. V. de defectibus formae. Tit. VI. de defectibus ministri. Tit. VII. de defectu intentionis. Tit. VIII. de defectibus dispositionis animae. Tit. IX. de defectibus corporis dispositionis. Tit. X. de defectibus in ministerio ipso occurrentibus.

Cum de quibusdam hic a rubrica enumeratis defectibus hinc inde in paragraphis praecedentibus actum sit; aliquibus etiam defectibus remedia parare vel Tyrones in theologia noverint; hinc aliquos tantum hic adnotare et de remediis providere proderit, ut in casibus saltem obviis, haec in promptu sint, praesertim cum Missa semel incepta nullum studendi, sed unicum resolvendi tempus supersit.

Q. II. *Si sacerdos vel ante, vel post oblationem, vel post consecrationem, vel post sumtionem hostiae, vel simul s. sanguinis substantialem quendam in pane advertat defectum, quomodo hunc emendabit?*

R. Si defectum in hostia substantialem advertat sacerdos ante oblationem, amota illa hostia, aliam curet afferri; si post oblationem et tunc aliam adhibeat hostiam, et facta oblatione vel vocali, vel saltem mente concepta prosequatur ab eo loco, ubi desiit. Quodsi aliam aptam nequeat habere hostiam, Missam dimittat.

Si post consecrationem defectum in pane substantialem advertat, aliam postulet hostiam certo aptam, hanc saltem mente offerat et consecret, incipiens a verbis illis: *Qui pridie, quam pateretur*.... Sumta hostia, hac certo valide consecrata cum s. sanguine, ante purificationem sumat ad cautelam hostiam illam, quam judicat invalide consecratam. Quodsi fors sine nausea eam sumere nequeat, eandem alicubi reverenter conservet, donec species substantialiter corrumpantur, et sic corruptae mittantur in sacrarium.

Si post sumtionem advertat, hostiam ob defectum substantialem non fuisse consecratam, tum aliam, uti ante, consecret et sumat, licet non amplius sit naturaliter jejunus, quia praeceptum de sacrificii perfectione praevalet illi de jejunio naturali.

Quodsi post sumptum etiam sanctum sanguinem reflectat primum, hostiam ob defectum substantialem fuisse invalide consecratam, curet sacerdos adferri novum panem certo aptum, ac novum vinum cum aqua et facta prius oblatione, uti supra, sacerdos consecret utrumque, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie* ..... et statim post utriusque speciei consecrationem sumat utramque et prosequitur Missam, quin quidquam repetat eorum, quae mediant inter consecrationem et communionem.

Cur vero novum vinum cum aqua consecrari jubeat rubrica, duplicem ipsa haec affert rationem, ac primam quidem, ne sacramentum maneat imperfectum et secundam, ut debitus servetur ordo, nempe ut corpus existat ante sanguinis effusionem, qui in calice mystice, sive vi verborum a corpore separatur.

Q. III. *Quid, si in casu praecedentis quaestionis sacerdos dubitet, num defectus sit substantialis?*

R. Casu quo sacerdos dubitet, num defectus est substantialis, easdem applicabit responsiones, datas ad quaestionem praecedentem. — Unum est, quod difficultatem parit, an nempe sacerdos, dubitans

de valore consecrationis hostiae, ante ejusdem sumtionem, debeat novam consecrare hostiam absolute, vel sub conditione hac: si prima non sit consecrata? Contra consecrationem absolutam haec militare videtur ratio, quod, si forte prima hostia fuerit consecrata, sacerdos se periculo exponat proximo, bis consecrandi et sumendi corpus Domini. — Qua ratione non obstante illa praeplacet sententia; quae absolutam exigit novae hostiae consecrationem: quia primo in rubrica, si de materiae defectibus et nova consecratione sermo est, ne vel vestigium occurrit apponendae conditionis. Formam quidem sub tacita conditione iterari mandat rubrica, si sacerdos fundate dubitet, num aliquid essentiale omiserit, ast de simili conditionata materiae novae consecratione altum silentium.

Secundum si sacerdos novam consecraret hostiam sub conditione hac: si prima consecrata non sit, de neutro certo constabit, an consecrata sit, unde populus exponeretur periculo idololatriae, si secundam adoraret hostiam fors non consecratam; et sacerdos pariter proximo se periculo exponeret, non cum jejunio naturali sumendi s. sanguinem et post hanc hostiam primam forte consecratam. Haec enim si consecrata fuerit, noluit sacerdos consecrare secundam. Hanc ergo non consecratam primo sumens jejunus non maneret, ideoque sanguinem et post hunc immediate primam hostiam sumerit non jejunus. Cum igitur conditionata novae hostiae consecratio hisce sit obnoxia periculis, illa absoluta consecratio eo magis praeferenda erit, quod etiam ratio contrariae sententiae non stringat; etenim rubrica in aliis quoque casibus novam durante eodem sacrificio consecrationem ac sumptionem praescribit, uti tit. III. N. 6. tit. 4. num. 3. et alibi. Aliunde cum hoc idem sacrificium, fors incompletum, completa nova fiat absoluta consecratio et duplex ejusdem speciei sumptio, ad idem etiam sacrificium spectet, hinc unitati sacrificii non generatur praejudicium, quin potius moraliter una censetur actio. Quae de hostia ob dubium materiae defectum dubie consecrata dicta sunt, applicentur calici in casu simili.

Q. IV. *Si hostia consecrata evanescat, nec reperiri possit, quomodo sacerdos defectum supplebit si consecrata dispareat? vel vento aut miraculo?*

R. Aliam praevia saltem mentali oblatione hostiam consecrabit incipiens a verbis: *Qui pridie* . . . . uti supra, quodsi et sanguis effunderetur, tunc cum pane vinum aqua mixtum efferet saltem mentaliter et utrumque consecrabit.

Q. V. *Si sacerdos ante sumtionem audiat, hostiam consecratam veneno esse infectam, quid aget?*

℞. Cibum vitae in mortem corporis et animae verteret sacerdos, si hanc hostiam sumeret. Igitur alteram praevia oblatione consecret, uti supra: hostia vero veneno infecta servetur in tabernaculo, sed in loco separato, donec corrumpantur species et totaliter corruptae mittantur in sacrarium.

Q. VI. *Si sacerdos hostiam evomet consecratam, quomodo consuletur reverentiae sacramenti?*

℞. Si sacrae species integre appareant, ob summam sacramento debitam reverentiam sumantur, nisi nausea sumtionem impediat, quo casu caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et uti supra: quodsi sacrae species diligenter inquisitae non appareant, aliquanto exspectetur tempore, donec forte adhuc latentes corruptae credantur et dein vomitus comburatur et cineres mittantur in sacrarium. Ea enim, inquit, quae species sacras contigerunt, vel similiter comburendae sunt vel purificandae.

Q. VII. *Si hostia consecrata, vel ejus particula extra corporale decidat in mappam seu linteum, vel in terram, quid postulat reverentia s. sacramento debita?*

℞. Mappa vel linteum diligenter lavetur et lotio ipsa in sacrarium effundatur. Si in terram deciderit hostia vel ejusdem particula reverenter accipiatur; et locus ubi cecidit, mundetur et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur.

Videantur poenae statutae desuper Martene de antiq. Eccl. rit. tom. 1. c. 5. art. 5. — Decreta Pii II. s. P. relata a Gratiano dist. 2. de consecr. can. si per negligentiam. Item poenitentiale Bobiense relat a Mabillonio Tom. 1. Musaei Italici. Num. enim 46. —

Q. VIII. *Si sacerdos post consecrationem corporis, sed ante consecrationem sanguinis advertat, aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice, quid aget?*

℞. Si ante consecrationem calicis advertat, aquam non fuisse vino mixtam, hanc curet afferri, misceatque; si vinum et aquam infundere omiserit, curet afferri utrumque et vinum aqua mixtum oblatione facta saltem mentali consecrabit, incipiens ab illis verbis: *Simili modo* . . . . . si defectum aquae primo resciat post consecrationem, eundem non supplebit; etenim aquae mixtio non pertinet ad essentiam sacrificii perfectam.

Q. IX. *Si sacerdos post consecrationem calicis advertat, non vinum, sed aquam calici fuisse infusam?*

℟. Si id advertat post consecrationem calicis, etiam immediate ante sumptionem corporis, aquam in aliud vas infundat et vinum aqua mixtum calici infundat et praevia oblatione saltem mentali consecret incipiens a verbis: *Simili modo.* Aquam vero invalide consecratam, praevie si ei modo immixta fuerit particula hostiae, sumat post s. sanguinem ante purificationem.

Q. X. *Sed quid, si sacerdos post sumptionem corporis, vel etiam aquae invalide consecratae defectum substantialem advertat?*

℟. Rubrica tit. 4. num. 3. pro casu posito statuit. Primo apponat aliam hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret et sumat quamvis non sit jejunus.

Cum rubrica non dicat: *statim* sumat, prout dicit tit. 3. num. 6. ubi post sumptionem sanguinis, deprehenso defectu substantiali in hostia, novam praescribit consecrationem hostiae et vini cum aqua, colligitur inde, signa et verba media inter consecrationem et sumptionem esse repetenda. Prosequitur rubrica secundo: Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint: ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare ac statim sumere, et prosequi caetera. Unde Sylvius 3. p. Q. 80. art. 8. casum a casu distinguens ad quaestionem propositam respondet: Si sacerdos post sumptionem advertat calici non infusum fuisse vinum sed aquam, tunc etiamsi hoc advertat post sumptionem hujusmodi aquae, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione consecrare et statim sumere, et prosequi caetera: si autem sacerdos secreto celebraret, ubi nullum foret scandali periculum, apponenda esset alia hostia et vinum cum aqua, quae primum offerri, tunc consecrari, ac deinde sumi deberet. Denique addit, in casu priori incipiendum esse a verbis illis: *Simili modo* . . . . in posteriori casu ab illis: *Qui pridie* . . . . Quodsi sacerdos ob ignorantiam vel perturbationem omiserit in casu posito satisfacere rubricae, jamque ab altare recesserit, non iterabit, nec iterare poterit consecrationem, quae utpote actio distincta sacrificio jam peracto non unietur.

Q. XI. *Si vel panis, vel vinum haberi nequeat, poteritne inchoari, vel inchoatam prosequi?*

℟. Si panis vel vini defectus, qui supplere non potest, innotescat sacerdoti ante Missam, vel etiam ante consecrationem, Missam

inchoare, vel inchoatam continuare non licebit. Si post consecrationem corporis primum advertat defectum vini, vel post consecrationem sanguinis hostiam ob defectum substantialem non fuisse consecratam, nec in primo casu vinum novum, nec in secundo novam possit habere hostiam, Missam quidem continuabit celebrans; ast omittit verba et signa illa, quae pertinent ad speciem deficientem. Si tamen exspectando, mora temporis judicio prudenti determinanda, deficiens comparari queat materia, eousque expectandum erit, ne sacrificium maneat imperfectum. Quodsi nonnisi fermentatus haberi panis possit, Lacroix, aliique autores arbitrantur hunc secluso scandalo consecrari posse in casu posito, quia praeceptum divinum de sacrificii integritate ecclesiastico praecepto de assumendo pane azimo praevalere censent.

Q. XII. *Si sacerdos post prolata consecrationis verba utramque materiam ineptam deprehendat, quid aget?*

℞. Benedictus XIV. sect. 2. de sacrif. Missae §. 128. respondet: Quia invalide est consecratio (sacerdos) omittat pariter Missam; nihil enim egit, nec quidquam propterea est, quod suppleri oporteat, ut bene observat Aversa quaest. 10. sect. 16. suadetque dein, ut, si post sumptionem utriusque materiae substantialem avertat defectum, et multitudo adsit Missae audiendae, submissa voce quasdam sacerdos recitet preces, quae ad illam Missae partem non pertinent et populo benedictionem impertiatur, ultimumque legat evangelium.

Verum, si ante sumptionem utriusque materiae defectus sacerdoti innotescat, verosimilius poterit vel etiam debebit panem vinumque adsumere et utram consecrare materiam. Non enim amisisse censetur consecrandi facultatem ideo, quod per errorem materiam adhibuerit inidoneam, cum hac nondum sumta jejunus maneat, nec aliud quidquam obstet. Et si coram astantibus celebret absque scandalo et infamia Missam deserere et ab altari decedere non poterit. Quodsi etiam praeter ministrum praesente nemine celebret, videtur ecclesiasticae contravenire legi, si novam utramque idoneam non consecret materiam, ista siquidem vetat, ne sacerdos Missa notabiliter inchoata ab altari recedat, donec eandem si possit, compleverit.

Q. XIII. *Si hostiae minores, quas consecrandi intentionem ante Missam formaverat sacerdos, ipso non advertente exponantur et maneant extra corporale, suntne consecratae?*

℞. Easdem esse consecratas opinantur quidam; adfuit, inquiunt consecrandi intentio virtualis, easdemque hostiae fuerunt etiam suf-

scienter praesentes, nec obest, extra corporale fuisse positas, id enim non advertente sacerdote, sicque sine ejusdem culpa contigit.

Ast consecratas non esse in casu hostias, verosimilior censet opinio; cum enim sacerdos quilibet praesumatur et debeat habere intentionem, non consecrandi hostias extra corporale positas, hinc intentio ante Missam formata ad hostias illas se extendisse non censetur. Verum quidem est, easdem sine culpa sacerdotis extra corporale fuisse locatas; ast ibidem locatas consecrandi intentionem absque culpa habere non poterat, nec igitur habuisse praesumitur. Ob hanc igitur rationem dici saltem debet, hostias hasce forte non esse consecratas, nec igitur easdem populo distribuere licebit; sed praevie in alia Missa iterum sub conditione (si consecratae non sint) consecrari debent.

Q. XIV. *Si post consecrationem advertat sacerdos, se sub consecratione duas manibus tenuisse hostias sibi coherentes, num ambae censentur consecratae?*

℟. Ambae consecratae sunt. Cum enim sacerdos praesumatur habuisse intentionem consecrandi materiam praesentem nec ad unam hostiam suam limitasse intentionem utraque consecrata tuto creditur. Ideoque rubrica decernit: in sumptione sumat simul utramque.

Q. XV. *Si sacerdos post ablutionem quasdam adhuc inveniat reliquias consecratas, poteritne easdem insumere?*

℟. Rubrica decernit: eas sumat, sive sint parvae, sive sint magnae, quia ad idem sacrificium spectant. Hoc rubricae decretum Sylvius part. 3. Q. 80. art. 8. extendit ad eas etiam particulas, quas celebrans invenerit distributa in fine Missae suae assistentibus communione. — An vero sacerdos ad sacrarium redux sacris nondum depositis vestibus inventas sumere possit particulas? Videtur quod non; cum enim sacrificium jam perfecte completum sit, sumtio harum particularum non ad idem, uti ante loquebatur rubrica, spectare sacrificium, sed distincta, quae prohibetur, communio censetur. Ideoque tunc id idem aget sacerdos, quod in casu sequenti.

Q. XVI. *Sed quid, si post ablutionem sacerdos hostiam integram consecratam inveniat?*

℟. Rubrica statuit: eam in tabernaculum cum aliis reponat, si hoc fieri nequit, sequenti sacerdoti ibi celebraturo in altari super corporale decenter operta sumendam unam cum altera, quam consecraturus est, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quo usque vel in tabernaculo

reponatur vel ab altero sumatur. Quodsi non habeat, quomodo honeste conservetur, eam sumere potest.

Q. XVII. *Si sacerdos ante, vel post consecrationem graviter infirmetur, vel animi patiatur deliquium, vel etiam moriatur, quid consilii?*

℟. Si horum unum eveniat ante consecrationem, praetermittitur Missa, cujus nulla adhuc existit pars essentialis, quodsi tamen una, vel utraque materia oblata jam fuerit, eandem consulto adhibebit alius sacerdos celebraturus.

Quodsi infirmitas, animi deliquium, vel mors sacerdoti accidat post consecrationem corporis, vel sanguinis Missa per alium erit complenda sacerdotem naturaliter jejunum, quique ea die celebravit nondum, qui ab eo incipiet loco, ubi alter sacerdos desiit. — Quodsi tamen in hoc necessitatis casu sacerdos nequeat inveniri jejunus, etiam *non jejunus,* quin et post celebratam modo a se Missam, vel quiscunque alius sacerdos, dummodo in defectu confessarii saltem per contritionem dispositus sacrificium perficiet. Praeceptum enim de perfectione sacramenti majoris est ponderis, quam quod sacerdos non jejunus, vel post celebratam modo Missam, vel sine confessione sacramentali celebret. Pergit rubrica: Si non obierit sacerdos, nec ejus infirmitas obstet, quominus communicare valeat et alia non adsit hostia consecrata sacerdos, qui Missam supplet dividat hostiam sacrificii, et unam partem praebeat infirmo, et aliam ipse sumat.

Quodsi sacerdos infirmus eatenus reconvaluerit, ut non tantum hostiam, sed et sacrum integrum commode sumere valeat sanguinem, volunt plures, tum Missam ab alio non esse supplendam sacerdote, sed sumta ab infirmo utraque specie omnes alias omittendas esse preces. Quae praxis obligabit saltem tunc, quando jejunus et caeteroqui omni ex parte habilis nequeat inveniri sacerdos.

Si sacerdos celebrans obierit, vel infirmus sacras nequeat sumere species, nec alius inveniri possit sacerdos, qui ante meridiem sacrificium complere valeat, non posset laicus, quamvis dispositus, s. hostiam, multo minus sacrum sumere sanguinem, sed una vel utraque species per digniorem praesentem personam foret in tabernaculo recondenda et die sequenti sacerdos celebrans hostiam cum sacro sanguine sumet, post sumtum sacrum sanguinem a se consecratum.

Si consecratio coepta fuerit, sed nondum perfecta, quia sacerdoti constat hostiam esse consecratam, jam sacerdos supplens solum consecrabit vinum. Quodsi a contrario compertum sit, ne hostia

quidem fuisse consecrata, qui forma tantum semi prolata fuit, non est necesse, inquit rubrica, ut Missa per aliam suppleatur. Sed si dubitetur, an forma consecrationis panis integre fuerit prolata, sacerdos supplens a verbis illis: *Qui pridie* . . . . incipiet et hostiam sub conditione hac mente retenta: si non a sacerdote praecedente consecrata sit, consecro ego, vel uti praeplacet Gavanto, sacerdos supplens novam absolute consecret hostiam et priorem dubie consecratam sumat post sumptionem s. sanguinis a se consecrati.

Si certo constet hostiam a priori sacerdote esse consecratam et dubitetur, num integre fuerit prolata forma consecrationis calicis, tunc sacerdos supplens vel sub conditione mente retenta integram repetet formam incipiens ab illis verbis: *Simili modo* . . . . vel, pergit rubrica, posset sacerdos supplens in alium calicem novum infundere vinum aqua mixtum, illudque praevia mentali oblatione consecrare absolute et hostiam primi sacerdotis atque sanguinem a se absolute consecratum sumere, ac dein calicem a priori sacerdote dubie consecratum. Secundum hunc modum plures autores adhibendum esse volunt, si alius calix, aliud vinum haberi possent, forma enim conditionata, uti in praecedente modo adhibenda, causam requirit justam, quae non adesse censetur tunc, quando novum vinum haberi et absolute consecrari potest.

Q. XVIII. *Si musca, aranea, vel simile quid in calicem decidat, quid aget celebrans?*

℟. Si simile quid accidat ante consecrationem projiciat sacerdos vinum et calice abluto, in eundem novum infundat vinum aqua mixtum, illudque saltem mente offerat et Missam prosequatur.

Si vero musca, aranea, vel simile quid in calicem decidat post consecrationem et absque nausea vel etiam vomitus periculo cum sanguine a sacerdote sumi nequeat, tunc celebrans id, quod decidit, extrahet, vino lavabit ac lotum in vasculo reponet, illudque Missa tandem finita comburet, atque combustum cum lotione in sacrarium immittet.

Quodsi aliquid venenosum in calicem deciderit, vel quod vomitum provocat, quodque separari nequit, sacrum sanguinem sumere tunc prohibetur sacerdos. Igitur vinum consecratum veneno infectum, aut ad vomitum provocans, reponet in alium calicem, vel etiam melius in eodem relinquet, et alium, si haberi possit assumet calicem, in quem novum vinum aqua mixtum fundet et praevia oblatione saltem mentali consecrabit, ac post sacram hostiam sumet. Missa finita sanguis repositus in panno linneo vel in stuppa tamdiu in

tabernaculo separatim servetur, donec sacrae species fuerint exsiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur.

Q. XIX. *Quid si sacra hostia vel ante, vel post fractionem fortuito in sacrum sanguinem decidat?*

℟. Si tota sancta hostia in sacrum sanguinem deciderit, propterea nihil est iterandum, cum nec hostiae fractio, nec immissio particulae in sacrum sanguinem, nec separata hostiae sumtio ad substantiam sacrificii spectet. Sacerdos igitur Missam prosequatur, dicatque omnia, sed omittat signa et cruces, quae fierent, si hostiam manu teneret, dicens tamen ter: *Domine, non sum dignus* . . . sinistra super altare ponet et dextra ter pectus percutiet, et dein sumet pariter corpus et sanguinem, calice se signans dicensque: *Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiant* . . . . si vero pars hostiae non madefacta remanserit, cum hac ipsa faciet ceremonias et alia signa consueta.

Q. XX. *Si hyemali tempore species sacri sanguinis congelentur, quid ante eorundem sumptionem aget sacerdos?*

℟. Rubrica praescribit: Involvatur calix pannis calefactis, si id non proficeret, ponatur in fervente aqua prope altare (dummodo in calicem non intret) donec liquefiat.

Recepta etiam praxis probat, ut idem effectus allato procuretur igne; dummodo caveatur, ne cineres vel igniti in mappas altaris carbunculi decidant. Quodsi forte nullum praedictorum mediorum ad manum foret, species vini congelati digitis: indice et pollice comminutae sumi possent. Sed quid, si sacerdos post consecrationem corporis advertat, vinum esse congelatum, inprimis verosimilior admodum ea est opinio, vinum congelatum, esto non licite, valide tamen consecrari posse. Congelatum enim non exuit naturam vini, nec ejusdem essentia in usu proximo expedito consistit; et insuper rubrica exponit, sub congelatis post consecrationem vini speciebus porro contineri sacrum sanguinem. Cur igitur non posset vinum congelatum in eundem converti sacrum sanguinem? Cum interim sua contrariae sententiae non desit probabilitas, ideoque valor consecrationis vini congelati reddatur dubius; hinc curet sacerdos, ut uno mediorum supra suggestorum ante consecrationem liquefiat, vel posset etiam celebrans, si in promptu esset vinum non congelatum, illud aqua mixtum in alio calice praevia mentali oblatione consecrare. Sed si peracta corporis consecratione primum advertat celebrans, vinum esse congelatum, nec ullum liquefaciendi illud ad esset me-

dium, neque aliud non congelatum in alio calice posset haberi vinum? Si in casu hoc vix practico vinum congelatum non consecret sacerdos, imperfectum manebit sacrificium; si consecret et quidem sub conditione, si nempe vinum congelatum sit materia apta, exponet populum idololatriae periculo, si vinum hoc consecratum non foret. Interim cum multo verosimilior ea sit opinio, quae vinum congelatum materiam pronuntiat idoneam, ideoque periculum idololatriae ex una parte non adeo verosimile videatur, ex altera vero parte sacrificium certo maneat imperfectum, si omittatur alterius speciei consecratio, hinc conditionata vini congelati consulenda quidem videtur; cum tamen non omnis contrariae sententiae abjudicari possit probabilitas, eo minus, quod in casu posito a complendo sacrificio non praevisa videatur excusare impotentia; hinc electio sit penes celebrantem.

Q. XXI. *Si una vel plures guttulae sacri sanguinis in terram, seu tabulam, vel lapidem, vel linteum altaris, vel in corporale, vel in vestes sacerdotis, vel in substratum pedibus pannum, vel tapetum ceciderint, quomodo in his casibus consulit rubrica reverentiae sacramenti?*

℟. Si aliquid s. sanguinis in terram seu tabulam ceciderit, lingua labatur sanguis effusus ab ipso celebrante. Si hic id praestare nequeat, alius sacerdos jejunus et hoc deficiente non jejunus, — et sacerdote non presente etiam laicus, caeteroqui dispositus sacrum lambet sanguinem. Dein locus radatur, quantum satis est, et abrasio speciebus tamen exsiccatis, comburatur et cinis in sacrarium mittatur; lavetur etiam instrumentum, quo rasus est locus, et lotio haec pariter in sacrarium mittatur. Si super lapidem altaris ceciderit aliquid sancti sanguinis, sorbeat sacerdos stillam et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium mittatur. Si super linteum altaris et super secundum vel etiam tertium linteum stilla penetraverit, linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit, calice supposito et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur.

Quodsi in ipsum corporale tantum, aut si in vestes sacerdotales ceciderit sanguis, debet hic similiter ibi ablui et ablutio in sacrarium projici. Si in substratum pedibus pannum vel tapetum: bene abluatur, ut supra.

Si tandem contingat totum effundi sanguinem, siquidem aliquid vel parum remanserit sive in calice, sive extra calicem, quod veri potus rationem haberi possit; illud sumatur, nec necesse erit, novum consecrare vinum. Si vero nil omnino, vel una tantum et altera re-

manserit guttula, curet sacerdos novum afferri vinum cum aqua, quod mixtum praevia saltem mentali oblatione consecret, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo* . . . . qua consecratione peracta ibidem pergat, ubi ante effusionem desierat.

Coronidem imponens rubrica inquit: Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si sacerdos ignoret ritus et caeremonias ipsas in eo servandas. *Quae ignorantia,* utpote eorum, quae vi muneris sui sacerdos scire tenetur, *innocens nunquam erit.* Ideo concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. cap. 17. decernit: *Districte praecipimus, ut episcopi promovendos sacerdotes diligenter instruant et informent vel per se ipsos, vel per alios* divinis officiis et ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. Satius est enim, maxime in ordinatione sacerdotum *paucos bonos,* quam *multos malos* habere ministros.

Caeterum quum s. paginae generatim requirant fideles ministri et dispensatores mysteriorum Dei illumque declarant, *maledictum, qui facit opus Domini fraudulenter,* juxta vulgatam — alii autores et Allioli habent et „negligenter" oppido necessarium est, ut quivis se ad munia sacerdotalia *rite, digne* et *meritorie* obeunda juxta praescriptum ecclesiae requisita scientia ac sanctimonia non solum duntaxat idoneum reddat, sed easdem quoque qualitates continuo conservare pro viribus suis, ne damno suo irreparabili quondam comparetur, *filiis Heli, filiis Belial nescientibus Dominum neque officium* sacerdotis. Reg. II. 12.

De ritibus et caeremoniis Missae solemnis

una cum differentiis praecipue Coloniensi Archidioecesi propriis.

Tractatus secundus practicus.

TITULUS PRIMUS.

De officiis quatuor acolythorum ante et intra Missam solemnem, nempe duorum ceroferariorum et thuriferarii et navicularii.

§. I.

De officiis acolythorum ante Missam solemnem.

1. Acolythi adorato praevie sanctissimo sacramento vel exposito, vel incluso, mature sese ad sacrarium conferent.

2. Bini ceroferarii Lotis antecedenter manibus superpellitiis induent, et ad credentiam mantili lineo, nitidoque tectam quaeque sit a latere epistolae in plano presbyterii deferent: *primo* ampullas vini et aquae impositas pelviculae una cum mantili mundo ad angulum anteriorem dextrum mensae versus altare; *secundo* ad angulum eundem velum oblongum plicatum, coloris paramentorum, imponendum humeris subdiaconi, quo hic patenam involutam tenebit.

NB. Velo hoc nostra non utitur hucusque Dioecesis.

Tertio ad angulum sinistrum: librum evangeliorum et librum epistolarum, si hi libri a se mutuo discreti extent; caeteroqui missale tantum pro cantandis evangelio et epistola.

Quarto in medio mensae spatium relinquent sufficiens, ubi subdiaconus calicem a se vestitum collocabit.

Quinto ejusdem mensae angulum utrumque posteriorem destinabunt duobus candelabris cum candelis accensis.

In Missis privatis solito more adhibentur pueri, saepissime vidimus eos ministrantes illotis manibus sordidi stercore pleni, reperimus inscitiam, ruditatem, negligentiam etc. apud eos

maxime vigere praesertim ruri nescientes, quomodo respondeant et proferant verba super verba, ut quo citius finiant, blaterantes cuncta. Pastoribus et rectoribus ecclesiarum incumbit ad eos rite et debite instruendos, quum adversus Deum peccent si secus faciant.

Liber clausus ad altare defertur. Significat testimonia clausa et involuta tenebris figurarum, in altari depositus aperitur et praeparatur ad significandam salvatoris mundo ostensionem claram et manifestationem. Solus enim agnus septem signacula operiri potuit libri sacramenti incarnationis et passionis suae. Nicol. Cabasila in Exp. liturg. c. 1 et 16 et Hugo de s. Victor. lib. 2. off. c. 14.

Errant qui ampullas, librum evangeliorum seu epistolarum, aliisque imponenda credentiae, altari imponunt. Vinitoris l. c. p. 341. Quod, ut intelligas, animadverte. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis proprii libri erant, quibus utebantur in Missa solemni, unus continebat solummodo epistolas, alter solummodo evangelia, vel inerant hae duo partes in uno.

3. Ceroferarius primus missale ad usum celebrantis a diacono signaculis discretum et apertum ad cornu epistolae supra pulpitum vel pulvinum portabit.

4. Thuriferarius pariter et navicularius lotis praevie manibus superpellitiis induant, et navicularius thus naviculae et thuriferarius thuribulo prunas imponi curabunt.

Thuribulum ipsum denotat Christum, in quo divinitatis ignis cum humanitate continetur tum ob tanti sacrificii honorem et reverentiam, item repraesentat thurificatio magorum aurum thus et myrrham nec non et aromata, quae sepeliendo Domino sunt oblata. S. Germanus in theoria.

5. Bini ceroferarii ministros sacris vestibus sese induentes juvabunt.

6. Ceroferarius primus ad lotionem manuum sacerdotis aquam fundet supra pelvim, quam alter tenebit ceroferarius, qui et praesentabit mappulam.

7. Ceroferarii candelabra cum candelis accensis sic assument, ut ceroferarius a dextris consistens manu dextra medium candelabri globum et sinistra pedem; alius a sinistris sinistra globum et dextra candelabri teneat pedem. Dein retro diaconum primus, et retro subdiaconum secundus egressum e sacraria expectabunt.

8. Thuriferarius majori annulo supra manubrium thuribuli dextra apprehenso, thuribulum moderate agitabit, sinistramque ante pectus ponit. Navicularius pedem naviculae pariter tenebit dextra, ponet-

que sinistram ante pectus, et ita thuriferarius et navicularius inter utrum ceroferarium retro sacerdotem consistent.

9. Thuriferarius et navicularius ante egressum e sacrario ad sinistram diaconi, dato ab hoc signo accedent, et navicularius eidem diacono naviculam apertam cum cochleari praesentabit; thuriferarius interim tenens sinistra manubrium thuribuli immittendo pollicem annulo majori elevabit dextra operculum, thuribulum ope annuli minoris cum catena operculo correspondentis, sicque apertum thuribulum elevabit, etiam reliquis dextra apprehensis catenulis, coram sacerdote et data ab hoc benedictione incensi cum naviculario, qui imposito incenso naviculam recepit, ad priorem stationem inter utrumque ceroferarium revertitur.

NB. In *Coloniensi Archidioecesi* celebrans ante egressum e sacrario non benedicit incensum.

> Thuriferarius cum thuribulo fumigante significat naturam humanam orantem Deum pro redemptione mundi, duo acolythi legem et Prophetas. Hugo Victor in spec. cap. 7.

10. Dato a sacerdote egressus signo et exhibita ab omnibus cruci capitis inclinatione profunda et minori eadem ipsi celebranti, primo egrediuntur bini ceroferarii, primus a dextris et secundus a sinistris tenentes candelabra uti superius. Hos sequantur thuriferarius a dextris et navicularius a sinistris. Thuriferarius annulo majori dextra apprehenso thuribulum leviter agitat, sinistra pectori admota. Navicularius pedem naviculae dextra tenet ita, ut pars, quae aperietur, sit exterior et sinistram pectori applicet. Hos subsequitur subdiaconus et hunc diaconus; postremus tandem egreditur sacerdos. Omnes interim procedunt incessu lento ac gravi, oculisque ad terram demissis.

> Subdiaconus et diaconus — sanctos patres vicinos nativitate Christi significant, qui parant viam Domino. — Hugo Victor l. c.

11. Si transeant altare majus, in quo fors Missa non erit celebranda et in eodem asservetur sanctissimum sacramentum in tabernaculo. Acolythi eodem, quo in sacrario constiterant ordine; ministri vero a lateribus celebrantis, omnes capite discooperto flectant uno genu. — Quodsi Sanctissimum ibidem inclusum non sit, coram Crucifixo nihilominus omnes eodem modo genuflectent solo celebrante excepto, qui tantum profunde cruci se inclinabit capite detecto. — Quodsi transeant coram sanctissimo sacramento exposito, paulo ante adventum ad altare caput detegunt et advenientes omnes utrumque

genu flectunt capite simul profunde inclinato; quod idem observabant, si transeant sacerdotem sanctam distribuentem communionem. — Pariter si in altari, quod transeunt eleventur sacrae species, ubi non surgunt prius, quam celebrans calicem deposuerit supra corporale et aliquantulum progressi caput contegunt. — Si transeant altare post consecrationem ad communionem inclusive, unum genu flectent omnes detecto capite. — Si ante consecrationem vel post communionem sacerdotis nullam exteriorem exhibebunt reverentiam, nisi exposita sit reliquia *s. Crucis,* quo casu S. R. C. decrevit 15. Septembris 1736: Si loco principe reliquia s. crucis super altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram venerari debent: diversi modo vero sola capitis inclinatione, si praefata reliquia recondita erit intra custodiam.

§. II.

De officio acolythorum a principio Missae ad offertorium usque.

1. Acolythi advenientes coram altare, in quo erit celebranda Missa, eodem quo ante ingressum constiterint, ordine sese collocabunt ita, ut ceroferarius primus retro diaconum, et secundus retro subdiaconum, thuriferarius et navicularius retro sacerdotem inter utrumque ceroferarium medii consistant.

2. Bireta sacerdotis et ministrorum deposita acceptabit sacrista et ad quoddam praeparatum collocabit scamnum, nunquam vero ad altare.

3. Acolythi celebrante et ministris vel his solis genuflectentibus et ipsi utrumque genu flectunt et flectentes manent, donec celebrans finita confessione ad altare ascendat; quo ascendente surgunt, et quo coram exposito sanctissimo sacramento in adventu ad altare genuflectente et ipsi genuflectunt semperque durante Missa cum sacerdote genuflectent, nisi legitime impedirentur et siquid occurrat, quod capitis exigit inclinationem et hanc ipsi exhibebunt.

4. Celebrante post ascensum inchoante: *Oramus te, Domine . . .* thuriferarius et navicularius supra infimum altaris gradum uno genu flectentes ascendunt ad suppedaneum, et navicularius diacono representat naviculam et thuriferarius thuribulum apertum coram celebrante elevatum sustinet, uti §. priori num. 9. reddita naviculario navicula a diacono, impositoque a celebrante incenso thuriferarius thuribulum clausum tenens manubrii annulo majori exterius inter

pollicem et indicem sinistrae et dextra omnes catenulas prope vasculum, offert diacono. His datis thuriferarius et navicularius descendentes ad infimum gradum altaris genuflectunt; et navicularius ad priorem stationem revertitur, thuriferarius vero ascendens ad cornu epistolae sumit pulpitum vel pulvinum cum missali et descendens per cornu epistolae et regrediens ad locum consuetum ad dextram navicularii exspectat incensationis finem; qua itaque finita, pulpitum vel pulvinum cum missali ad cornu epistolae reportat, et descendens, a sinistris diaconi, qui incensabit celebrantem thuribulum recipit et ad stationem regreditur suam.

Ad Kyrie eleison (in antiquo codice descripto) manus demittebantur, quia Christus super omnem fulgens lucem illuminans advenit.

5. Cantato gloria, vel si non cantetur cantato *Dominus vobiscum,* genuflectunt primo bini ceroferarii et dein thuriferarius, et navicularius, et ceroferarii candelabra cum candelis ad credentiam deferentes eadem collocant ad utrumque posteriorem credentiae angulum et prope eandem junctis ante pectus manibus et facie ad altare conversa juxta se consistentes expectant functiones ulteriores. Thuriferarius et navicularius vero ad sacrarium revertuntur, ignemque thuribuli adjectis nutriunt carbonibus, si necesse fuerit.

6. Si sub hymno angelico cum sacerdote ministri ad sessionem descendant ad latus epistolae, bini ceroferarii bireta afferent, et ceroferarius primus sacerdotis et diaconi bireta, secundus vero biretum tertium subdiacono porrigit, et partem posteriorem dalmaticae diaconi et subdiaconi elevabunt, ne super ea sedeant. Finita sessione bireta reassumunt et ad locum priorem reportant.

7. Celebrante collectam cantante ceroferarius primus sumptum de credentia librum epistolarum vel missale defert subdiacono cum inclinatione capitis versum ipsum et repetat stationem priorem. Si liber, quo usus est subdiaconus solas contineat epistolas tum impeditis ob functionem sequentem, ceroferarius sacrista diacono affert librum evangeliorum; et acceptum a subdiacono librum epistolarum ad sacrarium reportabit.

8. Lecta a sacerdote epistola bini ceroferarii reassumptis de credentia candelabris cum cereis accensis procedunt ad medium, illosque immediate consequuntur thuriferarius et navicularius ac praevia omnium in eodem medio genuflectione se eodem, quo ab initio Missae, ordine consistunt.

9. Lecto a celebrante evangelio et ejusdem secuta in medio

genuflectione vel inclinatione, thuriferarius et navicularius praevia simili genuflectione (in loco ubi consistant) ad suppedaneum ascendunt, et navicularius naviculam diacono apertam cum cochleari praesentat, thuriferarius thuribulum apertum et coram celebrante elevatum sustinet, uti § praecedente num. 9, sub hac tamen exceptione; quod thuriferarius retineat et cum naviculario descendit, ad infimum gradum genuflectit et ad consuetam regreditur stationem.

10. Dum a choro ratione temporis cantatur ultimum *Alleluja*, vel finis gradualis, sive tractus vel sequentiae, praemissa cum ministris genuflectione, bini ceroferarii procedunt cum candelabris et cereis versus cornu evangelii, ibidemque sinistra sua ad cornu evangelii, facie vero ad diaconum conversa ita consistunt, ut subdiaconus tenens librum, vel si imponatur liber pulpito, hoc in medio eorum sit. Sub initium evangelii non signant se cruce, utpote legitime impediti.

11. Ceroferarios versus cornu evangelii procedentes praemissa pariter cum ministris genuflectione immediate sequuntur thuriferarius et navicularius, qui post subdiaconum tenentem librum vel retro pulpitum stantes consistunt; et cantato sequentia s. evangelii . . . a diacono, thuriferarius eidem a dextris offert thuribulum, uti superius num. 4 tenens tamen dextra annulum et sinistra catenulas thuribuli; statimque pergit ad ejusdem diaconi sinistram. — Ut non tergum vertat incedendo altare incedat post tergum ceroferariorum ad diaconi sinistram, et libro incensato ab eodem diacono thuribulum recipiens ad priorem revertitur stationem cantato evangelii fine a dextris diacono thuribulum porrigit iterato, illudque stans a sinistris ejusdem sacerdote incensato recipit.

Ceroferarii praecedentes diacono ad evangelium duos portantes candelabras candelis accensis significant *Henoch* et *Heliam*, istos veteres testes resurrectionis mortuorum et vivorum populum illuminantes. Thuriferarius cum *thuribulo*, quod significat corpus Christi passum, ejusdemque incensi *fumus* sanctorum orationes. Carbones autem ejus sancti spiritus designant illuminationem sive fervorem caritatis. Ceroferarii cum candelis accensis juxta s. Hieronymum (contra Vigilantium) Isidorum et Rupertum loc. cit. praecedunt in signum laetitiae ex doctrina evangelii, ad significandum nos de tenebris infidelitatis ad veritatis venisse lucem evangelii Jesu Christi, qui est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Juxta Amalarium, ut significemus legem et Prophetas Christo testimonium praebuisse — Juxta Innoc. III, quod discipuli bini missi sunt, cum miraculorum fulgore in omnem

locum, in quem venturus erat Christus ipse, vel ex Ordine Romano, quod in nobis cum evangelii doctrina debeant esse duo praecepta caritatis Dei scilicet et proximi, aliter enim servus sciens voluntatem domini et non faciens vapulabit plagis multis Lucae 12. Praecedit thuribulum ante evangelium tum ex Amalari l. c. et Micrologo ad significandum bona opera et virtutum odorem, quae evangelicam doctrinam praecesserunt, quod Christus teste Luca coeperit facere et docere tum ex Innoc. III. Ruperto l. c. quia annuntians evangelium talis esse debet, ut dicebat s. Paulus: Christi bonus odor sumus. II. Cor. 2. Diaconus pulpitum ascendens lecturus evangelium veteri consuetudine, uti constat ex Cypriano, Cassiodoro, Socrate, Walefrido, Amalario, Innoc. III. l. c. et Alensi 4. p., ut melius audiatur ab omnibus secundum illud Jesaiae c. 40. Itemque ad denotandum veritatem evangelicam palam annunciandam non in latebris, ut faciant haeretici, denique ex Amalario et Turrecremata ad indicandam eminentiam legis et doctrinae evangelicae, cujus autor Dei fuit sapientia. Scortia l. c.

12. Recedentibus ad medium ministris ceroferarii et thuriferarius cum naviculario ad idem medium regrediuntur; ibidemque cum ministris genuflectunt, sacrista interim librum evangeliorum a subdiacono post ejusdem descensum ab altari acceptum defert ad sacrarium. Cantato credo, vel hoc omisso cantante sacerdote: *Dominus vobiscum*, recedunt praevia genuflectione acolythi, uti supra num. 6.

13. Si cantetur symbolum acolythi omnes genu utroque flectunt cum celebrante et ministris, dum chorus incipit: *Qui propter nos homines*, usque ad: *et homo factus est*, inclusive.

14. Si sub symbolo ad sessionem cum ministris descendat celebrans bini ceroferarii ea observabunt, quae observanda sub hymno angelico. — Hoc tradit. num. 7, et diacono sub eodem symbolo credentiae appropinquanti ceroferarius primus bursam cum incluso corporali de eadem credentia acceptam praesentabit.

§. III.

De officio acolythorum ab offertorio ad finem usque Missae.

1. Cantato *Dominus vobiscum* et *Oremus* a celebrante, ceroferarius primus subdiaconum advenientem oblongo vestet velo de credentia accepto, illudque humeris ejusdem imponet et ita adaptabit, ut antrorsum aequaliter utrimque dependeat.

NB. Velo hoc dioecesis Coloniensis hucusque non usa est.

2. Bini ceroferarii cantato *Oremus,* acceptam de credentia pelvim cum ampullis ad cornu epistolae sic deferunt, ut ceroferarius primus manu sinistra pelvim et vini ampullam dextra, et alter pelvim dextra et ampullam aquae sinistra teneat, ne una vel altera ampulla decidat, et praevia ad infimum altaris gradum genuflectione primus ampullam vini subdiacono porrigit, qua reddita alter ampullam aquae tenebit elevatam; haustaque a subdiacono aqua, utramque ampullam pelvi reimponent; et praemissa genuflectione eo, quo venerant ordine pelvim cum ampullis ad credentiam reportabunt, ibidemque more consueto consistent.

NB. Post illam genuflectionem cum ad credentiam ampullas reportant vertunt se non ita, ut tergum vertant altari, sed se vertunt ita, ut ceroferarius primus nunc manum dextram ad pelvim, et sinistram ad ampullam alter manum sinistram ad pelvim et dextram ad ampullam ponat.

3. Thuriferarius et navicularius cantato: *Oremus,* ad medium revertuntur uno genu ibidem flectentes. Oblatione calicis finita ad infimum gradum altaris praemissa genuflectione ad suppedaneum ascendunt, et navicularius naviculam diacono praesentat; et thuriferarius thuribulum coram celebrante apertum et elevatum tenet, uti §. I. num. 9. Reddita naviculario navicula, impositoque a celebrante incenso thuriferarius thuribulum clausum porrigit diacono et eadem repétit, quae egerat §. II. num. 4. Dum interim ambo thuriferarius et navicularius ad infimum altaris gradum genuflexi ulterior ad priorem revertitur stationem.

4. Si diaconus incensato celebrante vergat ad incensandum chorum, ubi hic mos viget, tum injecto a naviculario in thuribulum thure thuriferarius et navicularius eundem diaconum sequuntur, cumque diaconus ad altare redux, quocum ibi genuflectunt, subdiaconum incensabit ac thuribulum reddit thuriferario. Iste duplici ductu incensat diaconum submutua inclinatione capitis ante et post. Thuriferarius dein incensat (stans in cornu epistolae in plano capellae) uno ductu ceroferarios et navicularium (stantes in cornu evangelii facie ad incensantem versa) et alios clericos si adsint pro more recepto. Tandem praevia genuflectione in medio presbyterii et debita reverentia choro exhibita ab utroque ejus parte procedit ad ingressum dicti presbyterii et paulisper versus latus evangelii incensat populum tribus ductibus et quidem primo in medio; dein ad suam sinistram, et tertio ad dextram terque versus easdem partes sese inclinat, et dein exhibita genuflectione altari et debita choro

reverentia navicularium accedit et peracta genuflectione ambo recedant ad sacrarium.

NB. In Coloniensi Archidioecesi non incensatur populus.

In ecclesiis minoribus, ubi non habetur chorus, thuriferarius cum naviculario dicto a celebrante: *Orate fratres,* praevia genuflectione ad sacrarium redeunt.

5. Peracta a diacono celebrantis incensatione bini ceroferarii ampullam aquae pelvi super impositam cum mantili nitido ad celebrantem deferunt et ceroferarius primus acceptum de pelvi mantile diacono tradit, nisi hic eo tempore incenset chorum, quo casu ipsemet celebranti mantile ad tergendas manus offeret; alter vero pelvim sustinet dum super ea manibus celebrantis subdiaconus aquam affundit vel sic hic patenam teneat secundus ceroferarius aquam affundit. Dein ampullam cum manutergio pelvi reimpositam ad credentiam reportant et juxta se more consueto consistunt.

6. Sub praefationis finem bini ceroferarii acceptis candelabris cum cereis de credentia ad medium revertuntur, illosque immediate sequuntur thuriferarius et navicularius et praevia genuflectione ad stationem consuetam regrediuntur, uti §. II. num. 1.

7. Diacono ante consecrationem utroque genu supra suppedaneum flectente ceroferarii pariter et navicularius utroque genu flectunt; thuriferarius vero uno genu flectit et mox imposito a naviculario thure surgit, et si fors patenam non teneat subdiaconus, huic ad infimum gradum prope latus epistolae utroque genu flectenti thuribulum a dextris porrigit, tenens ejusdem manubrii annulum majorem exterius inter indicem et pollicem dextrae et sinistrae omnes catenulas prope vasculum, et ad latus dextrum navicularii revertitur flectens ibidem cum caeteris utroque genu, surgit incensatione calicis finita et a sinistris subdiaconi thuribulum recipit. Quodsi subdiaconus patenam teneat, ipse thuriferarius ad praedictum ultimum gradum prope latus epistolae utroque genu flectens pollicem sinistrum immittit annulo thuribuli majori et dextrae omnes comprehendit catenulas, quas inter medium et annularem digitos collectos supra annularem et auricularem digitos dependere facit; sicque thuribulum a se paululum remotum sustinet manibus junctis, et incensationem perficit ita, ut triplici distincto ductu et pausa inter quemlibet simpliciter simplicem interposita, sanctam incenset hostiam. *Primo* dum celebrans flectendo eam adorat; *secundo* cum eam in altum elevat et *tertio* cum celebrans ea deposita iterum genuflectit; ante vero et post incensationem exhibet profundam capitis inclinatio-

nem, et similiter incensat calicem consecratum, qua incensatione finita regreditur ad priorem in medio genuflectionem.

8. Dicto a celebrante: *Nobis quoque peccatoribus*, quatuor acolythi simul surgunt et praevia genuflectione ceroferarii ad credentiam reportant candelabra, ibidemque, ut alias consistunt, thuriferarius vero et navicularius ad sacrarium revertuntur.

9. Si subdiaconus patenam teneat, eaque circa finem orationis dominicae detegat diaconus, cui eandem subdiaconus demittit, tunc ab humeris ejusdem subdiaconi acceptum et dein complicatum velum ceroferarius primus ad credentiam defert, ibidemque cum altero ceroferario ad: *Agnus Dei* profunde inclinans ter pectus percutit; idemque bini ceroferarii faciunt, utroque genu flectentes ad: *Domine, non sum dignus.*

10. Si subdiaconus primo cujusque ordinis in choro pacem det, illum sequitur primus ceroferarius, cumque subdiaconus ad altare redux praevia genuflectione pacem quoque det, eidem primo ceroferario, hic pariter dabit alteri ceroferario pacem, et hic thuriferario, et iste tandem naviculario, qui duo ultimi igitur sepositis thuribulo et navicula prope secundum ceroferarium ad *Domine, non sum dignus*, utroque genu flectent.

NB. Nec huic ceremoniae quoad acolythos Coloniensis adsuevit Archidioecesis.

11. Sumpto a sacerdote s. corpore Domini, surgunt bini ceroferarii et de credentia acceptant pelvim cum ampullis vini et aquae superimpositis ad cornu epistolae deferunt, uti §. III. num. 2.

Et ceroferarius primus porrigit subdiacono primo ampullam vini et dein aquae, ceroferario secundo interim sustinente pelvim et receptam a subdiacono utramque ampullam eidem pelvi reimposita praevia ad infimum gradum genuflectione ad credentiam reportant.

12. Si velum calicis manserit in credentia ceroferarius primus illud praevia in medio genuflectione (ascendens per gradus laterales) ad cornu evangelii defert, ibidemque a sinistris subdiaconi huic porrigit et iterata in medio genuflectione ad credentiam redit.

NB. In Archidioecesi Coloniensi velum calicis in altare deponitur, uti in Missa privata.

13. Celebrante cantante: *Dominus vobiscum*, bini ceroferarii reassumtis de credentia candelabris cum cereis et post hos thuriferarius cum thuribulo et naviculario cum navicula (alibi sine thuribulo et navicula) ad medium more consueto vadunt, genuflectunt, ibidemque consistunt.

14. Ministris retro celebrante ante dandam benedictionem utroque genuflectentibus quatuor acolythi pariter utroque genu flectunt et data benedictione surgunt, dum interim sacrista pro celebrante et ministris bireta defert, eisdemque post descensum ab altari porrigit.

15. Iisdem ministris post descensum ab altari ad infimum gradum coram exposito sanctissimo sacramento genu utroque, vel coram incluso cum celebrante uno genu, vel coram crucifixo, solis ministris uno genu flectentibus quatuor acolythi pariter duobus genibus vel uno genu flectunt, et bini ceroferarii primo, dein thuriferarius et navicularius eodem, quo e sacrario egressi sunt, ordine ad idem sacrarium revertuntur, et ibidem juxta se consistentes cum sacerdote et ministris cruci profundam capitis et celebranti dein cum ministris minorem capitis exhibent inclinationem.

16. Sepositis candelabris cum cereis ceroferarii diaconum et subdiaconum, qui celebrante sacras exuente vestes juverant, pariter s. vestes exuentes juvant. Tandem thuriferarius thuribulum et navicularius naviculam et bini ceroferarii pelvim, ampullas, mappulam, velum oblongum, candelabra cum cereis et libros missales (suis quaeque ordine et loco) collocant et praevia genuflectione coram sanctissimo sacramento exposito vel incluso recedunt in pace.

§. IV.

De officiis acolythorum, quae in Missa solemni pro defunctis specialim vel praestanda, vel omittenda.

1. Ceroferarii ante Missam non deferunt velum oblongum ad credentiam, utpote quo non utetur subdiaconus.

2. Thuriferarius cum naviculario non accedit ante egressum e sacrario ad sacerdotem et diaconum ad imponendum incensum.

3. Et quoniam ante Introitum non incensatur altare, thuriferarius et navicularius ante Missam non sequuntur in egressu ceroferarios.

4. Bini tamen ceroferarii cum candelabris et cereis accensis more consueto egrediuntur et juxta se Missa coepta utroque genu flectunt et confessione finita surgunt atque candelabra ad credentiam deferunt, ubi sicuti alias, junctis ante pectus manibus et facie ad altare conversa consistunt.

5. Iidem ceroferarii cereos accensos ad cantandum a diacono evangelium non deferunt, sed ibidem a dextris et sinistris subdiaconi junctis ante pectus manibus stantes se cruce signant et inclinant, atque genuflectunt siquid horum praestetur a diacono.

6. Thuriferarius et navicularius neque lecto a celebrante evangelio thuribulum cum navicula praesentant ad imponendum incensum; neque illud ad cantandum a diacono evangelium deferunt.

7. Ante offertorium idem thuriferarius et navicularius thuribulum et naviculam ad incensanda oblata celebranti et diacono praesentant more consueto.

8. Iidem sub finem praefationis cum iisdem instrumentis revertuntur ad porrigendum subdiacono thuribulum, pro incensando sub elevatione sanctissimo sacramento.

9. Bini ceroferarii pariter sub finem praefationis cum candelabris et cereis accensis revertuntur ante thuriferarium et navicularium ad medium et ante eosdem dicto a celebrante: *Nobis quoque peccatoribus,* candelabra ad credentiam reportant, queis intra Missam non amplius utentur. Thuriferarius et navicularius ad sacrarium revertuntur.

10. Quodsi post Missam facienda sit absolutio, thuriferarius etiam in finem ignem thuribuli tractim nutriet, qui, ut etiam navicularius et bini ceroferarii sese quoad dictam absolutionem conformabunt rituali dioecesano.

TITULUS SECUNDUS.

De officio subdiaconi ante et intra Missam solemnem.

§. I.

De communibus quibusdam vel similibus subdiaconi et diaconi actionibus in Missa solemni.

1. Actiones ministrorum similes, similiter exhiberi debent. Ideoque si formanda sit crux, ministri simul sinistram pectori applicabunt, et dextra simul frontem, simul pectus, simul utrumque humerum tangent et dein manus jungant.

2. Dum intra Missam cum sacerdote de loco in locum procedent, simul vel dextrum et sinistrum latus vertent ad altare; simul pede, qui altari proximior est, gressum inchoabunt; et simul faciem ad altare convertent.

3. Si genuflectendum sit, simul unum vel utrumque genu curvabunt ad terram demittent et dein surgent.

4. Si exhibenda sit vel capitis vel corporis inclinatio, ministri aequaliter caput corpusve inclinabunt et dein erigent.

5. Si pectoris praescribatur percussio, simul sinistram ante pectus ponent, simul dextra pectus percutient et eandem intra secundam et tertiam percussionem observabunt moram, et manus tandem iterum jungent.

6. In actionibus similibus inferior sese superiori accommodabit. Igitur subdiaconus pro norma habebit actiones diaconi et uterque actiones celebrantis.

7. Quoties celebrans vel cantu vel voce quasi submissa quid profert, quod capitis vel profundam, vel mediam, vel minimam exigit inclinationem, toties eandem praestabunt ministri versus idem cum celebrante objectum, diacono evangelium cantante excepto, qui versus idem evangelium inclinabit, sacerdoti licet cum aliis versus crucem vel sanctissimum expositum inclinante. Ad praedictam cum celebrante inclinationem ministri non tenentur, si aliunde legitime impediantur, neque si celebrans aliquid caeteroqui inclinationem exigens voce simpliciter submissa pronuntiet.

8. Si ministri sive coram tabernaculo clauso, sive coram crucifixo medium pertranseant vel ad illud accedant, vel ab eodem recedant, uno genu flectere tenentur. Exceptiones quaedam paucae locis propriis assignabuntur.

9. Si rubrica actiones ministrorum exacte satis non determinet, nec enim rubricarum interpretes unisono loquantur, ministri quin et celebrans ritum in sua receptum dioecesi servabunt; qui enim in eodem degunt dioecesi, unius sint moris et labiorum eorundem, ut perfecta in minimis etiam ceremoniis concordia earundem elevet majestatem, eisdem debitam ab assistentibus conciliet venerationem. Plura ministros aeque ac celebrantem concernentia e tractatu primo praeprimis e §. XV. conferre hic oportet. Differentias tandem pro casu presbyteri assistentis a ministris observandas tradet titulus V.

§. II.

De officio subdiaconi ante Missam solemnem.

1. Subdiaconus mature satis ad ecclesiam se confert, adoret ss. sacramentum expositum vel inclusum, gratiamque postulat munia ordinis digne obeundi.

2. Manus lavat in sacrario sub oratione: *Da Domine, virtutem manibus meis*, et vestem induit talarem, nisi hac jam sit indutus.

3. In libro epistolarum propriam epistolam, vel hoc deficiente

in missali Missam inquirit, perlustrat epistolam rite canendam, signaculum apponit et librum clausum tradit ceroferario ad credentiam deferendum.

4. Vestit calicem eodem, quo rubrica praescribit modo ipsi celebranti (Tractatus I. §. XVI. respons. ad Quaest. III.) Calicem sic vestitum defert ad credentiam ad cujus medium eundem collocat.

5. Induit se sacris vestibus: amictu, alba, et cingulo eademque observat proportione servata, quae rubrica mandavit servando sacerdoti (idem Tract. I. iisdem §. et Respons.)

Decet ut subdiaconus, diaconus et celebrans appendant cingulo a parte dextra sudariolum (album) sub ipsa planeta. Vinitoris l. c. p. 341.

Cum diacono a dextris celebrantis existente juvat sacerdotem sacris sese vestibus induentem; itaque amictum a diacono celebrantis capiti impositum moxque ad humeros demissum, subdiaconus collari ejusdem celebrantis a sinistra adaptat.

NB. Et sic dictas: *Vatermörder* contegit.

Dein cum diacono simul acceptam imponit albam et accommodat celebranti a latere sinistro. Tertio cingulum a tergo offert celebranti et super illud albam elevat ita, ut ubique aequaliter diffluat vestemque talarem contegat. Quarto, manipulum, quem prope crucem osculatur, offert celebranti ad osculum in cruce, brachioque ejusdem sinistro, illum imponit infra cubitum. Quinto stolae a diacono collo sacerdotis impositae partem a dextro ad sinistrum latus ducit et extremitate cinguli ligat. Sexto demum cum diacono sacerdotem casula vestit.

7. Vestito celebrante subdiaconus manipuli sui crucem osculatur et sinistro imponit brachio inter et cubitum oratque: *Merear Domine* . . . . postremo dalmaticam induit orans: *Domine, qui dixisti.*

§. III.

De officio subdiaconi ab egressu e sacrario ad hymnum usque angelicum.

1. Subdiaconus paramentis indutus acceptum biretum pollicibus intra in modum crucis super impositis et reliquis digitis extra inferiorem ejusdem bireti partem extensis et junctis tenens cum celebrante et diacono profundam exhibet cruci capitis inclinationem et tecto dein capite, junctisque ante pectus manibus sacerdotem quoque salutat minori capitis inclinatione.

2. Dato egressus signo a celebrante, thuriferarium et navicularium immediate sequitur subdiaconus tecto capite junctis ante pectus manibus, corpore erecto, oculis ad terram demissis et incessu gravi ac lento, sed sine omni tamen affectatione.

Praecedunt (celebrantem) ministri duo, non quidem simul neque a latere, sed prior subdiaconus, posterior diaconus, significantes legem et evangelium, quae humanae salutis ambo ministeria juxta ordinatissimam distributionem temporum idem salvator in hunc mundum invexit. Quorum lex prior tempore, sed minor dignitate contra evangelium, tempore quidem posterius, sed dignitate majus existit. Fr. Titelmann l. c. p. 20.

3. Ad ea, quae Tit. I. §. I. num. 11. in transitu observanda tradita sunt, subdiaconus sedulo reflectet.

4. Adveniens coram altare, in quo Missa celebratur, sistit se versus cornu evangelii, quodsi sacrarium versus idem sit cornu situm, subdiaconus retrocedens diacono et celebranti spatium relinquit coram se transeundi. Si sacrarium sit retro altare, ab hoc accedit a latere evangelii et ab altare ad sacristiam recedit Missa finita a latere epistolae.

5. Si celebrans ad altare accedit vestitus pluviali, medius incedit inter subdiaconum a sinistris et diaconum a dextris usque ad altaris medium.

6. Subdiaconus igitur sinistra ante pectus posita et bireto dextra deposito et sacristae vel alteri tradito, versus cornu evangelii ad infimum altaris gradum uno genu flectit, sive coram sanctissimo sacramento incluso cum sacerdote sive coram crucifixo tantum cum diacono; et erectus signat se cum celebrante ita, ut palmam manus sinistrae extensae, quinque digitis sibi invicem unitis, applicet corpori infra pectus; extremitate vero digitorum dextrae similiter compositae tangat physice frontem dicens: *In nomine patris;* dein pectus supra manu sinistra dicens: *et filii,* tum relevata directe dextra circa medium pectoris pergat tangere humerum sinistrum dicens: *et spiritus,* et tandem paululum incurvata manu humerum dextrum dicens: *sancti,* cum dicit: *Amen,* jungit manus ita, ut palma unius manus physice applicetur palmae alterius manus et digiti applicentur digitis sursum erectis; pollex vero dexter super imponatur sinistro ad normam crucis; et manus ita junctas a dalmatica constanter removeat; demum actiones hasce conformabit similibus celebrantis actionibus.

7. Formata cruce subdiaconus simul et diaconus cum sacerdote simul antiphonam: *Introibo* et psalmum *Judica* recitant alternatim et sub *Gloria Patri* caput profunde inclinant cum eodem sacerdote

usque ad spiritu sancto inclusive; ac ad versum *Adjutorium nostrum* formant dextra crucis signum dicentes ad frontem: *Adjutorium,* ad pectus: *nostrum;* ad humerum sinistrum: *in nomine,* et ad dextrum: *Domini,* cumque sacerdos dicit: *Confiteor,* subdiaconus et diaconus junctis ante pectus manibus erectusque ad sacerdotis confessionem attentam praebet aurem. Hac finita cum diacono profunde corpore inclinatus versus celebrantem pariter adhuc profunde inclinatum dicit: *Misereatur tui,* et dicto: *Amen* a celebrante, vertit se ad altare semperque profunde inclinatus incipit et ipse *Confiteor,* cumque dicit: *et tibi pater,* se iterum aequaliter cum diacono ad celebrantem convertit; et dein versus altare dicens: *mea culpa,* percutiens semel *mea culpa* et iterum ac *mea maxima culpa;* tertio pectus extremitate digitorum junctorum dextrae paulisper incurvatae, digitis vero unitis manentibus et manu sinistra infra pectus posita; junctisque denuo manibus prosequitur dicensque *et te pater,* iterato se cum diacono ad celebrantem convertit; ac iterum versus altare finit confessionem, manet profunde inclinatus, donec celebrans dicit: *Misereatur vestri.* Et ipse cum diacono responderit: *Amen,* dein erectus format cum celebrante crucem, cumque is dicit: *Indulgentiam,* subdiaconus extremitate digitorum dextra frontem tangit; dum dicit: *absolutionem.* tangit pectus; cum dicit: *remissionem,* tangit humerum sinistrum, et tandem dum dicit: *peccatorum nostrorum,* tangit humerum dextrum et sub verbis: *tribuat nobis* iterum manus jungit et a versu: *Deus tu conversus* . . . . usque ad *Oremus* inclusive cum celebrante et diacono se mediocriter inclinat.

8. Erigit se subdiaconus dicto: *Oremus* ascendit a sinistris celebrantis ad altarè, ibidemque genuflectit. Quodsi sacerdos praecatiunculam *Oramus te Domine,* paulisper protrahat antequam cum eodem ad cornu epistolae accedat denuo genuflectit, et a dextra sua conversus per secundum et tertium suppedanei gradum transversim sine genuflectione in medio cum celebrante et diacono accedit ad cornu epistolae.

NB. In Archidioecesi Coloniensi, si non incensetur altare, diaconus et subdiaconus post confessionem vadunt retro celebrantem ad lineam rectam, ibidemque genuflectunt et ante decessum celebrantis ad cornu epistolae iterum genuflectunt.

9. Si pro incensando altari sacerdos imponat incensum thuribulo, subdiaconus stat a sinistris ejusdem junctis ante pectus manibus et facie ad altare conversa. Si porro praesente tantum cruce ad eandem incensandam uno vel altero passu ab altari recedat ce-

lebrans praecedunt et cum eo diaconus et subdiaconus, sed extra suppedaneum ad gradum sequentem et facie ad altare conversa elevant subdiaconus dextra et diaconus sinistra sua casulae extremitatem et primus interim sinistram suam, alter vero dextram suam pectori apponunt. Cumque ibidem celebrans caput profunde cruci inclinat, subdiaconus a sinistris et diaconus a dextris uno genu aequaliter flectunt, quam genuflectionem iterant celebrante pariter post triplicem ductum denuo caput profunde inclinante. Et quoties deinceps celebrans ad medium veniens vel ab eodem recedens caput profunde inclinat cruci, vel coram incluso sanctissimo sacramento genu flectet, toties genuflectunt ministri. Itaque celebrante post incensationem crucis ad medium veniente et inclinante ministri utrimque genuflectunt. Cumque celebrans incensatis reliquiis vel imaginibus seu statuis sanctorum pergit ad incensandam posteriorem partem mensae altaris ad latus epistolae, denuo genuflectunt; et toto incensationis tempore comitantur celebrantem elevantes casulam uti ante. Sacerdote a laterae epistolae redeunte ad medium; ibidem repetunt genuflectionem et pariter concomitantur celebrantem ad similem altaris incensationem ad latus evangelii; quo iterum ad medium redeunte iterant genuflectionem, et cum finita tandem incensatione altaris celebrans in suppedaneo ad cornu epistolae manens incensatur a diacono, subdiaconus a sinistris diaconi consistit; non tamen finita hoc a diacono incensatione cum eodem inclinat celebranti.

Apponendum esse duximus, quod supra diximus redeunte celebrante incensando ad medium subdiaconus sinistram dextra casulam elevando et diaconus aequaliter mutuat, et sic alius in similibus casibus.

10. Celebranti Introitum inchoanti a dextris assistit diaconus, a cujus dextris in plano capellae se sistit subdiaconus et cum celebrante se cruce signat. Tum celebrans sub doxologia: pariter sub expresso nomine *Jesu* versus crucem caput inclinat, similiter versus crucem caput inclinat subdiaconus, si vero nomen *Mariae* vel *Sancti*, cujus Missa celebratur a sacerdote pronuntietur, inclinat cum sacerdote versus librum.

11. Celebranti dicenti: *Kyrie eleison,* subdiaconus manens prope cornu epistolae cum diacono alternatim respondet *semel Kyrie, bis Christe* et iterum *semel Kyrie eleison,* et dein cum diacono redit retro celebrantem, ibidemque in linea recta diaconus in gradu secundo post sacerdotem; et subdiaconus post diaconum in plano

presbyterii se sistunt atque ad inceptum a choro ultimum *Kyrie* vel finitas prophetias.

* Alibi remanent ad cornu epistolae uti sub initium introitus donec a choro ultimum inchoetur *Kyrie* et tunc demum vadunt retro post celebrantem prout ante.

12. Si prophetias lecturus celebrans cantet: *Oremus*, diaconus et subdiaconus caput cruci profunde inclinant, cumque cantat diaconus: *Flectamus genua*, et duobus mox genibus flectit, subdiaconus dein pariter duobus flectit genibus et cantat: *Levate;* quo cantato prior surgit, et dein subdiaconus. Prophetias legunt ministri ad cornu epistolae stantes ibi, ubi stare solet subdiaconus ad cantandam epistolam; finita quavis prophetia absque: *Deo gratias*, redeunt ad suum respective locum retro celebrantem.

§. IV.

De officio subdiaconi ab hymno angelico ad offertorium usque.

1. Choro ultimum *Kyrie eleison* inchoante vel finitis prophetiis subdiaconus stans versus cornu epistolae retro diaconum in linea recta, convertit totaliter latus dextrum cum celebrante et diacono ad idem cornu epistolae, et pede dextro gressum incheans gressui celebrantis conformem redit ad medium, ubi cum diacono genuflectit; et celebrante cantante: *Gloria in excelsis Deo*, cum eodem diacono caput profunde inclinat sub voce *Deo*, dein et non prius genuflectit cum diacono, quo versus cornu epistolae paululum subsistente ad latus ejus sinistrum ascendit, exin aequali passu subdiaconus ad cornu evangelii, diaconus vero ad cornu epistolae pergunt; sicque a dextris et sinistris celebrantis utrimque consistentes cum eodem hymnum continuant voce quasi submissa. Et junctis ante pectus manibus et cum celebrante profunde caput inclinant sub verbis: *Adoramus te;* — *Gratias agimus tibi;* — *Jesu Christe;* — *suscipe deprecationem nostram* et denuo: *Jesu Christe.* Denique sub finem se cruce signant formantes lineam a fronte ad pectus sub verbis: *Cum s. spiritu*, et lineam transversam ab humero sinistro ad dextrum sub verbis: *in Gloria Dei patris*, et manus iterum jungant.

2. Si ad sessionem det signum celebrans et vel coram incluso sacramento genuflectat vel coram crucifixo tantum caput profunde inclinat ministri utrimque genuflectunt et vertentes se ad celebrantem, qui in eorum remanet medio, descendunt aequaliter ad infimum al-

taris gradum; ibidemque denuo genuflectunt etiam caput tantum inclinante celebrante et pergunt primo subdiaconus, tum diaconus dein celebrans ad scamnum vel sedilia praeparata a latere epistolae, ubi se ad celebrantem convertentes diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris celebrantis sessuri casulae partem posteriorem elevant, ne super ea sedeant; dein acceptum a ceroferario celebrantis biretum diaconus eidem porrigit caputque inclinat; sua porro bireta a ceroferariis accepta ministri praevia versus celebrantem capitis inclinatione et ipsi imponunt et elevantibus ceroferariis posteriorem dalmaticarum partem sedent quoque iidem ministri. Manus interim extensas deponunt ad genua, pedibus juxta se positis et oculis ad terram demissis.

* Rubrica generalis titulo de ordine genuflectendi, sedendi et standi in Missa privata et solemni statuit: In Missa solemni celebrans, medius inter diaconum et subdiaconum sedere potest a cornu epistolae juxta altare cum cantatur: *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Graduale Alleluja*, tractus sequentia et *Credo*, alio tempore stat ad altare vel genuflectit, ut supra.

** Conformiter ceremoniali episcoporum lib. 1. cap. 12. §. 9. *celebrans exposito sanctissimo sacramento sedere prohibetur*,

3. Choro cantante *Adoramus te* et reliqua, uti num. 1. caput cum celebrante detegunt ministri et cruci profunde inclinant; et tandem choro ultimum inchoante versiculum cum s. spiritu, surgunt et deposita bireta porrigunt ceroferariis. Diaconus dein a celebrante adhuc sedente praevia capitis inclinatione biretum acceptum ceroferario pariter porrigit et cum surgente celebrante eo, quo ad sedilia venerat ordine ad medium revertuntur junctis ante pectus manibus, ibidemque a lateribus celebrantis ad infimum altaris gradum genuflectunt et retro eundem celebrantem ad altare ascendentem in linea recta se constituunt, ut ante hymnum angelicum.

4. Si non sedeant toto tempore, quo hymnus angelorum a choro cantatur a lateribus celebrantis in suppedaneo manent stantes ministri et inclinant cum celebrante sub iisdem verbis cantatis, sub quibus recitatis inclinandum tradidit num. 1; et tandem sacerdote sub verbis: *Cum sancto spiritu* manus utrimque deponente ministri, quin se signent praevia tamen genuflectione aequaliter discedunt et ad lineam retro celebrantem regrediuntur.

5. Celebrante post cantatum: *Dominus vobiscum*, de medio ad cornu epistolae accedente pariter subdiaconus cum diacono praevia genuflectione et dein conversione totali lateris sinistri ad altare, ac

pede sinistro gressum inchoans conformem gressum celebrantis versus idem cornu epistolae pergit, et ibidem in plano retro celebrantem se sistit facie ad cornu epistolae conversa, manibusque ante pectus junctis, ac caput cum celebrante versus crucem profunde inclinat sub *Oremus* et sub pronuntiato nomine *Jesu;* ast versus librum sub nomine *Mariae* vel *Sancti,* cujus Missa vel specialis celebratur commemoratio.

6. Cantato *Oremus,* subdiaconus accipit a ceroferario librum epistolarum vel missalem sub reciproca inclinatione ante et post, librumque ambabus ita tenet manibus inferius, ut dorsum libri ad suam sit dextram, et pars ejusdem superior supra pectus quiescat.

7. Celebrante collectam vel collectas concludente: *Per Dominum nostrum . . . Qui vivis et regnas . . . .* (intelligitur conclusio ultimae collectae et non prius) subdiaconus vadit ad medium, ibidem ad infimum altaris gradum genuflectit, et ad priorem stationem versus cornu epistolae regreditur, ubi facie ad idem cornu epistolae conversa librum apertum utraque manu sustinet, vel si librum pulpito imponat manum utramque supra librum extensam deponit et eodem, quo celebrans collectam cantaverat tono, attente, distincte devoteque cantat epistolam, et si quae occurrant, quae inclinationem exigunt, inclinat, uti num. 5. et si genuflectere oporteat, genuflectit eodem in loco.

8. Cantata epistola librum claudit, et denuo inferius utraque manu tenet et superius supra pectus ponit, dorso libri ad dextram converso; et ad medium revertitur, ibidemque ad infimum altaris gradum genuflectit; dein ad cornu epistolae accedit, ubi flectens utroque genu supra infimum gradum, librumque tenens paulisper versus celebrantem erectum, ejusdem dextram supra librum positum osculatur et capite inclinato ab eodem recipit benedictionem. Hac accepta surgit et nisi a ceroferario traditus fuerit diacono liber evangeliorum proprius, quo casu librum epistolarum reddit ceroferario. Secundo librum missalem diacono praevia capitis inclinatione offert ita, ut dorsum libri ad sua praevie sinistra convertat, et iterata versus diaconum capitis inclinatione redit ad cornu epistolae et legendis ibidem a celebrante lectis ad suppedaneum ascendit, et accepto utraque manu libro missali aperto (alibi clauso) cum pulpito vel pulvino, nisi ad utrumque latus pulpitum vel pulvinum existat, vertit latus sinistrum ad altare et descendit per gradus laterales ac in plano dextra sua ad altare conversa vadit retro diaconum ad lineam, et uti num. 1. cum eodem diacono et celebrante ad medium pergit, ibidemque aequaliter cum diacono genuflectit et surgens ascendit

via breviori ad cornu evangelii supra quod missale sic oblique collocat, ut posterior ejusdem pars respiciat ipsum cornu altaris posterius. Dein descendit ad primum gradum (lateralem) prope idem cornu evangelii et facie ad missale conversa respondet celebranti *et cum spiritu tuo*, et *Gloria tibi Domine*, et signat se simul cum celebrante ita, ut sinistram ponens infra pectus pollicem manu dextrae digitis reliquis extensis et junctis parvam format crucem, ad frontem, ad os et ad pectus. Si genuflectat vel inclinet infra lectionem evangelii celebrans, cum eo genuflectit et inclinat subdiaconus, et si folium sit vertendum, illud vertit.

9. Lecto a celebrante evangelio subdiaconus repondet: *Laus tibi Christe*, ascendit ad suppedaneum aptatque missale cum pulpito vel pulvino versus medium et nisi imponatur incensum a celebrante genuflectit una cum diacono et a dextra sua conversus descendit per anteriores altaris gradus ad planum capellae, ibidemque ad altare conversus sistit se ad lineam rectam retro celebrantem.

10. Si celebrans lecto evangelio incensum imponat, pariter si cantetur sequentia sive prosa subdiaconus remanet a sinistris celebrantis, donec diaconus a dextris ejusdem genuflectat, quocum conformiter genuflectit subdiaconus et descendit prout ante.

11. Dum post descensum choro cantante ultimum *Alleluja*, vel finem gradualis sive tractus aut sequentiae, genuflectit diaconus retro ipsum genuflectit aequaliter subdiaconus et a sinistris diaconi accedit ad locum cantandi evangelium, ibique sinistra sua ad cornu evangelii, facie vero ad diaconum conversa de ejusdem manibus acceptum librum evangeliorum, sive missale utraque manu tenet a parte inferiori et apertam sicque elevatum, ut liber faciem suam contegat; et quia interim est legitime impeditus, nec ad crucis signationem, nec ad genuflectionem, nec inclinationem sub evangelio cantando tenetur. Quodsi liber imponatur pulpito subdiaconus dextram pulpiti pertransiens, se sistit retro idem pulpitum, facie ad diaconum conversa manibus ante pectus junctis, et cum diacono cruce se signabit, genuflectit, et caput inclinabit versus librum, siquid horum occurret; tunc enim cessat ratio impedimenti.

12. Evangelio finito librum, quem vel tenuit vel a sinistris diaconi de pulpito accipit, imponit apertum brachio suo sinistro et indigitato sacri textus initio a diacono via recta absque genuflectione et inclinatione ascendit per gradus altaris vadit ad celebrantem, cui extremitate digitorum dextrae manus, extensae et eversae monstrat initium sacri textus et postquam illud osculatus est celebrans librum

claudit, dorso ejusdem ad dextram converso et exhibita celebranti capitis inclinatione descendit ad planum, ibidem genuflectit et tradito sacristae libro se sistit in medio.

Cum codicem osculamur, in quo scriptum est evangelium, non materiam, sed ipsum divinum verbum osculamur, quemadmodum neque crucis materiam, sed quod typo figuraque exprimitur adoramur. Concilium Coloniense in explicatione Decalogi. Non facies tibi sculptile. —

13. Celebrante cantante: *Credo in unum Deum,* subdiaconus cum diacono in linea recta retro celebrante consistens caput sub voce *Deum* profunde inclinat et *dein et non prius* genuflectit, cum diacono ad sinistrum ascendit celebrantis junctis ante pectus manibus uti num. 1. et cum eodem symbolum prosequitur, inclinans caput sub verbis: *Jesu Christi,* et sub verbo: *adoratur,* et genuflectens sub verbis: et *incarnatus est* usque ad *et homo factus est* inclusive, ac sub verbis: *et vitam venturi saeculi Amen,* ita se signat, ut extremitate digitorum dextrae extensae physice tangat frontem dicens: *et,* dein dicens: *vitam,* tangat pectus; tertio *venturi* tangat humerum sinistrum demum dicens: *saeculi Amen,* tangat humerum dextrum, et his dictis manus denuo jungat.

14. Dum celebrans cruci caput inclinat, choro inchoante: *Qui propter nos homines,* subdiaconus cum diacono genuflectit, et se vertens ad celebrantem cum eodem descendit ad primum suppedanei gradum, ad quem dein flectit utroque genu et sub verbis a choro cantatis: *et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est,* caput cum sacerdote profunde inclinat; et tunc erigit se cum celebrante, quocum altare ascendit, et ad sinistrum celebrantis cruci caput inclinantis genuflectit, ac stans ibidem remanet, donec chorus cantet: *et vitam venturi saeculi Amen,* et tum celebrante manus ad altare utrimque deponente, genuflectit cum diacono, cum eodem descendit a dextra sua conversus et retro eundem in linea recta consistit.

15. Si signo dato ad sessionem sub symbolo de altari descendat celebrans, observet ea, quae sub hymno angelico observanda tradidit num. 2. Cumque a choro cantatur: *Jesum Christum adoratur,* pariter *et incarnatus est,* bireto dextra deposito et sinistra pectori admota sedens, cum celebrante caput profunde inclinat. In die tamen *nativitatis Domini* et annuntiationis *B. Mariae V.* atque in *Missa aurea* sub dicto versiculo *et incarnatus est* genuflectere debent in medio ad infimum altaris gradum cum profunda capitis inclinatione

ministri sacri et celebrans, ac dein ad sedilia revertuntur. Choro tandem cantante *et vitam venturi* surgunt ministri, dein surgit celebrans, revertuntur omnes ad medium et caetera praestant, quae praestitere sub finem hymni angelici.

§. V.

De officio subdiaconi ab offertorio usque ad consecrationem.

1. Decantato a choro symbolo, vel hoc omisso cantato a celebrante post *Dominus vobiscum*, *Oremus*, caput inclinat cum celebrante subdiaconus et praevia hac inclinatione genu flectit et vadit ad credentiam, ubi post impositum a ceroferario humeris suis velum sericum oblongum manum sinistra calicem (cujus velum in credentia relinquit) ad nodum accipit una cum patena et hostia ac tectum palla, quem dein extremitate partis veli ad dextram dependentis et paulo altera longioris cooperit; et desuper dextram, nequid decidat leviter deponit, et per gradus ad cornu epistolae laterales ascendens defert, ubi a dextris diaconi junctis ante pectus manibus quiescit, donec is patenam cum hostia de calice acceperit. Hac igitur accepta subdiaconus calicem sinistra ad nodum accipit et extremitate quatuor digitorum dextrae purificatorium ad fundum cuppae deprimens, pollice vero partem ejusdem purificatorii extra cuppam dependentem premens calicem versus cornu epistolae paulisper incurvatum gyrando mundat in- et exterius; dein ad extremitatem cuppae sinistra sua extremitatem purificatorii ita tenet, ut alia ejus extremitas purificatorii ad calicis pedem dependeat, tum pollice dextro premit praedictam superiorem purificatorii extremitatem aliis digitis cuppam comprehendens; tandem e pollice sinistro inferiorem extremitatem purificatorii ad pedem calicis premens, reliquis digitis extensis calicem ad altare depositum diacono praesentat.

2. Postquam calicem diacono porrexit, subdiaconus, accipit a primo ceroferario ampullam vini, cujus manubrium offert diacono, qua ab eodem recepta cochleari parvo aquam ex ampulla a ceroferario altero praesentata hausta, dextra super calicem tenens, sinistra pectori apposita invitat celebrantem ad benedicendam aquam dicens: *Benedicite pater reverende,* aquae benedictae aliquot guttulas in vinum fundit, et aquae residuum refundit in ampullam; et cochlear deponit ad locum, in quo quiescat vel quiescere solet velum calicis. Junctis dein ante pectus manibus et facie ad altare conversa

exspectat, donec diaconus tecto palla calice patenam extremitate veli ab humero dextro ejusdem subdiaconi dependentis coopertam in ejusdem subdiaconi dextram ponat; quam eadem dextra inter pollicem et quatuor alios digitos retro positos parte concava pectus secum respiciente ante pectus, sine tamen ejusdem attactu tenet et mox descendens de altari, vadit ad medium retro celebrantem, ubi genuflectit et erectus sustinet patenam ad faciem usque elevatam sinistra sua vel ante pectus positam, vel brachium dextrum sustentantem. Subdiaconus patenam tenens non genuflectit infra incensationem cum solo diacono genuflectente; bene tamen cum celebrante, uti porro dicetur infra §. VIII. num. 7. non transit tamen cum celebrante de medio nequidem ad lotionem manuum.

NB. In Archidioecesi Coloniensi humeris subdiaconi non imponitur velum; nec is patenam sustinet, cujus una medietas a celebrante sub corporali absconditur et altera a diacono contegitur purificatorio, neque velum calicis in credentia relinquitur, sed simul calici impositum a subdiacono ad altare allatum et a diacono complicatum prope corporale ad posteriorem mensae altaris partem versus cornu epistolae deponitur.

3. Si subdiaconus patenam non teneat (nisi incensentur oblata) post infusam vino aquam remanet stans ad idem cornu epistolae et ex accepta a ceroferario primo ampullam aquae affundit digitis celebrantis supra pelvim, quam secundus sustinet ceroferarius, eidem primo ampulla reddita, vadit retro celebrantem ad planum, quocum et cum diacono ad medium accessurus vertit praevie latus dextrum ad cornu epistolae, et pede dextro primam formans gressum conformem gressui celebrantis ad idem medium, ibidemque genuflectit et erectus in linea recta stat retro diaconum.

4. Si celebrans incensabit oblata, tunc infusa vino aqua et cochleari deposito conformiter ritui Archidioeceseos Coloniensis praevia genuflectione per gradus suppedanei praevie vadit ad cornu evangelii ibidemque iterum a sinistris celebrantis genuflectit et erectus sub incensatione ea observat omnia, quae observavit sub incensatione ante introitum §. III. num. 9. Finita incensatione et accepto a ceroferario ampulla aquam affundit manibus celebrantis et reddita ceroferario ampulla vadit retro celebrantem, quocum uti supra ad medium vadit, ubi genuflectit et erectus stat in linea recta retro eundem; subdiaconus dein a diacono ab incensato choro revertente ad cornu epistolae incensandus cum eodem diacono genuflectit, dimissa ante pectus patena (si eam teneat) alias junctis manibus sub

reciproca inclinatione capitis ante et post ab eodem diacono duplici ductu incensatur; quocum denuo genuflectit et in suo pergit consistere loco patena relevata.

5. Celebrante dicente: *Orate fratres*, si patenam teneat, subdiaconus eam paululum ante pectus demissam absque capitis inclinatione respondet: *Suscipiat Dominus* . . . . si vero patenam non teneat cum diacono caput profunde inclinat et respondet: *Suscipiat Dominus* . . . . Qua oratione finita stat erectus ut ante.

6. Praefatione inchoata cum celebrante caput cruci profunde inclinat, dum is post *Gratias agamus Domino* cantat *Deo nostro;* pariter in praefatione B. Mariae V. ad verbum: *Jesum*, aut sub cantato nomine *Mariae* versus librum inclinat; si patenam tenet eam sub his inclinationibus ante pectus demittit et mox iterum elevat.

7. Sub verbis praefationis: *sine fine;* vel *supplici;* aut *una voce;* genuflectit cum diacono, cum eodem ascendit et a sinistris celebrantis constitutus corpore mediocriter inclinatus dicit voce quasi submissa: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* cumque dicit: *Benedictus, qui venit,* erigit se et nisi patenam teneat, secum celebrante signans ad frontem dicit: *Benedictus*, ad pectus: *qui venit,* ad humerum sinistrum: *in nomine Domini*, et ad humerum dextrum: *Osanna in excelsis*, et sinistram ante pectus positam manentem quaerit, monstratque dextra celebranti Canonis initium. Dein aequaliter cum diacono genuflectit et ad planum in medio retro celebrantem revertit.

§. VI.

De officio subdiaconi a consecratione ad communionem usque.

1. Cum celebrans dicit: *Quam oblationem*, si subdiaconus patenam teneat, flectente duobus genibus diacono supra suppedaneum retro celebrantem paululum a dextris, subdiaconus pariter duobus genibus flectit in loco suo tenens patenam ante pectus aliquantulum demissam, caputque inclinat dum sacrae elevantur species. Et thuriferarius incensationem s. specierum ad latus epistolae perficit conformiter tit. 1. §. III. num. 7. subdiaconus interim peracta consecratione erigit se simul cum celebrante et diacono atque elevata, usque ad faciem patena stat ad finem, usque orationis dominicae, inclinans solummodo caput ad: *Oremus* ante orationem dominicam et simul demittens patenam ante pectus.

2. Quodsi subdiaconus patenam non teneat dicto a celebrante: *Quam oblationem*, et diacono a sinistris celebrantis genuflectente

et ipse genuflectit in loco suo, accedit ad cornu epistolae, ubi eidem utroque genuflectenti ad infimum gradum a thuriferario porrigitur thuribulum et immisso pollice manus sinistrae in annulum majorem dextra tenet omnes catenulas, quas inter digitum medium et annularem collectas supra annularem et auricularem digitos dependere facit, sicque manibus junctis paululum tamen a pectore remotis ne thuribulum dalmaticae noceat, thuribulum sustinet et triplici ductu, pausa tamen inter quemlibet interposita sanctam hostiam ita incensat ut sacerdote genuflectente primum foret ductum, et secundum cum idem celebrans hostiam elevat et tertium cum ea deposita, iterum genuflectit; ante vero et post incensationem exhibet profundam capitis inclinationem. Similiter incensat calicem consecratum, qua incensatione finita regreditur ad medium retro celebrantem, ubi praevia genuflectione erectus stat junctis ante pectus manibus.

3. Si Missa celebretur sine incensatione, tunc diaconus sub verbis: *Quam oblationem* a sinistris celebrantis uno genu flectit et subdiaconus in loco suo et ascendens ad primum a suppedaneo gradum cum diacono a dextris constituto, aequaliter utroque genu flectit supra suppedaneum junctis ante pectus manibus. Cumque celebrans post consecrationem hostiae genuflectit subdiaconus capite profunde inclinans, dextra elevat partem posteriorem casulae sinistra pectori admota. Post secundam celebrantis genuflectionem casulam dimittit et manus capite iterum erecto jungit. Dein sacerdote post consecrationem calicis iterum genuflectente idem repetit, quod ante praestitit post consecrationem hostiae; et calice supra corporale iterum deposito surgit cum diacono et cum celebrante post tectum palla calicem genuflectit et ad priorem stationem in medio revertitur.

4. Dum sacerdos dicit: *Nobis quoque peccatoribus;* si patenam non sustineat subdiaconus sinistra pectori admota extremitate digitorum dextrae paululum incurvatae pectus percutit et manus iterum jungit.

5. Si patenam teneat subdiaconus, circa finem orationis dominicae flectit uno genu cum diacono et ascendit ad cornu epistolae, ubi a dextris diaconi eidem offert patenam nondum discoopertam, quam tunc discooperit diaconus et qua eidem demissa ceroferarius aufert ab humeris subdiaconi velum et subdiaconus praevia genuflectione retro celebrantem redit, ac repetita genuflectione erectus stat junctis ante pectus manibus.

6. Celebrante cantante: *Pax Domini,* genuflectit subdiaconus,

ascendit ad cornu evangelii, ibidemque cum celebrante pariter genuflectit, et surgens cum eodem voce quasi submissa et capite profunde inclinato, junctisque ante pectus manibus dicit: *Agnus Dei* ..... tunc cum sinistra ante pectus posita, pectus extremitate digitorum dextrae paululum incurvatae percutit dicens: *miserere nobis*, et tarde removens a pectore dextram eandem secundo pectus percutit dicens: *miserere nobis*, et tertio percutit pectus dicens: *dona nobis pacem.*

7. Dicto ter: *Agnus Dei*, erectus uno genu flectit, surgit et ad priorem statum in medio retro celebrantem revertitur. Cumque advenit diaconus pacem daturus eidem caput inclinat et brachia sua brachiis diaconi supponens et gena sua sinistra absque attactu physico appropinquante genae sinistrae diaconi dicentis: *Pax tecum*, subdiaconus respondet: *et cum spiritu tuo*, et praevia genuflectione ad infimum altaris gradum subdiaconus ceroferario comitante vadit ad chorum respondentem cornu epistolae et eodem, quo ipse a diacono pacem acceperat modo, eandem dat primo cujusvis ordinis dignioribus prius, dein minus dignis, servans cujusque ecclesiae laudabilem consuetudinem et exhibita pacem recipienti capitis inclinatione genuflectit in medio et pergit ad alium chorum versus cornu evangelii et modo eodem ibidem dat pacem; et pace data ad medium redit coram altari, genuflectit ibidem et pro more ecclesiae recepto, (in Archidioecesi *Coloniensi*, qui viget mos) paululum progrediens versus cornu epistolae, sinistra sua ad altare conversa, ceroferario comiti suo dat pacem, qui illam dat alteri ceroferario, et is thuriferario, et hic naviculario, et praevia ad infimum altaris gradum genuflectione ascendit ad dextram celebrantis ibidemque denuo genuflectit.

8. In minoribus ecclesiis, ubi non existit chorus, accepta pace a diacono ascendit subdiaconus praevia genuflectione ad dextram celebrantis, ibidemque denuo genuflectit et erectus stat manibus junctis et facie ad altare conversa.

* Ubi vero juxta pontificale 1485 nunc altaris dextra Evangelii latus habetur, ibidemque adsunt digniores, hos diaconus incensandos adeat et subdiaconus similiter dans pacem, tum ad sinistram pergunt i. e. epistolae.

§. VII.

De officio subdiaconi a communione ad finem usque Missae.

1. Celebrante ante communionem genuflectente cum eodem genuflectit, surgit et sub verbis: *Domine, non sum dignus*, ter a

celebrante dictis, subdiaconus corpore mediocriter inclinatus absque eorundem verborum prolatione ter pectus percutit, dein profunde inclinatus corpore versus altare; donec sumpto corpore domini celebrans se erigat, ubi et ipse spiritualiter communicat.

2. Cum celebrante se erigente erigit et se subdiaconus, cumque celebrans finita meditatione manum supra pedem calicis deponit, subdiaconus sinistra ante pectus posita, pallam de calice dextra deponit prope corporale versus cornu epistolae et junctis iterum manibus cum celebrante genuflectit cum eodem surgit, et erectus manet, usque dum celebrans calice crucem format sanctum sumpturus sanguinem, ubi denuo profunde subdiaconus corpore inclinat; et sumpto a celebrante sancto sanguine iterum corpore erecto a ceroferario accipit ampullam vini dextra et sinistram pectori apponit, vinumque calici a celebrante porrecto infundit, quo purificatione sumente paulisper recedit subdiaconus ad cornu epistolae; et accepta ab eodem ceroferario ampulla aquae conversus ad celebrantem fundit supra pollices et indices utriusque manus celebrantis primo vinum, dein aquam et expost utramque ampullam reddit ceroferario.

3. Reddita utraque ampulla ceroferariis, subdiaconus veli ad altare depositi utramque extremitatem sumit inter pollicem et indicem utriusque manus simulque inter pollicem et indicem sinistrae cochlear atque inter pollicem et indicem dextrae simul pallam ita, ut et pallae et veli ornatus exterior, ut versus altare et post descensum ab altari versus populum.

4. Inclinato capite versus diaconum a sinistris celebrantis stantem descendit ad planum in medio genuflectit ibidem aequaliter cum diacono retro ipsum et erectus ascendit ad cornu evangelii, ubi depositis velo palla et cochleari sinistram ante pectus ponit et dextra accipit calicem ad nodum, illoque coram se collocato primum claudit corporalis plicam, dein purificatorium ori calicis impositum extremitatibus digitorum dextrae expensae ad fundum cuppae deprimit, partem vero ejusdem purificatorii extra cuppam dependentem pollice premit sicque calicem versus medium paulisper inclinatum gyrando tergit in- et exterius. Dein calicem coram se depositum vestit purificatorio ita, ut ejus partes hinc et inde dependeant. Purificatorio imponit cochlear et super utrumque deponit patenam, quam palla tegit. Posteriorem postea plicam corporalis pariter replicat et tertiam partem ejusdem lateralem ad suam dextram et quarto ejusdem partem lateralem ad suam sinistram, tum bursae sinistra acceptae immittit dextra corporale complicatum, qua parte clausum est, et bursa versus

cornu evangelii deposita pariter accipit velum utraque manu, illoque calicem cooperit non revoluta ejusdem parte posteriore supra calicem et velo tandem superimponit bursam ita, ut pars ejus aperta parietem altaris et calice accepto suum pectus respiciat. Demum nodo calicis sinistra apprehenso, dextram super bursam ponit et ab eadem dextra conversus descendit, flectitque in medio supra infimum altaris gradum et erectus defert calicem ad credentiam vel hac deficiente ad sacrarium. Dein redit retro celebrantem sine genuflectione si is adhuc in cornu epistolae haereat, et quo ad medium accedente ipse pariter passu conformi ad medium pergit ibidemque genuflectit; quod idem facit si post reditum a credentia celebrans modo sit in medio; pariter si sacrarium situm sit versus cornu evangelii et post reditum e sacrario ad quod forte detulit calicem, medium pertranseat, ut retro sacerdotem ad cornu epistolae adhuc morante se constituat.

5. Si sancta distribuatur communio celebrante post sumtum sacrum sanguinem dextram ponentem supra pedem calicis, subdiaconus eundem palla tegit et praevia diaconi a sinistris celebrantis constituti salutatione cum eodem aequaliter genuflectit et erectus descendit ad planum et iterata ad infimum gradum altaris genuflectione transversum pergit ad cornu evangelii, ubi flectit utroque genu facie ad diaconum conversa ad diaconum ex adverso flectente supra infimum gradum ad epistolae cornu. Cumque hic corpore profunde inclinatus incipit dicere *Confiteor*, subdiaconus nil dicens corpore pariter inclinat profunde donec celebrans absolverit: *Indulgentiam*, cui *Amen* respondet solus diaconus, quod si solus subdiaconus ipse communionem sumturus sit, dicto *Indulgentiam* erigit se et junctis ante pectus manibus oculisque demissis a dextra sua circum vadit ad altaris medium ubi praemissa genuflectione aequali cum diacono pariter communicaturo et ad idem medium a sua sinistra circum altare veniente ascendit cum eodem et ad suppedaneum duobus flectit genibus a sinistris diaconi; ac elevata cum diacono extremitatem casulae mento suo supponit atque accepta reverenter s. hostia surgit cum eodem diacono, descendit ad medium genuflectit et eadem via ad priorem locum prope cornu evangelii revertitur. Cum interim diaconus et suum repetit locum prope cornu epistolae et uterque utroque genu flectens haeret in meditatione beneficii accepti sine tamen vocali oratione. Reliquis tandem omnibus s. communione refectis et s. pyxide in tabernaculo reposita surgit subdiaconus vadit ad altaris medium, ibidem genuflectit et ascendit ad cornu epistolae, ac deposita a celebrante dextra supra pedem calicis de

eodem pallam deponit prope corporale versus cornu epistolae et calice a celebrante perfecto vinum infundit et reliqua pergit, quae tradita sunt num. 2, 3, 4.

6. Dicto a sacerdote et cantato a diacono *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* et responso celebranti dato: *Deo gratias,* subdiaconus ascendit et a sinistris diaconi paulisper versus cornu evangelii, ad suppedaneum genu utroque flectit et sub benedictione celebrantis sinistra pectori admota se signat dextra a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum junctisque iterum ante pectus manibus; surgit et vadit ad cornu evangelii ubi ad sinistram celebrantis constitutus eidem respondet: *et cum spiritu tuo* et *Gloria tibi Domine,* ac cum eodem se signat ad frontem, ad os et ad pectus, manibusque junctis audit lectionem evangelii, et cum sacerdote genuflectente sub verbis: *et verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* ipse pariter genuflectit versus tabellam et evangelio finito respondet: *Deo gratias.*

7. Si distinctum ab evangelio s. Joannis legendum in fine sit evangelium, tunc cantato *Ite Missa est*, flectit subdiaconus in suo loco uno genu, ascendit ad cornu epistolae, accipit pulpitum vel pulvinum cum missali, uti ante primum in Missa evangelium, descendit et a sinistris diaconi utroque genu ad suppedaneum flectentes et ipse utroque genu flectit, paululum versus cornu evangelii, tenens missale coram se. Impeditus vero non se signat, sed caput sub benedictione inclinat, qua data missale ad cornu evangelii defert locatque oblique, uti ante primum in Missa evangelium, dein signat se cum celebrante et a sinistris ejusdem expectat evangelii finem, quo finito claudit librum, ut dorsum ejusdem ad suam sit sinistram.

8. Libro clauso accedit ad sinistram celebrantis et ibidem uno genu aequaliter flectit cum diacono a dextris ejusdem celebrantis existente et erigit se atque a dextra sua conversus cum celebrante et diacono aequali passu de altare descendit ad planum ac ad celebrantem, dein vero ad altare conversus uno genu flectit aequaliter cum diacono vel etiam cum sacerdote coram incluso sanctissimo sacramento, supra infimum altaris gradum erigit se et accepto a sacrista bireto caput tegit et post thuriferarium et navicularium junctis ante pectus manibus, oculisque ad terram demissis, ad sacrarium revertitur; ubi ante mensam a sinistris celebrantis sinistra ante pectus posita caput dextra detegit, biretoque dextra apprehenso cruci exhibet cum celebrante profundam capitis inclinationem et dein celebrantem minori capitis inclinatione veneratur. Deposito post haec

bireto celebrantem sacris sese exuentem vestibus juvat. Quo facto ipse pariter adjuvante acolytho sacras deponit vestes eodem modo et ordine queis similes celebrans deposuerat vestes; calicem porro de credentia acceptum suo reponet loco, et tandem actis Jesu eucharistico gratiis recedit in pace *Deo gratias.*

§. VIII.

De officio subdiaconi in Missa solemni coram ss. sacramento patenter exposito.

1. Cum tractatus I. §. 32 de Missa privata coram exposito ss. sacramento celebranda, plura explanaverit, quae proportione servata Missae etiam solemni rite applicari possunt, hinc ne actum agamus ad eundem §. subdiaconum remittimus.

2. Subdiaconus post egressum e sacrario ingrediens presbyterium vel capellam, ubi expositum est sanctissimum sacramentum, biretum mox deponit, et pollice dextro ad normam crucis sinistro superposito intra biretum, reliquis vero digitis extensis et junctis infra inferiorem ejusdem bireti partem impositis illud ante pectus secum gestat; adveniensque ad altare versus cornu evangelii illud tradit sacristae.

3. Bireto sacristae tradito versus idem cornu evangelii ad infimum altaris gradum cum celebrante et diacono aequaliter utroque genu flectit, juncta profunda capitis inclinatione et erectus praestat usque ad incensationem altaris ad omnia, quae praestanda et tradita §. III.

4. Cum celebrans incensum impositurus paululum se retrahit versus cornu evangelii, ne tergum vertat sanctissimo sacramento subdiaconus ad extremitatem suppedanei recedit, ut spatium relinquat celebranti.

5. Cum celebrante ante incensationem sanctissimi sacramenti genuflectit et a dextra sua conversus et paululum recedens a cornu evangelii descendit cum eodem celebrante et diacono aequali passu ad primum a suppedaneo gradum et ad idem suppedaneum cum iisdem celebrante et diacono flectit utroque genu addita profunda capitis inclinatione, quam incensato triplici ductu sanctissimo sacramento iterabit et durante incensatione cum celebrante in medio aequaliter uno genu flectit.

6. Tunc finita incensatione celebrans extra gradus altaris in plano et facie ad populum conversa incensatur a diacono, a sinistris

hujus se sistit subdiaconus; non tamen ante, nec post incensationem sacerdoti cum diacono exhibet capitis inclinationem. Deinceps praestet ea, quae et in alia praestanda sunt Missa usque ad oblatorum incensationem, qua peracta manibus sacerdotis (si patena non teneat) in plano facie ad populum conversa consistentis aquam affundit ceroferario secundo pelvim sustinente et primo praesentante mantili.

7. Quoties celebrans ad medium altaris accedens vel ab eo recedens vel etiam in eodem actu existens uno genu flectit toties et subdiaconus uno genu flectere tenetur. Et quamvis patenam sustinens cum celebrante ambulante non ambulet, argumentis tamen solitis contra plures demonstrat P. H. Janssens part. II. edit. II. tit. II. num. 12 et sqs. eundem subdiaconum toties quoties genuflectit celebrans, genuflectere debere. Cumque haec sententia pariter a conformitate ministri cum suo principali commendetur, eandem in praxi praeferendam censemus. Reliqua quae subdiaconum concernunt usque ad descensum ab altari Missa finita nusquam differunt a Missis aliis solemniter cantandis.

8. Excipitur sub verbis evangelii ultimi *et verbum caro factum est*, genuflectit parumper versus sanctissimum sacramentum subdiaconus; dein a sinistris celebrantis ad medium venientis cum eodem et diacono aequaliter uno genu flectit, et recedens ad cornu evangelii a dextra sua sese convertit et cum celebrante et diacono passu conformi de altari descendit ad planum et a dextra sua conversus ad idem altare utroque genu flectit ad infimum altaris gradum a sinistris celebrantis, juncta profunda capitis inclinatione surgit et extra sanctissimi sacramenti conspectum veniens biretum a sacrista acceptum capiti imponit et junctis ante pectus manibus eo, quo venerat ordine ad sacrarium revertitur.

§. IX.

De officio subdiaconi in Missa solemni pro defunctis.

1. Cum de Missis praecipue privatis pro defunctis dissertum est tractatu I. §. 1. Q. IX, ea tantum hic adstruemus, quae in solemni pro defunctis Missa officio subdiaconi propria, nec Missae defunctorum cum alia solemni sunt communia.

2. Ad introitum non se cruce signat subdiaconus, sed celebrante solo crucem formante versus introitum subdiaconus junctis manibus, stat ad dextris diaconi et celebrantis respondet *Kyrie*, et reliqua praestat, uti in Missis aliis.

3. Cantata epistola et subsecuta in medio genuflectione subdiaconus ad ultimum gradum altaris prope cornu epistolae non genuflectit, nec osculatur manum celebrantis, neque ab eodem benedicitur, sed librum epistolarum reddit acolytho, vel si eodem cum diacono utatur libro, hunc eidem more consueto tradit et ad dextram celebrantis vadit prout alias.

4. Lecto a celebrante evangelio diaconus aptat missale et a sinistris remanet celebrantis, durante prosa a choro cantata usque ad stropham penultimam, qua incepta capite versus diaconum a dextris celebrantis stante, inclinato cum eodem aequaliter genuflectit et erectus accedit ad planum in medio, ubi choro cantante: *Pie Jesu,* cum celebrante et diacono caput cruci profunde inclinat. Dein cum diacono genuflectit et erectus vadit ad locum consuetum ad locum evangelii, ad quod non tenentur luminaria, nec portatur incensum sed duo ceroferarii sine candelabris stant junctis ante pectus manibus a dextris et a sinistris subdiaconi tenentis librum vel retro pulpitum stantis.

5. Cantato a diacono evangelio subdiaconus non defert celebranti librum ad osculum s. textus, sed clausum reddit acolytho et cum diacono ad stationem suam in medio praevia ibidem genuflectione revertitur.

6. Cantato a celebrante *Oremus* ante offertorium praemissa genuflectione accedit ad credentiam, ubi oblongo non induitur velo nec calicis velum in credentia relinquit, iis etiam in ecclesiis, ubi caeteroquin uterque mos viget, sed velum calicis eidem impositum una cum reliquis ad cornu epistolae defert.

7. Ad aquae cum vino mixtionem non invitat celebrantem ad benedicendum verbis aliis consuetis: *Benedicite P. R.,* sed sub oratione celebrantis: *Deus, qui humanae* . . . . aquam in calicem fundit, qua infusa nisi incensentur oblata, remanet ad idem cornu epistolae et peragit caetera, quae tradidit §. V. num. 3, si vero celebrans incensabit oblata, ea praestat subdiaconus, quae praestanda docuit §. V. num. 4.

8. In iis etiam ecclesiis in quibus caeteroqui subdiaconus conformiter rubricae patenam tenet, hanc in Missis pro defunctis non tenet neque oblongo induitur velo ideoque non impeditus genuflectit celebrante incipiente orationem: *Quam oblationem* . . . . et erectus accedit ad cornu epistolae et genu utroque flectit supra infimum gradum altaris et incensat sanctissimum sacramentum sub utraque specie eo modo, quo §. VI. num. 2 tradidit, quod si non fuerint

incensata oblata a celebrante et hanc subdiaconus omittit incensationem, dumque praemissa in loco suo genuflectione accedit ad primum gradum a suppedaneo et ad hoc a sinistris diaconi utroque genu flectit et reliqua peragit, uti §. VI. num. 3.

9. Subdiaconus ter dicens cum celebrante *Agnus Dei* pectus non percutit et loco miserere nobis dicit: *Dona eis requiem*, tertia vice addens: *sempiternam*.

10. Quoniam in Missa defunctorum pax non datur, dicto ter: *Agnus Dei*, subdiaconus aequaliter genuflectit cum diacono et cum eodem locum mutaturus accedit ad dextram celebrantis, ita tamen, ut diacono ad sinistram celebrantis pergenti in transitu gradum altaris superiorem cedat, et ad dextram celebrantis iterum cum eodem diacono genuflectit, pariter genuflectente ad sinistram celebrantis.

11. Celebrante in fine Missae dicenti: *Requiescant in pace*, subdiaconus respondet: *Amen;* dein non flectit utroque genu cum diacono ad suppedaneum, quia non datur benedictio; sed dicto a celebrante: *Placeat* .... et de eodem de medio ad cornu evangelii recedente subdiaconus in suo loco genuflectit cum diacono et erectus accedit ad cornu evangelii et reliqua complet, quae complenda monstravit §. VII. num. 6 et 8. Reliqua ad subdiaconi officium pertinentia Missae defunctorum solemni cum Missis aliis solemnibus communia et paragraphis praecedentibus hic conferre oportet.

TITULUS TERTIUS.

De officio diaconi ante et intra Missam solemnem.

---

§. I.

De officio diaconi ante Missam solemnem.

1. Diaconus in ecclesia praevia oratione ad digne subeunda ordinis sui munia, mature praeparatus ad sacrarium se confert et veste indutus talari, in libro evangeliorum inquirit evangelium in Missa cantandum et perlustratum apposito notat signaculo. Si eodem cum diacono libro usurus sit, eundem subdiacono ad praevidendam pariter epistolam tradit et curat deinde a ceroferario librum ad credentiam deportari.

2. Missam celebrandam inquirit in missali, quo utetur celebrans et hanc aeque ac collectas — si plures sint — et praefationem

signaculis distinguit, et missale sic signaculis discretum ceroferario tradit ad cornu epistolae supra pulpitum vel pulvinum deponendum apertum.

3. Manus lavat sub consueta oratione: *Da Domine virtutem manibus meis*, et ad paramenta pergit induitque humerale, albam, cingulum et stolam transversam ab humero sinistro infra brachium dextrum protensam ibidemque collegatam, cujus crucem in medio praevie osculatur, precesque consuetas sub reliquis etiam assumptis sacris vestibus recitat.

4. His tandem indutus vestibus celebrantem se pariter sacris vestibus induentem una cum subdiacono juvat. Itaque primo assumptum amictum eidem praesentat ad osculum crucis in eodem depictae sive adsutae; dein eundem capiti sacerdotis impositum ex post ad humeros demittit et eundem collari celebrantis a dextris ita adaptat, ut collare nusquam appareat. * Albam porro cum subdiacono simul acceptam celebranti imponit et accommodat a latere dextro. Tertio post porrectum celebranti a subdiacono cingulum, super illud albam a dextris elevat, ita ut ubique aequaliter diffluat, vestemque contegat talarem. Quarto post impositum brachio sinistro celebrantis a subdiacono manipulum, porrecto prius celebranti ad osculandam in eo crucem diaconus stolam, quam prope crucem osculatur, eidem offert ad osculum in cruce et qua parte crux est, eandem stolam collo celebrantis impositam, ita caeterequi componi, ut partem ejus sinistram a subdiacono acceptam ad dextram celebrantis adductam extremitate cinguli alliget, ejusdem vero stolae partem dextram porrigat subdiacono, hanc a sinistris celebrantis pariter ad ligandam. Demum cum eodem subdiacono casula celebrantem vestit.

* Nempe *die beliebten Vatermörder*.

5. Vestito celebrante diaconus pariter manipulum cujus crucem praevie osculatur imponit brachio suo sinistro manum inter et cubitum, postremo dalmatica induit sub consuetis utrimque precibus.

1. Stola diaconi denotat jugum domini in hac vita, quae per sinistram super quam gestat stolam designatur cum spe quietis futurae in dextra. — In sinistro gestat, quia patienter tolerare debet propter Christum adversa. Quarti l. c.

2. *Stola* transversa diaconi designat colligationem fortitudinis atque continentiae ab humero dependens circa lumbos stringitur. Fortitudinis quidem ad operandum opera Dei. Continentiae vero ad cohibendas carnis lascivias. Fr. Titelmann l. c. p. 42.

5. *Dalmatica* significat laetitiam et curam proximorum. — Ivo Carnot. l. c. Diaconus adnexam habere debet caritatem, quia hilarem datorem diligit Deus. 2. Cor. 9.

6. Thuriferario thuribulum apertum et naviculario naviculam praesentantibus diaconus dextra acceptam naviculam mox sinistra versus celebrantem apertam exhibet et extractum ex eadem cochlear vacuum, accipiens dextra sua ad partem manubrii prope concavitatem osculatur manubrii summitatem, tradit celebranti, cujus dextram in parte exteriore pariter osculatur. Dein versus illum celebrantem inclinatus ad thus benedicendum eum invitat dicens: *Benedicite pater reverende!* dum interim sinistra pedem et dextra manubrium naviculae apertae tenet. Imposito thure recipit a celebrante manu dextra cochlear sumens illud prope concavitatem et primo manum celebrantis, dein summitatem dicti manubrii osculatur, et cochlear in naviculam reponit quam claudit, redditque naviculario. Tandem reaccepto, quod ante benedictionem incensi deposuerat birreto, illud tenet utraque manu ita, ut pollex dexter sinistro ad normam crucis super imponatur intra biretum, reliqui vero digiti extensi et juncti sint extra inferiorem bireti partem.

NB. In Archidioecesi Coloniensi ceremonia incensi ante egressum e sacrario benedicendi non viget. Et praeterquam, quod diaconus ante evangelium a se cantandum manum celebrantis libro evangeliorum impositam osculetur, caeteroquin nec manum celebrantis, nec instrumenta unquam osculatur. Iis interim ecclesiis, in quibus hae ceremoniae vigent, hac communiter tradita servetur regula: In oblatione instrumentorum praecedit osculum eorundem in receptione instrumentorum praecedet osculum manus.

§. II.

De officio diaconi ab egressu e sacrario ad hymnum usque angelicum.

1. Dato a celebrante egressus signo, diaconus cum celebrante cruci exhibet profundam capitis inclinationem capite discooperto, et imposito dein capiti bireto celebrantem etiam salutat minori capitis inclinatione, et immediate subdiaconum discedentem sequitur junctis ante pectus manibus et ob functionum paritatem ea observat omnia quae tit. II. §. III usque ad adventum coram altari observanda docuit.

2. Adveniens coram altari, in quo celebranda est Missa, sistit se versus cornu epistolae, et quodsi sacrarium sit versus cornu idem

epistolae, retrocedens paulisper celebranti spatium coram se transeundi praebet, et dein gradibus altaris appropinquat, ubi sinistra pectori apposita biretum suum dextra de capite depositum mox sinistra recipit et dextra biretum a celebrante acceptum tradit cum suo bireto.

3. Celebrante dein coram incluso sanctissimo sacramento uno genu flectente vel coram crucifixo profunde inclinante diaconus cum subdiacono aequaliter uno genu flectit et usque ad ascensum ad altare praestet omnia, quae idem tit. II. §. III a subdiacono et diacono praestanda tradidit.

4. Dicto a celebrante: *Oremus:* erigit se diaconus, ascendit a dextris celebrantis ad altare ibidemque genu flectit; ubi protracta paulisper a celebrante et finita praefatiuncula: *Oramus te Domine* denuo genuflectit et ad cornu epistolae cum eodem celebrante accedit, ubi a dextris ejusdem sistit se ad primum a suppedaneo gradum et extremitate digitorum dextrae inversae monstrat celebranti initium introitus, et postquam celebranti semel *Kyrie, bis Christe* et iterum semel *Kyrie eleison* respondit, vadit retro celebrantem ad primum *non secundum* a suppedaneo gradum.

NB. In Archidioecesi Coloniensi conformiter notae tit. II. §. III. num. 8 subjunctae (nisi incensetur altare) diaconus dicto a celebrante: *Oremus* ascendit ad primum vel secundum a suppedaneo, gradum retro celebrantem, ibidemque genuflectit et discessurus cum celebrante ad cornu epistolae genuflectionem in medio iterat.

5. Si celebrans altare incensabit, cum ipso ascendit ad altare, ibidemque genuflectit et dicto ab eodem celebrante: *Oramus te Domine* diaconus allatam a naviculario naviculam celebranti apertam praesentat una cum cochleari, uti monstravit §. praecedens num. 6. Dein imposito a celebrante incenso atque benedicto redditaque cum cochleari navicula naviculario, diaconus thuribulum clausum a thuriferario acceptum celebranti hoc modo porrigit; tenens itaque manubrii annulum majorem exterius inter pollicem et indicem dextrae et sinistra omnes complectens catenulas prope vasculum osculatur catenularum summitatem; dein annulum majorem pollici sinistro celebrantis, catenulas vero prope vasculum collectas, dextrae ejusdem celebrantis immittit, quam pariter in parte exteriori osculatur. Thuribulo celebranti porrecto jungit manus ante pectus et celebrante uno vel altero passu ab altare recedente ad incensandam crucem recedit et cum eo diaconus, hac durante incensatione ad ea sedulus reflectit, quae reflectenda monuit tit. II. §. III. num. 9. Finita tandem

incensatione diaconus a celebrante thuribulum recipit, cujus primo manum dein catenularum summitatem osculatur. Post hoc descendit ad planum et eundem celebrantem in suppedaneo manentem ad cornu epistolae triplici ductu incensat, juncta etiam ante et post incensationem capitis inclinatione; et thuribulum reddit thuriferario.

6. Incensato celebrante diaconus accedit ad dextram ejusdem prope cornu epistolae, monstratque celebranti initium introitus, signat se cum eodem, respondet eidem *semel Kyrie, bis Christe,* et iterum *semel Kyrie eleison,* et recedit retro celebrantem ad primum vel secundum a suppedaneo gradum.

* Alibi remanet a dextris celebrantis usque ad ultimum *Kyrie,* quo a choro inchoato primum recedit retro celebrantem.

7. Si prophetias lecturus cantet celebrans *Oremus,* caput profunde inclinat cruci diaconus et tractim, si cantandum sit, cantat *Flectamus genua* et prior duobus flectit genibus, et dein pariter duobus genibus flectit subdiaconus, qui cantato *Levate* prior surgit, et dein subdiaconus, uti tit. II. §. III. num. 12 inter caetera notatur.

§. III.

De officio diaconi ab hymno angelico ad usque offertorium.

1. Finitis prophetiis vel choro ultimum *Kyrie* cantante diaconus retro celebrantem consistens converso totaliter latere dextro ad cornu epistolae et pede dextro inchoans gressum gressui celebrantis conformem cum eodem accedit ad medium, ubi genuflectit et celebrante cantante: *Gloria in excelsis Deo,* cum eodem caput profunde inclinat sub voce: *Deo; dein et non prius* genuflectit et paululum versus cornu epistolae recedens ibidem subsistit, donec subdiaconus ascendens suum aequaverit latus sinistrum; tum aequali passu ad cornu epistolae pergit, subdiacono interim ad cornu evangelii procedente, et utrimque a dextris et a sinistris celebrantis consistentes hymnum cum eadem voce quasi submissa continuant et reliqua praestant, quae tit. II. §. IV a primo ad numerum quintum inclusive utrique ministro dicta fuere.

2. Cantato a celebrante *Dominus vobiscum,* et praemissa a diacono in medio retro celebrantem genuflectione cum eodem accedit ad cornu epistolae, ubi eidem a dextris adsistens sub *Oremus* caput cruci profunde inclinat et collectam extremitate digitorum dextrae inversae ostendit et si plures inter collectas una contineatur in parte

libri dextra, quae correspondet sinistrae celebrantis, diaconus vadit ad celebrantis sinistram et praevia genuflectione collectam inquirit, monstratque qua monstrata iterum genuflectit et ad latus celebrantis dextrum regreditur. Idem observat si cantatis pluribus collectis fors in eodem libri parte epistolam monstret.

* Alibi conformiter rubricae diaconus sub oratione stat retro celebrantem ad cujus dextram primo accedit sub finem ultimae orationis. Lecta a celebrante epistola respondet: *Deo gratias*, dein sistit se retro ipsum et vel librum evangeliorum a ceroferario vel librum missalem a subdiacono cum praevia et subsequente capitis inclinatione accipit et utraque manu partem inferiorem ita sustinet, ut dorsum libri ad suam sit dextram et pars libri superior a pectore remota sursum erecta sit.

3. Cum celebrante ad medium accedente accedit retro ejusdem ad idem diaconus et ibidem genuflectit, dictisque a celebrante *Munda cor meum et Jube Domine*, eodemque ad cornu evangelii recedente genuflectit diaconus ascendit altare prope medium versus cornu epistolae librumque ibidem super altare deponit, ita ut facies libri sive anterior pars idem medium respiciat manibusque ante pectus junctis expectat donec celebrans lecto evangelio revertitur, quo reduce genuflectit diaconus, recedit a sinistra sua conversus ad primum suppedanei gradum ad quod utroque genu flectens et caput profunde inclinans dicit voce submissa: *Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus* .... quo dicto surgit ascendit ad altare et accepto a dextris celebrantis libro, uti supra uno genu flectens invitat celebrantem ad dandam sibi benedictionem dicens *Jube Domne benedicere!* et erectus vadit retro celebrantem flectitque denuo utroque genu ad suppedaneum et capite inclinato benedictus diaconus manum celebrantis libro impositam osculatur. Benedictione accepta surgit et exspectat, donec chorus cantare incipiat ultimum *Alleluja*, sive finem gradualis vel tractus, vel sequentiae.

Curandum diacono ut monet Amalar. loc. cit., ne infructuose reddat sacerdotis orationem, dominumque teneat in mente, nec sinat evanescere imposita verba, aut frangi crucis signum impressum per sacerdotis manus, a noxiis cogitationibus; osculata celebrantis manu in signum reverentiae dum accedit ad legendum *in corde* suo domino dicat: Cor mundum crea etc. Timeatque illud: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Ps. 49. atque ut ejusdem Divi Ambrosii similitudine, ut gallus gallinaecus non prius alios excitat quam excitarit seipsum, et pulverem

discusserit, ita qui alios docere paret, seipsum prius ita formet, ut opera verbis consentiant. — J. B. Scortia loco citato cap. 23.

4. Choro igitur ultimum *Alleluja*, vel finem unius praedictorum cantante; genuflectit diaconus, dum simul retro ipsum genuflectit subdiaconus, ad cujus dextram dein pergit ad locum cantandi evangelium; ubi librum vel subdiacono tradit ab eo sustinendum, vel supra praeparatum reponit pulpitum; et dextra sua ad cornu evangelii conversa junctisque ante pectus manibus cantat voce articulata rituique Missae adtemperata: *Dominus vobiscum*, et dein cantans: *Initium vel sequentia*, palmam manus sinistrae supra librum deponit et extremitate pollicis dextrae digitis reliquis sibi mutuo unitis et extensis signat cruce parva initium sacri textus post verba: *Sequentia et in illo tempore*, si haec praetermittantur. Dein prosequens: *sancti evangelii*, sinistra sua infra pectus posita, eodem pollice dextrae se ipsum cruce parva signat ad frontem, dein ad os (sed tantisper silens) et ad pectus. Responso dato a choro: *Gloria tibi Domine*, diaconus cantat evangelium voce eadem, qua supra manibus ante pectus junctis. Et occurrente fors nomini Jesu profundam; nomini Mariae mediam; et nomine alterius sancti sanctaeve, cujus vel Missa, vel specialis celebratur commemoratio minimam exhibet capitis inclinationem versus librum et siquid genuflectionem erigat, uno genu pariter genuflectit versus librum.

Finito tandem evangelio sinistra sua pectori applicata, indigitat extremitate digitorum dextrae inversae subdiacono initium sacri textus, quo monstrato junctis ante pectus manibus sinistram suam ad cornu evangelii, et faciem ad celebrantem convertit, cui post osculum s. textus a subdiacono monstrati exhibet diaconus capitis inclinationem et ad stationem suam retro celebrantem in medio praevia ibidem genuflectione revertitur.

Diaconus populum salutat dicens *Dominus vobiscum*, ut corda illius a mundanis cogitationibus emundet adque suscipienda verba salutifera aperire dignetur. Alcuin l. c.

Qua de re dicatur *initium* s. evangelii vel sequentia refert Alcuinus. Quoties principium alicujus ex quatuor evangeliis legitur puta, quando recitatur

ex Joanne: *In principio*,
ex Matthaeo: *Liber generationis*,
ex Luca: *Fuit in diebus Herodis*,
ex Marco: *Principium Jesu Christi*.

In aliis vero lectionibus dicitur: *Sequentia* vel *in illo tempore* vel *in diebus illis*.

Diaconus in sacro textu crucem pingit manu, significans non humanum se aliquid neque sapientiae saecularis, sed crucis Christi annuntiaturus mysterium statimque frontem os et pectoris locum eodem crucis signo publice consignat, caeteris qui astant audituri, idem agentibus. In quo significat se crucem Christi non erubescere, imo palam velle gestare, per fidem in corde, ad justitiam, in ore per confessionem ad salutem, in fronte per conversationem in exemplum. Rom. 10. — Fr. Titelmannus l. c. p. 45.

Diaconus evangelium ad Aquilonem legit Aquilonaris enim pars frigida est, malitiae frigus (quod caritatem refrigescere fecit) repraesentans et sedes illius magni qui dixit: ponam sedem meam in aquilonem et ero similis altissimo. Matth. 24. — Isaiae 14. — Hieron. 2. Et juxta aliam scripturam, ab aquilone pandetur omne malum. Propter quod aquilonem fugere vox prophetica exhortatur * significatur ergo quod evangelica praedicatio adveniens contra malitiam omnem et principem malitiae diabolum esset pugnatura et triumphatura id quod nunc per omnem ecclesiam clare conspicimus. Idem loco citato pag. 45 et 46.

* Animadvertendum quod haereses abominabilissimae ortae sunt in aquilone et aquilonaria regio penes tota haereses secuta est, econtra meridionalis regio eos oppugnavit.

Gloria tibi Domine, quia populus interim deprecetur Deum ne diabolus auferat verba evangelii de corde ipsius, neque pretiosa sint corda atque dumosa, vel spinosa sed terra bona, ut fructum bonum possit capere et reddere. Ad haec clerus et populus se crucis signo in fronte, ore, et pectore muniunt et firmant: Ordo Roman. l. c., Amalari l. c., Alcuinus, Hildebertus Cenoman. de mist. Missae et plurimi.

Legitur evangelium ad Aquilon. quia fides, quae in evangelio continetur armatura nostra est, contra diabolum per Aquilonem significatum Isaiae c. 14. Ita Hugo, Steph. Heduensis, Atcuinus, Innoc. III, Bonaventura, Turracremata l. c.

Stare ad evangelium teste Clemente derivat ex Apostolorum constitutione, ut referunt citati uti supra. Tum ut ostendamus nos ad pugnam contra diabolum paratos; ut ait Albertus tum quod tanquam servi ante dominum prompti ad omne praeceptum esse debeamus. Amalari l. c. Similiter in reverentiae et humilitatis signum debent omnes esse decenter curvi, ita ex Can. apostolic. de consecrat. 1. Ambrosio, Hieronimo, Liturgia Basil., Crysostom., Hugone, Innoc. III, Beleth, Bonaventura et Hildeberto eruitur. Scortia l. c.

Anastasius papa circa annum 464 epistola decret. ad episcopos Germaniae et Burgundiae jubet dum sacra evangelia legerentur in ecclesia sacerdotes et caeteros omnes in con-

spectu sancti evangelii stantes dominica verba attentissime audire et fideliter adorare.

5. Si celebrans lecto evangelio redux incensum sit impositurus, ministrat eidem diaconus cochlear praesentatque naviculam, uti §. I. num. 6. Incenso imposito et benedicto genuflectit diaconus et retro quidem celebrantem ad suppedaneum utroque genu flectens recitat: *Munda cor*, et reliqua praestat usque ad locum cantandi evangelium, uti num. 3 et 4. Postquam igitur cantavit: *Initium* vel *Sequentia*, annulo majori thuribuli a thuriferario praesentati immittit pollicem sinistra et dextra sua catenulas omnes comprehensas, et inter medium et annularem digitos collectas supra annularem et auricularem digitos dependere facit; et ad librum conversus praemissa profunda capitis inclinatione tribus ductibus librum incensat; ac primo quidem medium libri, secundo ejusdem dextram correspondentem sinistrae diaconi et tertio libri sinistram correspondentem dextrae diaconi; qui dein iterum exhibet libro profundam capitis inclinationem; post redditum a sinistris thuriferario thuribulum cantat evangelium, quo cantato et celebranti ad osculum a subdiacono praesentato celebrantem praevia capitis inclinatione triplici ductu incensat, et iterum veneratur capitis inclinatione. Hoc reddito thuribulo ad medium revertitur retro celebrantem ubi genuflectit, et erectus stat supra primum vel secundum a suppedaneo gradum.

6. Celebrante cantante *Credo in unum Deum*, caput sub voce: *Deum* profunde inclinat, dein et *non prius* genuflectit et recedens paulisper versus cornu epistolae expectat; donec subdiaconus suam attigerit (ascendendo) sinistram et aequaliter ascendit ad cornu epistolae, subdiacono interim ad cornu evangelii pergente et ad utrumque latus celebrantis consistentes junctis ante pectus manibus cum eodem celebrante continuat symbolum inclinantes caput profunde versus crucem sub verbis: *Jesu Christe*, et sub verbo: *adoratur*, ac genuflectentes sub verbis: *et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est*; et sub verbis: *et vitam venturi*, ita se signant, ut extremitate digitorum extensae tangant physice frontem (uno actu et tractu. E.) *et;* dein dicentes: *vitam;* tangant pectus tertio: *venturi*, tangant humerum sinistrum; demum dicentes *saeculi Amen*, tangant (manu incurvata. E.) humerum dextrum et his dictis manus denuo jungant.

7. Dum celebrans cruci caput inclinat choro inchoante: *Qui propter nos* . . . . diaconus cum subdiacono aequaliter genuflectit; et a sua sinistra se vertens cum celebrante descendit ad primum a suppe-

daneo gradum; et dein ad idem a suppedaneo gradum flectit utroque genu et sub verbis a choro cantatis: *et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est,* caput cum celebrante profunde inclinat, quocum dein surgit, et si non sedeat celebrans descendit ad planum diaconus et in medio supra infimum altaris gradum genuflectit et erectus vadit ad credentiam, ubi a ceroferario consueta capitis inclinatione, ante et post, bursam cum incluso corporali acceptam utraque manu utrimque tenet usque ad superiorem pectoris partem elevatam et quasi jacentem et parte aperta ad se conversa; et sic gestans eandem ad medium altaris revertitur, ubi iterato ad gradum infimum genuflectit et erectus ascendit ad dextram celebrantis, quo paulisper cum subdiacono a cornu evangelii recedente diaconus ad medium accedens, ibidem e bursa, quam sinistra tenet extractum dextra corporale deponit; bursam vero erectam (partem coloratam et crucis signo munitam versus populum M) collocat juxta tabellam secretarum versus cornu evangelii. Tum ambabus manibus corporale expandit supra altaris medium, ita tamen, ut plica superior primo expandetur versus crucem, inferior vero plica, quae versus sacerdotem est, clausa maneat usque ad offertorium. Corporali sic expanso a diacono de medio recedit et manibus ante pectus junctis remanet ad dextram celebrantis. Dumque chorus cantat: *adoratur,* inclinat profunde caput versus crucem et sub verbis: *venturi saeculi,* celebrante manus ad altare utrimque deponente, genuflectit diaconus cum subdiacono, et se sistit retro celebrantem in linea recta ad primum vel secundum a suppedaneo gradum.

8. Si dato ad sessionem signo de altari sub symbolo descendit celebrans ea observat diaconus, quae sicut pro hymno angelico, ita et pro symbolo ab eodem observanda tradidit tit. II. §. IV. num. 2 et 3 ac specialia pro symbolo ibidem num. 14. Postquam igitur chorus cantavit: *et homo factus est,* biretam a verbis: *et incarnatus est,* depositum tradit ceroferario; dein surgit et praevia ad celebrantem inclinatione capitis accedit ad (medium altaris ibidem genuflectit acceditque ad) credentiam et acceptam a ceroferario bursam, uti numero praecedente defert ad altare; et si coram celebrante et subdiacono transeat, eosdem capitis inclinatione salutat, tandem ad medium altaris proveniens extractum e bursa corporale ibidem explicat, ut ante quo explicato praevia genuflectione descendit ad planum et a dextra sua ad altare conversus supra infimum genuflectit gradum et ad priorem sessionem praemissa celebranti capitis in-

clinatione revertitur et caput bireto tegit. Choro tandem cantante *et vitam venturi*, surgit diaconus et biretum suum tradit ceroferario. Dein biretum a celebrante adhuc sedente sub praestita eidem capitis inclinatione acceptum pariter porrigit ceroferario, et cum celebrante ad medium, a quo venerat ordine revertitur; ibidemque a latere dextro ejusdem ad infimum altaris gradum genuflectit et ascendit retro celebrantem ad primum vel secundum a suppedaneo gradum.

§. IV.

De officio diaconi ab offertorio ad usque consecrationem.

1. Cantato symbolo vel si non sit cantatum, cantato a celebrante *Oremus* post *Dominus vobiscum*, caput cum celebrante profunde cruci inclinat diaconus; et dein genuflectit et ascendit ad dextram celebrantis, ubi expansa plicae corporalis anteriore, velum cum calice fors allatum utroque manu ad utramque posteriorem extremitatem apprehendens, plicat semel et iterum, ita ut materiae veli exterior et pretiosior sola appareat; illudque ad cornu epistolae collocat in parte altaris posteriore. Tum sinistra sua ante pectus posita pollice et indice dextra amovet de patena pallam, eamque ad cornu epistolae ita collocat, ut pars una ejusdem super veli complicati extremitate et altera super altari prope corporale quiescat. Dein accipiens utraque manu patenam ad circumferentiam, praevio ejusdem et dein dextra celebrantis osculo, eandem eidem praesentat; qua presentata calicem a subdiacono tersum sinistra sua ad nodum accipit ita, ut pollice unam purificatorii medietatem ad nodum calicis deprimat; et altera medietas supra pollicem dependeat; sicque utraque purificatorii extremitas pedem calicis contegat. Quo facto accipit de manu subdiaconi ampullam vini; et si album sit, odore exploret, num vinum sit, et ampullam elevans desuper purificatorium in calicem eam infundit vini portionem, quae uno hausto sumi possit. Ampulla reddita vino infuso dextram apponit pectori, quoad usque subdiaconus benedictam a celebrante aquam infuderit; qua infusa indicem dextrae purificatorio involvens, eodem guttulas vini vel aquae calici forte adhaerentes, abstergit in- et exterius et purificatorium plicatum deponit supra medietatem patenae corporali non tecta (si tamen eandem non teneat subdiaconus) et extremitates purificatorii correspondebunt anteriori extremitate corporalis. Purificatorio deposito calicem dextra infra nodum, et sinistra ad pedem

acceptum praevia ejusdem (in ejus anteriore parte cruce signato) pedis, dein celebrantis dextrae osculo eidem praesentat calicem; postea sinistra sua ante pectus posita dextram suam supponit brachio celebrantis dextro et cum eodem dicit: *Offerimus tibi Domine, cacalicem salutaris, tuam deprecantes clementiam etc.*, qua oratione finita calici a celebrante supra corporale deposito diaconus dextra sua pallam imponit, dum interim sinistram applicat pectori.

Per detectum nunc calicem et nudatam hostiam significatur, legem veterem eucharistiae ritum tantum signis praefigurasse, sed evangelica traditione per Christum nude palam et efficaciter institutum fuisse. Fr. Titelmannus l. c. p. 51.

2. Si subdiaconus patenam sustineat, eandem diaconus tecto calice purificatorio abstergit et dextrae subdiaconi immittit ita, ut pars ejusdem concava ad subdiaconum vertatur et extremitate veli ad dextrum subdiaconi latus dependentis eandem contegat, qua tecta purificatorium plicatum reponit juxta corporale, uti num. praecedente. Dein genuflectit et vadit retro celebrantem. Quodsi vero subdiaconus patenam non sustineat, tunc tecto palla calice diaconus genuflectit et recedit, ut ante retro celebrantem.

3. Si celebrans sit incensaturus oblata diaconus a dextris celebrantis remanens, dicto a celebrante: *Veni sanctificator* . . . . eidem thus, cochlear et tandem thuribulum praesentat, uti ante Introitum, et celebrante inchoante incensationem oblatorum: *Incensum istud,* diaconus suam sinistram pectori applicatam pedem calicis dextra tenet; et caeteroqui sub incensatione praestet ea omnia, quae praestitit sub incensatione simili ad Introitum; calicem vero ante crucis incensationem et medio removet versus cornu epistolae, et crucis incensatione perfecta, calicem suo iterum reponit loco.

4. Incensatione finita diaconus thuribulo a celebrante recepto descendit ad planum a latere epistolae, et praemissa celebranti capitis inclinatione cum triplici incensat ductu, iterumque caput eidem inclinat.

5. Celebrante incensato genuflectit in medio diaconus et imposito a naviculario thure sequentibus se thuriferario et naviculario pergit ad incensandum praevia capitis inclinatione chorum correspondentem lateri epistolae * et hoc incensato transit praemissa in medio genuflectione ad alium chorum correspondentem lateri evangelii, et iterata inclinatione clerum eodem modo incensat. Modum vero servabit in illa ecclesia receptum.

* i. e. ubi dignior vel digniores consistunt.

Post thurificationem manus abluit celebrans quanquam alioqui in principio ante altaris accessum mundatum se fuisse optime sciat, ut si forte interim ullam undecunque maculam contraxisset, abluatur hac ablutione priusquam ad sacrosancta in manibus tenenda mysteria accedat. Significans hoc ipso si qua forsitan per humanae fragilitatis miseriam, hucusque vanitatum phantasmata mentem maculaverint, ut vel nunc omni cum attentione abjiciantur, et quasi novam cordis assumamus munditiam. Nec enim dubium est, tanto nunc ab omni immunditia etiam levium cogitationum atque affectuum meritò esse abstinendum, et abjicienda ex animo, quod ad sanctissimum illud passionis mysterium fit accessus propior. — Itaque lotus semel manus iterum abluens recordetur sacerdos, geminam ut assumat cum Dei adjutorio munditiam, quo tam sacris, quae jam aggreditur mysteriis, nulla parte possit haberi indignus. — Ne Vae sacrarum paginarum super sacerdotem immundum immineat. — Lavat manus antequam orationem secretam proferat super hostiam populo, ut fiat exaudibilis. Fr. Titelmann. l. c. pag. 53, 54. —

6. Choro incensato redit ad altare ibidemque genuflectit versus cornu epistolae, quocum et genuflectit subdiaconus et praemissa praevie patena demissa ante pectus — si eam sustineat, — dein surgit uterque et praevia reciproca inclinatione diaconus duplici ductu incensat subdiaconum, iterantque bini inclinationem. Tum subdiaconus ad altare conversus genuflectit cum diacono, et erectus denuo patenam elevatam ad faciem usque in loco suo sustinet, subdiacono incensato diaconus reddit thuribulum thuriferario, et praemissa genuflectione retro celebrantem conversus ad eundem thuriferarium ita, ut latus ejus sinistrum respiciat altare duplici ductu ab eodem incensatur sub reciproca praevia et consequente capitis inclinatione, et dein iterum genuflectit et si ad secretas pervenerit celebrans ascendit ad ejus sinistram, ut eosdem inquirat monstretque. Quodsi chorus alicubi non existat, diaconus incensato celebrante et praemissa genuflectione, ut ante mox incensat subdiaconum, si hic patenam teneat. Quodsi hanc non teneat post affusam ab eodem manibus celebrantis aquam incensat eundem; et dein diaconus ipse incensatur a thuriferario et praevia genuflectione retro celebrantem pergit ad ejusdem sinistram monstraturus secreta.

7. Si celebrans oblata non incenset, tunc calice post oblationem palla tecto diaconus a dextris celebrantis junctis ante pectus manibus genuflectit et retro ejusdem se sistit, dein celebrante de medio ad cornu epistolae recedente, diaconus praevia genuflectione ad idem

pariter cornu epistolae accedit, et aqua digitis celebrantis a subdiacono patenam non tenente (caeteroqui a ceroferario affusa) diaconus eidem praesentat celebranti mantile; quo ceroferariis reddito junctis ante pectus manibus recedit retro celebrantem, quocum in fine psalmi: *Lavabo*, sub *Gloria Patri*, caput non inclinat et latere dextro ad cornu epistolae converso cum celebrante ad medium redit, ubi genuflectit et erectus stat retro celebrantem.

Quid interest inter morem in ecclesia receptum et abusum, qui per negligentiam, luriditatem in ecclesiam irrepsit, vel morem de quo legitimitas non constat? — et legitimitas non constabit, si non probetur ex ordinarii ordinatione, ergo tollendus de quo nil constat et stricte juxta rubricas agendum, ut abusus omnino extirpentur. Hoc dijudicandum foro ordinarii relinquimus.

Diaconi stantes retro celebrantem significant, quod apostoli tempore passionis aufugiebant, postmodum secuti eum sunt ad passionem. Durantus.

8. Celebrante dicente: *Orate fratres*, diaconus absque capitis inclinatione respondet: *Suscipiat Dominus*, quo dicto genuflectit et erectus ascendit ad sinistram celebrantis, et inquirit monstratque extremitate digitorum dextrae conversae secretas et tandem praefationem. Quibus monstratis genuflectit et stationem retro celebrantem repetit, ubi eodem cantante: *Gratias agamus*, sub *nostro* caput profunde inclinat versus crucem idemque praestat sub praefatione occurrente nomine *Jesu*, nomini vero *Mariae* exhibet mediam capitis inclinationem versus librum.

Secretae quae dicuntur submissa voce significant Christi latibulum. Fr. Titelmann l. c. p. 55.

Antiquo more in Missa solemni nunc diaconus, praeeuntibus thuriferariis et ceroferariis in antiquo summo Coloniensi descendit de altari praevia genuflectione in medio per latus sinistrum se vertens et vadit per portam chori sitam in latere evangelii ad incensandos triplici ductu reliquias trium magorum quibus gaudet Archidioeceseos Coloniensis per unam in medio alterum a dextro correspondentem lateri suo sinistro et tertium a sinistro correspondentem lateri suo dextro praevia tamen capitis inclinatione et etiam post incensationem redit per portam chori ad latus epistolae sitam, et si in suo loco advenerit genu flectit uno genu sicuti fit a thuri- et ceroferariis.

9. Sub verbis praefationis: *sine fine vel supplici confessione* aut *una voce* genuflectit et ascendit ad dextram celebrantis, ubi corpore mediocriter inclinans quasi submissa voce dicit ter: *Sanctus*, et reliqua. Cumque porro dicit: *Benedictus, qui venit*, erigit se et si-

nistra infra pectus posita signat se dextra cum celebrante ad frontem dicens: *Benedictus*, ad pectus: *qui venit*, ad humerum sinistrum: *in nomine Domini*, et ad dextrum: *Hosanna in excelsis*.

Cum sacerdos ad *Benedictus* se crucis signo signet significare potest, quod magnificus introitus et cum populi acclamatione ingressus non ad regnum suscipiendum Christo erat, nec temporalem honorem, sed ad crucis in ea brevi perferendum supplicium. Durantus l. c.

10. Dicto *Hosanna in excelsis*, genuflectit diaconus et retro celebrantem transversum procedit ad ejusdem sinistram, ubi repetit genuflectionem et canonem a subdiacono fors non monstratam, ipse monstrat et folia vertenda vertit; nunquam vero cum celebrante utpote voce utente secreta sub canone caput inclinat.

§. V.

De officio diaconi a consecratione ad usque communionem.

1. Cum dicit celebrans *Quam oblationem*, genuflectit diaconus et a dextra sua conversus accedit ad primum a suppedaneo gradum a dextris celebrantis, et ad suppedaneum duobus flectit genibus; cum celebrans post panis consecrationem genuflectit, diaconus applicata pectori dextra sua partem inferiorem casulae sinistra elevat, tenens eam in medio et capite profunde inclinato sanctissimum sacramentum adorat. Dein cum celebrante surgente surgit diaconus et dextra acceptam de calice pallam, ad locum deponit consuetum. Postea iterum utro genuflectit, ut infra consecrationem panis et celebrantis post consecrationem calicis genuflectentis casulam elevat ut ante, et sanguinem postea profunda capitis inclinatione adorat. Calice post elevationem a celebrante supra corporale deposito, diaconus surgit et eundem calicem palla cooperit, quo cooperto cum celebrante genuflectit et erectus retro ipsum transversus regreditur ad ejusdem sinistram, ubi iterum genuflectit et erectus invigilat foliis ac signat se sub verbis celebrantis: *omni benedictione coelesti*.... sub illis vero: *Nobis quoque peccatoribus*, sinistra infra pectus posita pectus percutit extremitate digitorum junctorum dextrae paululum incurvatae, manusque iterum jungit.

NB. In Archidioecesi Coloniensi diaconus pallam de calice acceptam nunquam durante Missa deponit, sed pollicem inter et indicem dextrae ad extremitatem inferiorem tenet supra humerum

dextrum elevatum ita, ut ornatus respiciat populum, palla interim ante consecrationem calicis de eodem accepta, statim genuflectit, et dein repetit priorem utriusque genu flectionem et praestet reliqua, ut mox ante.

2. Cum celebrans pervenerit ad haec verba: *Per quem haec omnia* . . . . genuflectit diaconus, et retro celebrantem transversum accedit ad ejusdem dextram et accepta de calice palla vel deposita, vel pro more inter pollicem et indicem dextrae retenta genuflectit cum celebrante, quocum iterum surgit et calicem a celebrante primo paululum elatum, et dein super corporale depositum, palla cooperit et genuflectione cum celebrante iterata vadit retro ipsum ad ordinariam ibi stationem.

3. Celebrante canente: *et dimitte nobis* . . . . genuflectit diaconus et erectus ascendit ad latus dextrum celebrantis, ibidemque praesentatam a subdiacono patenam discooperit, vel de sub corporali dextra accepta, dein sinistra tenet, acceptoque dextra purificatorio abstergit in- et exterius, expost purificatorium plicatum reponit ad locum consuetum ac patenam super illud ita erectam sinistra sustinet, ut pars concava sit versus corporale et dein posteriori extremitati purificatorii involutam dextra sua praesentat celebranti, dum interim primo patenam et dein manum celebrantis osculatur ac manus iterum jungit.

4. Celebrante sub verbis: *et ab omni perturbatione securi*, dextram deponente supra pedem calicis, diaconus more consueto pallam de calice aufert, et genuflectit cum celebrante surgitque cum eodem et post immissam in calicem particulam celebrante iterum dextram supra pedem calicis tenente, eundem denuo cooperit diaconus et iterum cum celebrante genuflectit et erectus praevia profunda capitis inclinatione junctis ante pectus manibus dicit voce quasi submissa cum celebrante: *Agnus Dei* . . . . et tunc sinistra infra pectus posita percutit pectus dicens: *miserere nobis*, et tarde removens a pectore dextram, eadem secundo pectus percutit dicens: *miserere nobis*, et tertio percutit dicens: *Dona nobis pacem*.

5. Dicto ter *Agnus Dei*, diaconus statim a dextris celebrantis utroque genu flectit; et sub finem orationis a celebrante dictae: *Domine Jesu, qui dixisti* . . . . et dato a celebrante signo surgit diaconus et manibus ante pectus junctis non vero super altare positis, illud osculatur extra corporale, celebrante illud simul osculante intra corporale et erectus convertit se ad celebrantem, praemissaque eidem capitis inclinatione brachia sua supponit brachiis

celebrantis, gena sua sinistra, genae celebrantis sinistra interim appropinquante, absque tamen contactu physico et celebranti dicenti *Pax tecum*, respondet: *et cum spiritu tuo*, et iterata capitis inclinatione versus celebrantem, et facie dein ad altare conversa, junctis ante pectus manibus uno genu flectit, et a sinistra sua conversus, descendens accedit ad subdiaconum et absque praevia capitis inclinatione volam utriusque manus, utrique humero subdiaconi imponit, et inclinans genam suam sinistram versus genam sinistram subdiaconi, absque attactu physico, voce quasi submissa dicit: *Pax tecum*, et erectus junctis manibus subdiacono exhibet capitis inclinationem, et a dextra sua conversus ad altare ascendit ad sinistram celebrantis, ibidemque uno genu flectit et erectus celebranti assistit.

§. VI.

De officio diaconi a communione ad finem usque Missae.

1. Celebrante finitis orationibus ante communionem genuflectente cum eodem genuflectit diaconus, cumque celebrans, ter dicit: *Domine, non sum dignus*, corpore mediocriter inclinans diaconus absque eorundem verborum prolatione ter pectus percutit cum eodem celebrante; dein corpore profunde inclinat versus altare, donec sumpto corpore domini celebrans se erigat et interim spiritualiter communicat diaconus.

2. Cum celebrante finita meditatione genuflectente genuflectit, et diaconus, ac simul surgit et erectus manet, usque dum celebrans calice crucem format, ubi diaconus denuo corpore profunde inclinat et celebrante calicem dextra versus subdiaconum porrigente se iterum erigit.

3. Si sacra sit distribuenda communio, diaconus aliquali capitis inclinatione subdiacono a dextris celebrantis consistentis dat signum descensus et uno genu flectit et a dextra sua conversus descendit vaditque retro celebrantem transversim ad ejusdem dextram, ubi iterum genuflectit et erectus aperit tabernaculum, et apparente sacra pyxide statim genuflectit, et erectus dextra sacram pyxidem acceptam collocat super corporale, vel si jam ab ante supra corporale fuerit reposita manubrium ejusdem sinistra tenens, operculum de eadem aufert dextra sua et extra corporale versus cornu epistolae collocat, ac praevia unius genuflectione a dextra sua conversus descendit per gradus laterales ad cornu epistolae et a sinistra sua conversus,

utroque genu flectit supra infimum gradum facie conversa ad subdiaconum ex adverso flectente prope cornu evangelii. Dein corpore profunde inclinatus dicit alta voce *Confiteor*, percutiens ritu consueto pectus sub verbis: *mea culpa*. . . . et confessione finita tamdiu inclinatus manet, donec post *Misereatur* et *Indulgentiam* sacerdoti bis responderit *Amen*, et sub verbis *Indulgentiam* . . . . se cruce signaverit.

4. Si diaconus sacram ipsam communionem sumpturus sit, tunc formata cruce sub verbis: *Indulgentiam* . . . . et responso dato: *Amen* surgit, et junctis ante pectus manibus oculisque ad terram demissis a sinistra sua circum altare vadit ad medium, ubi praemissa genuflectione aequali cum subdiacono pariter communicaturo ascendit simul ad suppedaneum duobus genibus flectit a dextris subdiaconi et cum eodem elevatam casulae extremitatem mento suo supponit; atque accepta reverenter s. hostia, surgit cum subdiacono descendit ad planum in medio; et praevia ibidem genuflectione ad eandem genu utriusque flectionem prope cornu epistolae eadem via revertitur; ubi in meditatione accepti beneficii perseverat, sine tamen oratione vocali; donec caeteri tandem omnes sacra sint communione refecti.

* Alibi diaconus sacra refectus communione a dextris celebrantem infra distributionem s. communionis concomitatur.

5. Omnibus demum sacra refectis communione et sacerdote ad aram revertente; ad illud etiam ascendit diaconus et cum eodem ibidem genuflectit; et s. pyxidem operculo coopertam in tabernaculum reponit, quod praevia genuflectione obserat et iterum genuflectit; dein conversus a sua sinistra vadit retro celebrantem transversim ad ejusdem sinistram, ubi denuo genuflectit.

6. Dum celebrans sumit ablutionem digitorum, diaconus utroque manu accipit librum missalem apertum**) cum pulpito vel pulvino; nisi ad utrumque latus pulvinum existat; et dato signo discessus subdiacono, a dextra sua conversus vadit ad medium retro celebrantem, ibidem genuflectit et erectus defert librum ad cornu epistolae, ubi extremitate digitorum dextrae inversae monstrat celebranti antiphonam, quae dicitur: *Communio*, qua monstrata vadit retro celebrantem.

7. Cum celebrans dicta communione ad medium revertitur, cum eodem ad idem vadit diaconus, ibidemque genuflectit et erectus stat

**) Alibi clausum.

retro celebrantem, quocum post: *Dominus vobiscum* iterata genuflectione ad cornu epistolae regreditur et ibidem retro celebrantem se sistit, conformiter more alibi recepto; in Archidioecesi Coloniensi vero a dextris celebrantis assistit, inquirens et monstrans orationes post communionem, uti ab initio Missae. Cumque una vel plurium ultima concludetur, diaconus librum claudit, et ita collocat, ut, qua parte aperitur, medium respiciat, quem tamen relinquit apertum, si distinctum ab evangelio s. Joannis legendum sit evangelium.

8. In feriis quadragesimae a feria IV cinerum usque ad feriam IV majoris hebdommadae in Missa de feria, cantato a celebrante tertia vice: *Oremus,* diaconus a dextra sua ad populum se convertens manibus junctis oculisque ad terram demissis cantat sine capitis inclinatione: *Humiliate capita vestra Deo,* et quidem eo fere tono, quo in evangelio cantantur duo puncta, quo cantato se iterum ad altare vertit et cum subdiacono caput cruci profunde inclinat sub tota oratione.

9. Finita oratione super populum vel finitis orationibus post communionem cum celebrante clauso libro ad medium regreditur et in medio genuflectit, et erectus expectat, donec celebrans cantaverit: *Dominus vobiscum,* quo cantato et responso dato *et cum spiritu sancto,* et post *Ite Missa est: Deo gratias* uno genu flectit, et erectus a dextra sua se convertit ad populum et cantat: *Ite Missa est,* si cantatus in Missa fuerit hymnus angelicus, hoc vero non cantato manens ad altare conversus absque genuflectione cantat: *Benedicamus Domino.*

10. Cantato *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino,* recedit paulisper versus cornu epistolae, expectans adventum subdiaconi, quocum versus cornu evangelii ad suppedaneum utroque genu flectente, diaconus a dextris ejusdem supra idem suppedaneum utroque genu, aequaliter flectit; et sub benedictione sacerdotis sinistra pectori applicata, signat se a fronte ad pectus abque humero sinistro ad dextrum, junctisque iterum manibus surgit; et recedit paululum versus cornu epistolae, ubi celebranti respondet: *et cum spiritu tuo* atque *Gloria tibi Domine!* et signat se ad frontem, ad os et ad pectus; et cum celebrante genuflectente sub verbis: *et verbum caro factum est,* genuflectit versus tabellam et erectus finito evangelio dicit: *Deo gratias.*

11. Celebrante post lectum evangelium ad medium veniente ascendit diaconus ad ejus dextram et eodem cruci caput inclinante diaconus genuflectit et a sinistra sua conversus cum celebrante

aequali descendit passu de altari ad planum; et se ibidem denuo a sinistra sua convertens ad altare flectit uno genu supra infimum gradum; dein erectus acceptum a sacrista celebrantis byretum eidem juncta capitis inclinatione dextra praesentat; deinde et proprio byreto caput cooperit et manibus ante pectus junctis post subdiaconum redit ad sacrarium, ubi ante mensam a dextris celebrantis sinistra sua ante pectus posita caput dextra discooperit, tenensque byretum caput profunde inclinat cruci, et dein pariter capitis inclinatione honorat celebrantem, ac byreto deposito, celebrantem sacris se vestibus exuentem juvat. Deinde vestibus suis sacris eo ordine, quo similibus sese exuerat celebrans et ipse se exuit et actis Jesu eucharistico gratias recedit in pace.

§. VII.

De officio diaconi in Missa solemni coram ss. sacramento patenter exposito.

1. Diaconus consulet §. XXXII. tract. I, ubi, ne eadem repetamus, deprehendet plura, quae hic discrete applicabit.

2. Diaconus omnibus in sacrario peractis, presbyterium vel capellam intrans, ubi sanctissimum sacramentum expositum est, mox depositum byretum more consueto ante pectus gestat, et ad dextram celebrantis coram altari, in quo celebranda erit Missa constitutus, illud sinistra tenens celebrantis byretum accipit dextra et utrumque sacristae tradit.

3. Byretis traditis, ad infimum altaris gradum cum celebrante utroque genu flectit et caput profunde inclinat; dein erectus omnia usque ad sanctissimi sacramenti et altaris incensationem eo praestat modo, quo eadem praestanda didicit §. II. num 3 et 4.

4. Cum celebrante post ascensum ad altare veniente genuflectit, cumque is dicta praecatiuncula: *Oramus te Domine,* impositurus est incensum, eidem thus et cochlear praesentat ritu ordinario, et sub consuetis etiam instrumentorum et dextrae celebrantis osculis, uti cum aliis solide probat. P. Herm. Janssens.

5. Imposito incenso atque benedicto accipit a thuriferario thuribulum removens illud a dalmatica et praemissa genu unius flectione cum celebrante, cum eodem descendit ad primum a suppedaneo gradum et ad illud duobus flectit genibus; ibidemque sub osculis consuetis summitates catenularum et dextrae celebrantis eidem por-

rigit thuribulum et cum eodem ante et post incensationem caput sanctissimo sacramento profunde inclinat.

6. Incensato a celebrante sanctissimo sacramento cum eodem surgit, cumque is ad altare veniens genuflectit, diaconus retro ipsum paulisper a dextris pariter genuflectit, ac caeteroqui durante incensatione ea omnia praestet, quae praestanda docet §. II. num. 5.

7. Finita incensatione et celebrante de altari ad planum descendente ibidemque consistenti facie ad populum versa; eundem diaconus triplici ductu incensat, et mox thuribulum reddit thuriferario, ac ad dextram celebrantis prope cornu epistolae accedens eidem monstrat initium introitus, et reliqua usque ad *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, eo praestat modo, quo similia praestanda sunt a diacono in Missa solemni coram crucifixo celebranda.

8. Quoties interim celebrans ad medium altaris accedens, vel ab eodem recedens, vel etiam in eodem actu existens genuflectit, toties et diaconus genuflectere tenetur, uti tit. II. §. VIII. num. 7. eadem subdiacono tradita regula vult.

9. Cantato a celebrante *Dominus vobiscum* in fine Missae, et dictis *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* respondet diaconus *Deo gratias* et genuflectit; ac erectus a dextra sua sic se vertit ad populum, ut paululum recedat e medio versus cornu evangelii, simulque latus suum sinistrum eidem cornu evangelii correspondeat. Hoc igitur corporis situ assumpto cantat: *Ite Missa est.*

10. Sub verbis evangelii s. Joannis genuflectit paulisper versus sanctissimum sacramentum et ascendens ad dextram celebrantis, denuo genuflectit et cum eodem post descensum duobus flectit genibus ad infimum altaris gradum, juncta profunda capitis inclinatione; dein jungit, tradit byretum celebranti, et dextra extra conspectum sanctissimi sacramenti existens proprio byreto caput cooperit et ad sacrarium revertitur.

§. VIII.

De officio diaconi in Missa solemni pro defunctis.

1. Cum plurima Missae pro defunctis privatae propria sint Missae solemni pariter pro defunctis communia; hinc diaconus praevie ea recolliget, quae de Missa pro defunctis praecipue privata tradidit tract. I. §. XIII. Porro nonnisi ea diaconi munia hic adnotabimus, quae a muniis diaconi in alia quacunque Missa sese distinguunt.

2. Diaconus tradens aliquid celebranti, nunquam in hac pro defunctis Missa osculatur celebrantis manum, neque rem quamcunque aliam, quam eidem celebranti porrigit.

3. Ante gressum e sacrario non imponitur a celebrante incensum, ubi etiam caeteroqui mos hic viget. Nec igitur diaconus ad imponendum invitat celebrantem.

4. Cum celebrans non se ad Introitum signet, pariter non se cruce signat diaconus, sed junctis ante pectus manibus stans a dextris celebrantis, Introitu finito respondet: *Kyrie* et caeteris fungitur muniis, uti in alia Missa solemni usque ad lectum a celebrante evangelium.

5. A celebrante post lectum evangelium ad medium revertente non imponitur incensum; nec ideo ad id imponendum invitat diaconus, sed remanet a dextris celebrantis junctis ante pectus manibus sub cantata a choro prosa usque ad inceptam stropham penultimam; qua incepta subdiacono a sinistris celebrantis stanti, aliquali capitis inclinatione dat signum descensus, et genuflectit, atque ad suppedaneum retro celebrantem utroque genu flectens recitat: *Munda cor meum,* quo recitato surgit, revertitur ad dextram celebrantis et librum ante lectum a celebrante evangelium ibidem depositum accipit et non petita benedictione genuflectit et retro celebrantem vadit ad stationem ibi consuetam, cum chorus cantat: *Pie Jesu,* caput cruci profunde inclinat, dein genuflectit et a dextris subdiaconi accedit ad locum cantandi evangelium.

6. Ad evangelinm nec luminaria tenentur, nec portatur incensum, nec post evangelium cantatum diaconus monstrat subdiacono initium s. textus, nec incensatur celebrans, sed praemissa celebranti capitis inclinatione diaconus vadit ad medium retro celebrantem, ubi genuflectit.

7. Post oblationem panis diaconus non abstergit patenam, nec tradit eam velo involuto subdiacono, sed haec a celebrante quoad medietatem sub corporali reponitur, et aliam dein medietatem diaconus post abstersum purificatorio calicem eodem contegit purificatorio.

8. Sub oblatorum et dein altaris incensatione, exceptis osculis instrumentorum et dextrae celebrantis diaconus ea praestet omnia, quae sub simili incensatione in alia Missa solemni praestare consuevit. Finita vero incensatione *solum celebrantem non alios* incensat; sed mox reddito thuribulo assistit manuum lotioni celebrantis, cui praesentat mantile.

9. Diaconus cum celebrante dicens *Agnus Dei*, pectus non percutit; sed junctis ante pectus manibus ter dicit: *Dona eis requiem* et vice tertia addit *sempiternam*.

10. Diaconus nec pacem accipit a celebrante nec hanc dat subdiacono; sed dicto ter *Agnus Dei* genuflectit, et cum subdiacono locum mutaturus vadit retro celebrantem transversim ad cornu evangelii, ubi iterum genuflectit et erectus stat a sinistris celebrantis.

11. Dicto a celebrante: *Requiescant in pace*, diaconus facie ad altare conversa absque genuflectione cantat semper in plurali numero pariter *Requiescant in pace;* quo cantato non genuflectit utroque genu ad suppedaneum, sed paulisper recedens versus cornu epistolae, ibidem exspectat, donec finiatur evangelium s. Joannis, et ante inchoatum respondet celebranti: *et cum spiritu tuo, et gloria tibi Domine*, genuflectit sub verbis: *et verbum caro factum est*, et evangelio finito ascendit ad dextram celebrantis; quo caput in medio cruci inclinante diaconus genuflectit, quocum descendit et ad infimum gradum celebrante profunde inclinante genuflectit et porrecto celebranti byreto et suo pariter capiti imposito tandem ad sacrarium post subdiaconum revertitur.

TITULUS QUARTUS.

De officio sacerdotis ante et intra Missam solemnem.

---

§. I.

De officio sacerdotis ante Missam solemnem.

1. Cum eadem Missae solemni, quae privatae, quin major praemittenda sit praeparatio, hinc celebrans eorum, quae tractatu I. §. 16 de praeparatione Missae praemittenda adnotantur, memoriam refricabit eademque in praxin deducet.

Vitanda sunt in sacrario inter sacrarum vestium assumptionem vana et inutilia colloquia, quae distrahunt et debitam impediunt devotionem. Item absit a vero sacerdote inter Missam in conversione ad populum oculis per ecclesiam liberrime evagari, — sacerdoti inter Missam vel diaconis divinum officium persolvere illicitum est, extra casum necessitatis, cum sacra actio totam suam occupare debeat mentem. Ita plures canones et liturgicarum rerum scriptores dilucedant.

Advertat etiam celebrans, ut ita modeste se gerat in iis, quae sui sunt muneris, ut a ministris omnia modeste et tempestive fiant ne nimia festinatione peragere debeant, quae eis incumbunt. Vinit. l. c. p. 343, addo quod taedet si celebrans nimium properat et unus post alterum genuflectit, quod ut uno actu et tractu fiat praescriptum est.

2. Praeparatione praemissa lotisque dein manibus ad sacra pergit indumenta, queis se induit adjuvantibus utrimque ministris et nil omittit eorum, quae tract. I. §. 16. jam ante citato e rubrica eidem observanda dictavit.

3. Byretum dextra acceptum mox sinistra tenet, et a diacono ad imponendum incensum invitatus ab eodem cochlear ad manubrium acceptat, et sinistra sua cum byreto ante pectus posita, thus e navicula cochleari accepto ter super prunos ardentes spargit, ac primo quidem in medio vasculi, secundo ad ejus dextram, quae correspondet sinistrae celebrantis et tertio ad sinistram ejusdem vasculi, correspondentem celebrantis dextrae, qui dein reddit cochlear diacono et dextra sua formans signum crucis super incensum dicit: *Ab illo bene ✠ dicaris, in cujus honorem cremaberis, Amen.* Qua thus benedicendi formula celebrans semper utitur, excepta benedictione thuris ante oblatorum incensationem.

4. Celebrans in Missa solemni exacte obsecundabit tit. 16 rubricae generalis num. 3. In Missa solemni, quando dici debent a celebrante *Gloria in excelsis Deo et Credo in unum Deum*, haec verba intonantur et cantantur a celebrante, uti et *Dominus vobiscum, Oremus* ante orationes et offertorium; tota praefatio a verbis: *Per omnia saecula saeculorum* usque ad *Sanctus* inclusive. Item et *Per omnia saecula saeculorum* cum integro subsequenter *Pater noster;* pariter *Per omnia et reliqua*, et dein *Pax Domini sit semper vobiscum;* demum *Dominus vobiscum* cum subsequentibus orationibus post communionem. Alia, quae in Missa privata dicuntur clara voce, de quibus egit tractatus I. §. 14, in Missa solemni a celebrante dicuntur submissa voce; tali quidem quae a ministris percipi possit. Benedictionem vero in fine Missae voce simpliciter clara profert, uti et evangelium ultimum, si tamen eodem durante cantus cesset et organum.

5. De iis tantum ritibus caeremoniisque hic sermo erit, queis solemnis sese a privata distinguit Missa, ideoque tract. I de Missa privata differentes hic conferre oportet.

Sailer sagt: „die Messe hat an liturgischer Würde nicht wohl ihres Gleichen: denn sie stellt dar

Christum,
die Kirche Christi,
Gott und die Menschheit.

Sie stellt Christum dar in seinem ganzen Verhältniß zur Menschheit,

1) als das Opfer für die sündige Menschheit,
2) als das Himmelbrod für die nach Unsterblichkeit schmachtende Menschheit.

Sie stellt die Kirche Christi dar,

1) in ihrem höchsten Werke sich mit Christus Gott opfernd,
2) in ihrer höchsten Seligkeit sich mit Gott durch Christus einigend.

Sie stellt Gott und die Menschheit dar,

1) Gott, die Menschheit mit sich aussöhnend und die Menschen mit sich einigend,
2) die Menschheit in ihrer Huldigung gegen Gott und in ihrer Einigung mit Gott.

— — Schade — — daß (so viele) den Geist der Anstalt nicht zu kennen scheinen oder gar verkennen! Und doch ist der Geist gerade so unzweideutig als der Buchstabe der Lehre entschieden. . . . . Das Missale liegt ja vor aller Welt Augen." — II. Theil, S. 151. *

* Cum circumspectione! me usum esse hoc autore! Intelligite!

§. II.

De officio sacerdotis ab egressu e sacrario ad hymnum usque angelicum.

1. Omnibus tandem praeparatis celebrans exhibet profundam capitis inclinationem cruci, qua exhibita caput byreto tegit; junctisque ante pectus manibus primo salutat diaconum et dein subdiaconum, signum datque egressus.

2. Celebrans ultimus egreditur post diaconum tecto capite, manibus junctis, oculisque in terram demissis. In transitu ea observet omnia, quae observanda notavit tract. I. §. XVII. et hujus tractat. tit. I. §. I. num. 11.

3. Celebrans adveniens coram altare, in quo erit celebranda Missa, byretum dextra depositum tradit diacono, quo una cum byretis ministrorum sacristae porrecto, si celebret coram incluso ss. sacramento flectit uno genu ad infimum altaris gradum, quodsi

coram crucifixo tantum profunde corpus inclinat et erectus incipit confessionem eandemque et reliqua usque ad altaris incensationem perficit ritu Missae etiam privatae proprio, praeterquam quod dicens: *vobis* et *vos fratres*, aliquantulum se vertat ad ministros sacros, et quidem ad diaconum dicens: *vobis* et *vos*, ad subdiaconum vero dicens: *fratres*, quod idem facit postea dicens: *Misereatur vestri.*

4. Post accessum ad altare dicto: *Oramus te Domine*, atque praesentata a diacono navicula porrectoque cochleari, celebrans incensum imponit eo, quod imponendum et benedicendum modo docuit §. I. num. 3.

5. Imposito a se benedictoque incenso, thuribulum clausum a diacono acceptat hoc modo: pollicem sinistrum annulo immittit majori, dextra vero catenulas complectitur omnes ita tamen, ut pro facilitandis ductibus eosdem inter medium et annularem digitos collectos desuper annularem et auricularem digitos dependere faciat, sinistra sua ante pectus posita. Interim dextram cum thuribulo a planeta paulisper removet.

Si incensatur altare memento incensi hoc est orationis Christi pro nobis in utero materno. Thuribulum enim Christum denotat. August. homil. 6. in Apocalypsi.

„Was die fromme Gemeine wider den Priester — in Hinsicht auf die Messe — besonders empöret, ist:

1) Die profane Kleidung und noch mehr die profane Sitte, in welcher der Geistliche in die Kirche zum Messelesen gehet;

2) Das Geistlose eilende, mehr komische als religiöse Heruntersagen (Herunterschnabbern) der Meßgebete;

3) Jener fühlbare (sichtbare) Mangel an Andacht, an Salbung, die sich doch in dem Priester am Altare laut aussprechen sollte.

4) Das Leichtfertige, aller religiösen Haltung widerstreitende Herauseilen aus der Kirche, nach der Messe.“

Das Volk, sagt Sailer, ist ein geborner Physiognom; es liest in dem Aeußeren das Innere weit richtiger als eine halbe Bildung nicht glauben kann. Das sonst unwissende Volk weiß doch so viel, daß da, wo der Weltgeist aus dem Auge herausschaut, der Geist Christi nicht in dem Herzen wohnen kann. Sailer a. a. O. S. 196, 197.

Mementote haec dicere Sailerum sui temporis magnum Psychologiae peritum.

Nolite clerici, vos ipsi in errorem ducere, quum credatis, fideles non intelligere, ea, quae agatis, nescire modum quem sequi debeatis; ego dico vobis, de omnibus scandalis, quae vere ministerio vestro efficitis, Deo ratio a vobis reddenda est, quod nemo, nonnisi timore et tremore perculsus cogitatione complectere potest.

Atque in eo quod populus clerum suum observat, pono optimum omen, nam quia amor religionis invaluit atque nondum extinctus est, postulat digna a digno fieri.

Ponatis potius in his majorem stimulum, cum vocatione vos dignos omni ex parte faciatis, ordini vestro, quam maxime venerationis — sola qua fructum offerre queatis, conciliandae.

6. Incensationi rite perficiendae proderit praemisisse instructionem ceremonialis episcoporum lib. I. cap. 23, §. 8. Ut se in ea celebrans graviter et decore gerat, non personam, aut caput dum thuribulum ducit, reducitque movens, sinistram, quae catenularum summitatem retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit, dextram vero manum et brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit ita, ut cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti mora reducat. Et cum procedit thurificando altare, eundo et redeundo semper illum prius moveat pedem, qui proximior est altari; totque omnino gressus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent. Cavebit etiam celebrans ne ductus duplicet, quos simpliciter simplices vult rubrica.

7. Accepto igitur thuribulo, uti num. 5, si celebret coram incluso sanctissimo sacramento vel coram reliquia sanctissimae crucis patenter exposita antequam incenset crucem praevie genuflectit ita, ut sinistram supra altare deponat, dextram vero cum thuribulo ab altaris pallio, ne eidem noceatur, removeat; et erectus paululum retrocedens incensat crucem, ubi statim, qua incensata iterumque genuflectit, quam genuflectionem iterabit toties, quoties alias coram crucifixo tantum celebrans transit, eidem sub incensatione caput profunde inclinat. Itaque si coram crucifixo tantum celebrat accepto thuribulo paululum retrocedens caput cruci profunde inclinat; dein triplici ductu crucem incensat ita, ut ductus omnes dirigantur ad crucem; nec ad dextram, nec ad sinistram deflectant; et inter ductum primum et secundum, dein inter secundum et tertium morula mediet, quae deinceps semper mediare debet; quoties ductus se mutuo consequuntur. Porro cruci incensatae caput denuo celebrans inclinat, quodsi dein ad altare collocatae fuerint reliquiae sanctorum, vel eorundem sive angelorum imagines sculptae seu statuae, tunc con-

versus ad cornu evangelii, absque capitis inclinatione easdem duplici ductu distincto et ad idem altaris punctum directo, incensat, quanquam plures ibidem exstarent reliquiae. His incensatis caput cruci inclinat et collocatas etiam ad cornu epistolae reliquias, imagines, aut statuas eodem modo incensat. Quodsi ad latus unum, reliquiae, statuae, aut imagines collocatae non forent, nec ductus hi bini ad latus illud dirigendi forent. Reliquiis ad latus epistolae incensatis, celebrans sine ulla nova reverentia et absque mora prosequitur incensationem altaris ita, ut posteriorem partem mensae altaris ad latus epistolae (incipiens prope medium) triplici ductu incenset, ducens thuribulum non sursum sed deorsum prope mensam aequali distantia, prout simili distantia solent collocari candelabra. Hic interim celebrans conformiter caeremoniali episcoporum pedem sinistrum, utpote altari proximiorem primo movet, gressusque tres tribus conformat ductibus. Incensata planitie posteriori perveniens ad cornu epistolae demissa manu thurificat altaris postremam partem lateralem, primo inferiorem et ductu secundo superiorem. Dein conversus ad altare elevans manum incensat planitiem sive partem anteriorem mensae altaris ductu triplici aequali iterum distantia discreto ducens thuribulum in triplicem semi circulum a dextra ad sinistram, pedemque dextrum movet primo et gressum iterum conformat ductibus; perveniens ad medium exhibita cruci capitis inclinatione et procedens posteriorem partem mensae altaris ad latus evangelii triplici ductu simili, quo posteriorem mensae altaris partem ad latus epistolae incensabat, incensat, incipiens prope medium, atque ad cornu evangelii manu pariter demissa thurificat postremam partem lateralem altaris primo inferiorem et ductu secundo superiorem. Tum ibidem elevat thuribulum et ad altare conversus primum movens pedem sinistrum incensat triplici ductu, aequali distantia distincto planitiem sive partem anteriorem mensae altaris, ducens thuribulum in triplicem semicirculum a sinistra ad dextram, et absque ulla in medio reverentia retrogreditur ad cornu evangelii, ubi manu aliquantulum demissa incensat partem anteriorem sive frontem altaris, ducens linea recta thuribulum a cornu evangelii usque ad medium altaris, ad quod perveniens caput cruci inclinat, et simili triplici ductu pergit incensare alteram partem anteriorem sive frontem altaris a medio ad cornu epistolae — ubi finita incensatione reddit manu utraque thuribulum diacono; et stans manibus junctis in fine suppedanei et latere sinistro ad altare converso, solus a diacono triplici

ductu incensatur; cui celebrans nec ante nec post incensationem caput inclinat.

Thuribulo manu tenente adolet super altare (more praescripto vide incensationis ritum in offertorio infra) per quod significatur omnes ecclesiae preces omnesque orationes et supplicationes per eum, ut verum sacerdotem divinitati praesentari et in odorem suavitatis gratias fieri atque exaudiri, ob quod etiam Kyrie eleison chorus novies decantat, singulis videlicet personis in trinitate, trinis vicibus perfecta obsecratione supplicans pro impetranda misericordia, in qua omnis orationis perfectio designata est. Quod enim sacerdos ante altare incensum adolet significat omnes ecclesiae preces per illum Deo exaudibiles fieri, qui stans juxta altare (sicut in Apoc. 8. in angelo praefiguratum legimus) thuribulum aureum in manu tenet, quia in conspectu ecclesiae se demonstrans Dei filius sanctissimum immaculatum et virgineum corpus assumpsit, quod tunc igne completum est, quando spiritus sancti septiformis gratia non ad mensuram super ipsum requievit. Fr. Titelmann l. c. pag. 23.

8. Incensatione finita celebrans conversus ad missale et formans crucem legit Introitum, quo lecto ibidem dicit: *Kyrie*, et quodsi prophetiae legendae sint; cantate diacono: *Flectamus genua*, non genuflectit celebrans; quanquam, si sine ministris cantet vel legat, cantato vel dicto: *Oremus* uno genu flectat. Cantante igitur diacono: *Flectamus genua*, celebrans manus jungit, et cantato a subdiacono: *Levate*, extensis manibus prosequitur orationem.

§. III.

De officio sacerdotis ab hymno angelico ad offertorium usque.

1. Finitis prophetiis vel his non lectis, dum chorus ultimum *Kyrie* incipit, accedit ad medium et in incessu servat regulas supra traditas. Veniens ad medium cruci caput inclinat et cantato ultimo *Kyrie*, junctis ante pectus manibus incipit cantare: *Gloria*, extendens elevansque manus ad latitudinem et altitudinem humerorum, cumque cantat *Deo*, manus extensas et elevatas iterum jungens, caput cruci inclinat, quin tamen oculos sive praevie, sive concomitanter elevet; dein capite post inclinationem iterum erecto, junctisque manibus cum ministris utrimque juxta se consistentibus hymnum voce, quasi submissa prosequitur observans ea, quae et in Missa privata observanda novit. Si hymno dicto sedere velit, reflectit ad ea, quae tradita fuere tit. II. §. IV. num. 2 et 3.

In Missa sub gloria sedere licet, ut majori deinde reverentia assurgamus ad evangelium (Rupert. lib. 2. cap. 32.) Anima quoque ad doctrinam sedendo fit sapientior, qui vero non attendunt ad ea, quae leguntur, venialiter saltem peccant. (Suarez lib. IV de horis canonicis cap. 12—20.) In reliqua Missa stare celebrantem oportet, *secus incurrit irregularitatem*, per hoc excitantur operarii Christi et invitantur ad opus — Amalari lib. 2. cap. 5. — Stare autem solemnitatem significat sicut genuflectere, ut diximus maerorem et luctum. — Gav.

Quod etiam voce nondum exercitata plerumque sub quadam vocis teneritudine modestius et submissius.

Si non sedeat celebrans junctis ante pectus manibus devota meditabitur mente hymnum a choro cantatum, inclinans caput ubi inclinandum est. Choro tandem cantare incipiente *Jesu Christe*, inclinat profunde caput, manusque utrimque super altare deponit, ut hoc signo excitati praevia genuflectione descendant ministri.

2. Cantato hymno angelico, vel si non cantetur, cantato ultimo *Kyrie*, celebrans manus utrimque ad altare deponit, illudque osculatur in medio et erectus in medio iterum jungit manus, et absque capitis inclinatione demissis ad terram oculis vertit se in medio a dextra sua ad populum cantatque *Dominus vobiscum*, interim extendens linea recta manus et mox easdem jungens et revertitur ad cornu epistolae cantatque orationem sive orationes ritu consueto. Quibus cantatis legit epistolam et reliqua, uti in Missa privata; et interim legitime impeditus non tenetur inclinare, siquid in cantata a subdiacono epistola occurrat inclinationem exigens.

Canitur hujus cantici principium non incongrue nobis primam illam in praesepi jacentis Christi incarnati suavissimam vocem idest, puerilem vagitum significare potest. Quam statim ubi mundus agnovit in gaudium admirabile erumpens, pro gratiarum actione clamare non desinit, quemadmodum de pastoribus pro omnium exemplo legimus (Lucae 2.) Hic enim pueri Jesu vagitus tametsi pueri jacentis absumptam testaretur infirmitatem atque miseriam, nobis tamen plus ille attulit vagitus veri ac solidi gaudii et canticum multo jucundius, quam ullus unquam potuit visus. Fr. Titelmann l. c. p. 24—25.

Salutatione praemissa per quam attenti fiant auditores, ad repraesentandum Domini nostri orationes dicuntur, cujus tota vita continua pro nobis et perpetua oratio fuit, quae et designatur in Apocalypsi per fumum aromatum, ascendentem de manu angeli ante conspectum Dei. Apoc. 8. — Idem loco citato p. 25.

Caveat celebrans ne sit cum ministris in via de sedilibus

ad altare dum in choro cantatur *Jesu Christe*, sed vel anticipent viam, vel exspectent caput sub his verbis cooperientes in scdilibus. Dum sedent si elevetur sanctissimum sacramentum vel ante eos aut deferatur, nudo capite flexisque genibus adorent non vero quando sunt in via. Vinit. p. 347.

3. Si epistola et reliquis a se lectis subdiaconus epistolam cantans proferat nomen: *Jesus*, celebrans cruci profunde caput inclinat; si vero nomen *Mariae*, vel alterius sancti sanctaeve, cujus Missa vel specialis celebratur commemoratio, inclinatione vel media, vel minima exhibebit versus librum. Si epistola caeterisque a se lectis subdiaconus in Missa sanctissimae crucis vel dominica palmarum cantet: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum*, celebrans cum diacono accedit ad medium, ubi caput cruci profunde inclinat genu flectente interim diacono, dein descendit ad primum a suppedaneo gradum et ad illud cum diacono utroque genuflectit versuque finito surgit; ascendit ad medium, caput cruci inclinat, genuflectente interim diacono et ad cornu epistolae revertitur. Eandem exhibet caeremoniam cum utroque ministro, si in Missis de feria secunda, quarta, sexta, quadragesimae a choro cantetur versus: *Adjuva nos* item in Missis de spiritu sancto ad versum *Veni sancte spiritus*.

4. Epistola reliquisque lectis celebrans ad cornu epistolae remanet, junctis ante pectus manibus expectans adventum subdiaconi, quo adveniente et genuflexo, sinistra pectori applicata dextram suam supra librum, quem is tenet, ponit, quam osculatur subdiaconus; et dein dextra sua format signum crucis super subdiaconum nil interim dicens.

5. Benedictione subdiacono data et sublato ab hoc pulpito cum missali, celebrans accedit ad medium, ubi dictis ritu consueto: *Munda cor meum* et *Jube Domine benedicere!* pergit ad cornu evangelii et ibidem lecto voce media evangelio, hujus initium non osculatur redit ad medium ibique cruci exhibet profundam capitis inclinationem.

6. Diacono praesentante naviculam et cochlear offerente celebrans, uti supra imponit benedicitque incensum; quo imposito vel etiam si non imponatur diacono ad sibi benedicendum invitanti his verbis: *Jube Domne benedicere!* celebrans praemissa cruci capitis inclinatione se a dextra sua vertit ad diaconum utroque genu supra suppedaneum flectentem; et stans manibus junctis paululum extra medium versus cornu evangelii, benedicit eidem his verbis: *Dominus sit*.... dein sinistra pectori applicata format dextra signum crucis super

diaconum dicens: *In nomine patris et filii,* sub linea prima *et spiritus sancti, Amen,* sub linea transversa.

Mittit sacerdos diaconum ad legendum s. evangelium petitam dandō benedictionem, quod subdiacono prius epistolam lecturo non fecerat. Legem enim et prophetas invisibilis invisibiliter misit; Apostolos autem et Evangelistas, quorum diaconus personam gerit, visibilis factus, et sanctam ecclesiam sponsam videlicet suam, osculans osculo oris sui visibiliter misit et docuit. — Rupert. lib. 1. cap. 36. l. c.

NB. In Archidioecesi Coloniensi respondet diaconus: *Amen;* dein imponit celebrans dextram libro evangeliorum, quam osculatur diaconus et celebrans iterum ad altare se convertit caput cruci inclinans, manetque ibidem manibus junctis, donec chorus cantet ultimum Alleluja, aut finem gradualis vel tractus sive sequentiae.

7. Cantante choro ultimum *Alleluja* aut finem unius praedictorum, praemissa cruci capitis inclinatione celebrans accedit ad cornu epistolae, ubi facie ad altare conversa expectat, donec diaconus cantet: *Dominus vobiscum.* Tunc enim a sinistra sua se oblique vertens versus evangelii librum stat junctis manibus oculisque ad terram demissis cumque diaconus cantat: *Sequentia* vel *Initium s. evangelii* celebrans se ad frontem, ad os et ad pectus parva cruce signat sine omni ad altare conversione. Quodsi nominetur *Jesus,* caput non corpus profunde inclinat versus crucem; sed si proferatur nomen *Mariae,* vel alterius sancti sanctaeve, cujus vel Missa vel specialis celebratur commemoratio, mediam vel minimam inclinationem exhibet versus librum evangeliorum, si genuflectendum sit, celebrans conversus ad altare manibus ad illud utrimque depositis, uno genu flectit et iterum erectus repetit priorem stationem ad finem usque evangelii. Cujus a subdiacono sibi praesentati initium osculatur librum utraque manu amplectens et interim submissa voce dicens: *Per evangelica dicta.* Dein ductu triplici a diacono incensatus vel incensatione non missa a diacono capitis inclinatione salutatus absque ulla praevia resalutatione revertitur ad medium.

Osculum infigitur libro evangelii antiquissimo ritu ecclesiae, ut constat ex Dionisio, can. apostolico. octava synodo generali, Nicaena, Epiphanio, Aurelianensi, Ruperto, Hugone, concilio Coloniensi, etc. ad denotandum affectum nostrum erga Christum in quem veneratio refertur, per ipsum enim accepimus reconciliationem et pacem et ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, ut ait Apostolus ad Ephes.

Celebrans lecto a se evangelio non osculatur librum neque dicit: *Per evangelica dicta,* hoc facit et dicit dum subdiaconus

evangelium praesentat. Vinit. p. 353. — Gavantus. Incensatur triplici ductu sacerdos a diacono, ad gratiarum actionem nomine totius populi, boni nuncii id est evangelii, quod ipse sacerdos annuntiare jussit populo. Durandus.

8. Celebrans ad medium rediens junctis manibus, si cantandum sit *Credo,* absque distincta capitis inclinatione intonat *Credo,* mox elevans et extendens manus, dumque cantat *in unum,* manus demittit jungitque ante pectus, cantans tandem *Deum* caput profunde cruci inclinat, et erecto iterum capite symbolum cum ministris utrimque consistentibus prosequitur voce quasi submissa inclinans, genuflectens, se signans in fine prout haec omnia in Missa etiam privata praestanda sunt. Absoluto symbolo stat junctis ante pectus manibus devota mente recolens cantatum a choro symbolum, cumque is canere incipit: *Qui propter nos homines,* praemissa capitis inclinatione profunda conversus a dextra sua descendit ad primum a suppedaneo gradum et super illum flectit utroque genu flectentibus similiter utrimque ministris, et sub versu *et incarnatus est* usque ad *homo factus est* inclusive caput simul profunde inclinat. Dein surgit et ad medium altaris revertitur et cruci caput profunde inclinat. Choro tandem incipiente: *et vitam,* absque crucis signo manibus utrimque super altare depositis dat ministris signum discessus.

9. Si celebrans ad sessionem sub symbolo a choro cantato sese determinet ea observabit omnia, quae titulus II. §. IV. num. *2, 3* et 14 a celebrante observanda tradidit.

§. IV.

De officio sacerdotis ab offertorio ad consecrationem usque.

1. Symbolo absoluto, vel si non cantetur symbolum post osculum sacri textus celebrans ad medium rediens deponit utrimque manus super altare, quod osculatur et erectus junctis ante pectus manibus a dextra sua convertit se ad populum, et extensis aequaliter ac junctis iterum manibus cantat: *Dominus vobiscum,* atque ad altare denuo conversus rursum extendit jungitque manus cantans: *Oremus,* et simul caput cruci profunde inclinat; tunc legit voce quasi submissa antiphonam: *Offertorium,* et accepta a diacono patena cum pane, hunc ritu consueto offert. Post oblationem vero patenam non partialiter subtus, sed extra corporale deponit, si eam tenebit subdiaconus. Pane oblato invitatus celebrans a subdiacono ad benedicendam aquam sinistra sua super altare deposita format dextra

signum crucis super aquam dicens: *Deus, qui humanae substantiae....* quam orationem cruce formata prosequitur finitque junctis manibus. Acceptum dein a diacono calicem offert pariter ritu consueto, cumque diaconus eundem palla tegit, celebrans tenet dextra calicis pedem, interim deposita super altare sinistra; dein dicit: *In spiritu* et reliqua et *Veni sanctificator.*

In Missa solemni diaconus infundit vinum in calicem, subdiaconus vino aquam, quia diaconus repraesentat praedicatores evangelii, per quos disseminatur virtus sanguinis Christi in corda fidelium, et id circo munus erat etiam diaconi distribuere sanguinem Christi communicantibus. Subdiaconus significat Joannem Baptistam, qui baptizabat in aqua solum, non in spiritu sancto et populos significatos per aquam mittebat ad Christum, ut cum illo unirentur. Durand. l. c.

2. Dicto: *Veni sanctificator!* invitatus a diacono celebrans ad imponendum incensum, sinistra ante pectus posita trina vice thus super prunas spargit, ab initio Missae; sub vice prima dicens: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli;* sub secunda: *stantis ad dextram altaris incensi,* et sub tertia: *et omnium sanctorum suorum;* dein reddit cochlear diacono et hoc invitante: *Benedicite, pater reverende,* celebrans junctis ante pectus manibus prosequitur: *incensum istud dignetur Dominus,* et iterum sinistram pectori applicat, formatque dextra signum crucis super incensum dicens: *benedicere,* demum junctis denuo manibus absolvit: *et in odorem suavitatis accipere, p. C. D. n. Amen.*

3. Incenso benedicto et accepto a diacono thuribulo incensat oblata. Itaque sinistram, quae summitatem catenularum tenet applicat corpori et dextra, qua omnes complectitur catenulas prope vasculum, eodem vasculo tria format crucis signa super calicem et hostiam simul aequali semper linea. Primam igitur crucem formaturus lineam rectam inchoat ab extremitate pallae posteriori, protrahitque ultra hostiam dicens: *Incensum;* dein formans lineam transversam ab extremitate ejusdem pallae versus cornu evangelii usque ad extremitatem ejusdem versus cornu epistolae interim dicit: *Iste;* formans porro secundam lineam rectam primae simillimam dicit: *a te,* et sub transversa secunda dicit: *benedictum;* sub tertia tandem linea recta dicit: *ascendat,* et sub transversa: *ad te, Domine;* formatis hisce tribus crucibus super calicem et hostiam celebrans demittit dextram et quasi tangens pede thuribuli mensam altaris, ducens thuribulum circa oblata, primum inchoat circulum a parte hostiae anteriori, circuiens hostiam et calicem a sua dextra versus sinistram,

desinens ibi ubi circulum inchoaverat; et sub primo hoc circulo dicit: *et descendat super nos;* dein interposita morula secundum similem primo circulum format, interim dicens: *Misericordia,* tandem tertium, formans circulum a sinistra sua ad dextram eundem ibi inchoat, ubi circulus secundus desiit, eundemque prosequitur usque ad punctum illud ubi secundus incepit circulus et interim dicit: *tua.*

Leo papa statuit incensum super oblata poni. Durand. lib. 4. cap. 31.

Incensum vero ideo offertur, ut in coelum, quo fumum elevari conspicimus mentis nostrae intentionem dirigamus, simul ut cogitationes et orationes nostras ante conspectum Dei ascendere et in odorem suavitatis gratias efficere et ab eo benigne exaudiri flagitemus. Michael Sidoniens espisc. lib. expl. myst. Missae cap. 2.

Sacerdos thus in thuribulum ponit, quia Christus orationes inspirat, ut per ipsum offeratur incensum in odorem suavitatis. Durandus.

4. Post oblatorum incensationem pergit celebrans ad incensationem crucis et altaris, quam eodem, quo illam ante introitum modo perficit, cui tamen accedit oratio: *Dirigatur, Domine oratio* . . . . ex rubricae praescripto durante hac incensatione recitanda; cujus vero distributio sub singulis thuribuli ductibus in variis variat dioecesibus.

In *Archidioecesi Coloniensi* crucem uti et sanctissimum sacramentum patenter expositum simul et reliquias silens incensat, orationem vero praedictam voce, quasi submissa recitare incipit sub incensatione posterioris partis mensae altaris ad latus epistolae et sub ductu.

Primo dicit: *dirigatur Domine,* sub
secundo: Oratio mea,
tertio: sicut incensum.

Pro incensatione posterioris partis lateralis dicit:

1) *in conspectu*
2) *tuo.*

Pro anterioris partis mensae altaris:

1) *elevatio*
2) *manuum*
3) *mearum.*

Pro posterioris partis mensae altaris ad latus evangelii:

1) *sacrificium vespertinum*
2) *pone Domine*
3) *custodiam ori meo.*

Pro postremae partis lateralis ibidem:

1) *et ostium*
2) *circumstantiae*

Pro anterioris partis mensae altaris:

1) *Labiis*
2) *meis*
3) *ut non*

Pro partis anterioris sive frontis altaris:

1) *declinet*
2) *cor meum*
3) *in verba malitiae*

et pro ejusdem frontis ad latus epistolae:

1) *ad excusandas*
2) *excusationes*
3) *in peccatis.*

Dum celebrans thurificationem facit, advertat, ut se in ea graviter et cum decore gerat, non personam — *totum corpus* — aut caput dum thuribulum ducit, reducitque movens, sinistram quae summitatem retinet catenularum, firmam stabilemque teneat; dextram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo versus personam aut rem thurificandam moveat, ita ut cum thuribulum ad se retrahit illud sub brachio leviter et competenti, mora reducat, et dum procedit thurificando altare eundo et redeundo semper illum pedem prius moveat, qui proximior est altari, totque omnino faciat passus, quot thuribuli ductus, ut manus pedesque in motu decenter concordent. Vinitoris l. c. p. 346.

P. Herm. Janssens rubricae conformius ejusdem orationis verba sub ipsa modo crucis incensatione probat esse distribuenda distribuitque hoc modo, si non incensantur reliquiae pro crucis incensatione sub ductu primo dicit celebrans:

1) *dirigatur Domine oratio mea*
2) *sicut incensum,*
3) *in conspectu tuo.*

Quodsi reliquiae incensentur sub ductu:

1) *Dirigatur*
2) *Domine*
3) *oratio mea.*

Pro incensatione reliquiarum ad latus evangelii:

1) *sicut*
2) *incensum.*

Item ad latus epistolae;

1) *in conspectu*
2) *tuo.*

Pro anterioris partis mensae altaris ad latus epistolae:

1) *elevatio*
2) *manuum*
3) *mearum.*

Pro postremae partis lateralis:

1) *sacrificium*
2) *vespertinum.*

Pro anterioris partis mensae altaris:

1) *pone Domine*
2) *custodiam*
3) *ori meo.*

Pro posterioris partis mensae altaris ad cornu evangelii:

1) *et ostium*
2) *circum-*
3) *stantiae.*

Pro postremae partis lateralis ibidem:

1) *Labiis*
2) *meis.*

Pro anterioris partis mensae altaris:

1) *ut non*
2) *declinet*
3) *eor meum.*

Pro anterioris partis sive frontis altaris:

1) *in verba*
2) *malitiae*
3) *ad excusandas.*

Pro ejusdem frontis ad latus epistolae:

1) *excusati-*
2) *ones in*
3) *peccatis.* —

Tandem reddens diacono thuribulum dicit voce submissa: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae caritatis, Amen.*

Finita incensatione altaris stans celebrans latere sinistro ad altare converso in fine suppedanei incensatur triplici ductu a diacono, ibidemque manus lavat integras et conversus ad altare continuat psalmum: *Lavabo* et reliqua, uti in Missa privata ad praefationem usque, quam cantat incipiens a verbis: *Per omnia saecula saeculorum.*

§. V.

De officio sacerdotis a consecratione ad finem usque Missae.

1. A consecratione usque ad orationes ante communionem sequentes tantum Missam solemnem inter et privatam differentiae sese offerunt: 1) Cantat celebrans orationem dominicam incipiens a verbis: *Per omnia saecula saeculorum.* 2) Pariter duo puncta: *Per omnia saecula saeculorum*, et: *Pax Domini sit semper vobiscum.* 3) Quoties a ministris de calice vel tollitur vel eidem reimponitur palla toties, sinistra super corporale deposita pedem calicis dextra tenet.

In consecratione observandum ne proferantur verba tam alte, ut a circumstantibus audiantur neque ad quodvis verbum moveat caput vel hostiam afflere assuescat.

Valde porro indecens est, si audet saltem post consecrationem sumere tabacum, quod nil aliter fieri potest, quam disjungendo pollicem et indicem atque est contra reverentiam, cum particulae minimae strophialo adhaerere et ideo dehonorari possint.

Oremus praeceptis tribus vicibus oravit Dominus positis genibus, ut et nos a peccatis praeteritis veniam, a presentibus malis tutelam, a futuris malis cautelam deprecaremur, ut demonstraret tria esse petenda in oratione, peccatorum remissionem, virtutum conservationem; gloriae adeptionem. Seu veniam gratiam et gloriam. Bucchingeri Tyrocinium p. 130. Sic legimus quater plorasse Christum, (exemplum nobis dans, ut et similiter faciamus Joann. 13.) In nativitate sua, sapient. 7 primam vocem similem omnibus emisit plorans.

Item super Lazarum Joann. 11. super civitatem Luc. 19. et Hebr. 5. super crucem, cum clamore valido et lacrimis exauditus est. Et nos propter quatuor plorare debemus. Pro miseriis, in quibus sumus. Pro culpis quas commisimus. Pro incolatae miseriae. Et pro dilectione patriae. Bucchingerus Tyrocinium p. 202. —

2. Dicta prima oratione ante communionem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti* et reliqua, celebrans deposita utraque manu utrimque super corporale osculatur altare in medio; dein erectus convertit se ad diaconum et palmam utriusque manus retractis tamen digitis pollice et indice deponit super humerum utrumque diaconi, gena sua sinistra appropinquante genae sinistrae diaconi sine tamen contactu physico dicitque voce quasi submissa: *Pax tecum*, quo dicto manibus iterum junctis et super corporale depositis duas alias prosequitur orationes.

Ritus ille *osculi pacis* ab Apostolis et ecclesia primitiva derivatur, ut docet Merati tit. 1, p. II, tom. III, num. 10, quo fideles in una sacramentorum participatione coadunati, mutuis osculis, mutuam caritatem, animorumque in eadem religione consensum contestabantur.

3. Si intra Missam sit distribuenda communio, ea observat omnia, quae tract. I. §. XXIX in responsione ad quaestionem primam pro populi communione intra Missam tradita fuere. Quae interim tunc simul sint diaconi munia, exposuit tit. III. §. 6. num. 3 et 5.

4. Sumta digitorum oblatione purificatorium, quo paulisper calicem tergit, eidem super imponit; et dicta ad cornu epistolae antiphona, quae dicitur *Communio,* in medio ad populum conversus cantat: *Dominus vobiscum,* et revertens ad cornu epistolae, ibidem cantat orationem vel orationes *post Communionem*.

5. Cantatis orationibus post Communionem redit ad medium et denuo ad populum conversus cantat: *Dominus vobiscum,* et eodem situ dicit voce quasi submissa: *Ite Missa est,* si dicendum sit; caeteroqui cantato *Dominus vobiscum,* ad altare iterum conversus dicit: *Benedicamus Domino,* diacono cantante *Ite Missa est,* non prius ad altare se convertit celebrans, quam finierit diaconus.

Cantato a diacono *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino,* celebrans et diaconus *simul* — non vero unus post alterum — se vertunt per latus epistolae ad altare, ipseque celebrans dicit *placeat,* cantato prius a choro *Deo gratias* et non secus. Vinitoris. Gavantus l. c. — Q. numne hoc observetur?

6. Finito evangelio ultimo ad medium revertitur et exhibita cruci capitis inclinatione profunda cum ministris descendit ad planum; ibidemque in medio coram sanctissimo sacramento incluso uno genu flectit. Ast coram crucifixo tantum profundam exhibet capitis inclinationem; et byreto capiti imposito incipiens canticum: *Benedicite,* ad sacrarium eo, quo venerat ordine revertitur; ubi deposito byreto cruci caput profunde inclinat, et dein salutat diaconum et subdiaconum, quibus adjuvantibus sacris sese exuit vestibus et lotis manibus canticum: *Benedicite* cum precibus subjunctis absolvit, queis et alias pro devotione sua subjungit, uti monuit tractat. I, §. XXXI in responsione ad quaestionem secundam.

§. VI.

De officio sacerdotis in Missa solemni coram ss. sacramento patenter exposito.

1. De ritibus et ceremoniis specialibus in Missa privata coram sanctissimo sacramento observandis disseruit tract. I. §. XXXII, cumque iisdem prope omnibus utatur et Missa solemnis, de hoc tantum propriis porro disserimus.

Quamvis moveamur ex antiquorum traditione et caerem. episcop. ut abstineamus a Missa coram exposito celebranda, ... tamen aliquando potest contingere et urgere necessitas vel etiam consuetudo in plerisque locis a longo tempore servata. Tunc omnes genuflectiones et actus reverentiales diligentissime observandi.

Minime probatur illa consuetudo, quae invaluit (etiam si fideles Missam volunt cum expositione, ut pastores consentiant) Mos, vel rectius iste abusus adversatur caeremoniali episc. aliisque ritualibus libris et statutis synodalibus quam plurimis. Et certe attendendum ne ob nimiam exponendi ipsius ss. sacramenti frequentiam cultus ei debitus et honor minuatur.... Ideoque prohibenda hujus modi expositio esset, quae fit absque ordinariorum dioecesanorum speciali ad id licentia.

Concilium provinciale Coloniense sub S. R. E. Cardinale Legato a latere Nicolao Cusano (Mosellano) habitum, statuit cujus verba lubet hic adscribere „Ad majorem, „„*inquiens*““ honorem ss. sacramenti statuimus, quod deinceps ipsud ss. sacramentum, nullatenus visibiliter in quibuscunque monstrantiis ponatur aut deferatur, nisi in ss. festo corporis Christi cum sua octava et extra hujusmodi festum cum sua octava semel in anno, in qualibet civitate aut oppido seu parochia, vel ex singulari indulto ordinarii aut alias pro pace vel alia necessitate imminente, ex indispositione rempublicam praegravante: et tunc cum magna reverentia atque devotione, in praemissis tamen laudabilibus consuetudinibus, hujus metropolitanae et cathedralium ecclesiarum suffraganeorum ejusdem semper salutis“, p. 251. §. item. ad etc. —

In dicto altari, quo tempore expositum est hoc ter maximum sacramentum crux ordinaria in medio altaris posita, adesse non debet sed ad epistolae latus poni debet. Gavantus. — Caeremon. episcopor. l. c.

2. Celebrans ingrediens presbyterium sive capellam, ubi expositum est sanctissimum sacramentum, mox byretum deponit eo, quem tit. II. §. VIII. num. 2 tradidit modo, illudque ante pectus gestat. Adveniens coram altari, in quo sanctissimum sacramentum patenter

expositum est, biretum porrigit diacono; quo uno cum biretis ministrorum sacristae tradito flectit utroque genu celebrans ad infimum altaris gradum in medio, et dein caput profunde inclinat sanctissimo sacramento. Tum surgit et formato crucis signo Missam inchoat et ritu in aliis etiam Missis solemnibus consueto prosequitur omnia usque ad altaris incensationem.

3. Ante incensationem proderit in memoriam revocare regulas a caeremoniali episcoporum traditas lib. I. cap. 23. §. 18. Si sanctissimum sacramentum super altare expositum sit semper . . . . . a celebrante genuflexo thurificandum est triplici ductu. Quodsi ipsum solum sacramentum sit thurificandum; nunquam debet thus benedici, sed simpliciter (sacerdote stante) poni in thuribulum et porrigi sine osculatione manus . . . ., et §. 19, sed si thurificandum est altare super quo positum sit sanctissimum sacramentum apertum, tunc et benedicitur thus.

Leo I papa dicitur autor incensationis oblatorum in memoriam (ex Rudolpho prop. 23.)

Triplici ductu. Ita Innoc. III, quo designari dicitur triplex unctio Mariae, item ut thuris et crucis virtute malignus hostis effugiat. (Durand. cap. 14) lib. 2. cap. 57.

Melchior Huelanus (de caeremoniis Missae) sexies incensari oblata, quia ante sex dies Paschae Jesus ivit in Bethaniam, bis circum calicem, et semel converso circulo; quia rediit Jerusalem ad ramos palmorum et de Jerusalem in Bethaniam. Quae licet minutiora sint, non tamen contemnenda. —

Hoc etiam dicendum est de omnibus mysticis significationibus, quas multi parvi aestimant, derident aut spernunt attamen illae fructu quodam non carent.

4. Celebrans facta confessione ad altare veniens uno genu flectit, quam genuflectionem toties iterat, quoties intra Missam accedit ad medium altaris, quo de eodem recedit et quoties transit idem medium. Dicto igitur: *Oramus te Domine,* erectus accedit paulisper de medio ad cornu evangelii absque genuflectione praevia et a diacono invitatus imponit incensum ritu consueto; quo imposito, depositis utrimque manibus super altare in medio genuflectit, et a dextra sua paululum ad cornu evangelii conversus junctis manibus descendit ad primum a suppedaneo gradum, supra quod in medio flectit utroque genu, et accepto ibidem a diacono thuribulo caput sanctissimo sacramento profunde inclinat; et triplici ductu morula interposita discreto, incensat sanctissimum sacramentum; et iterum caput profunde inclinat, dein surgens accedit ad medium altaris, ubi genuflectit

et incensationem more consueto continuat, genuflectens, quoties transit coram sanctissimo sacramento. Incensatione perfecta reddit ad cornu epistolae diacono thuribulum, manibusque junctis ibidem descendit ad planum; et a sinistra sua convertens faciem ad populum a diacono incensatur ductu triplici, et iterum ascendit ad cornu epistolae introitum inchoaturus.

5. *Nec sub hymno angelico et symbolo, nec unquam alibi sedere potest celebrans.* Caeremoniale episcoporum lib. I. c. 12. §. 8.

6. Post incensationem oblatorum, celebrans incensat sanctissimum sacramentum, incensationem prosequitur, uti ante introitum. Tandem a diacono incensatus celebrans in plano facie ad populum conversa eodem situ manente manus lavat integras extergitque; ac dein ad cornu epistolae revertitur.

7. A lotione manuum ad *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* praeter genuflectiones in medio, de quibus supra, nil occurrit speciale. Itaque celebrans dicto: *Ite Missa est,* paulisper extra medium versus cornu evangelii manibus junctis expectat, donec diaconus pariter cantaverit: *Ite Missa est.* Quo cantato vertit se ad altare genuflectit et dicto: *Placeat* .... erectus oculisque ad sanctissimum sacramentum elevatis dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus;* quo dicto sine capitis inclinatione genuflectit et ad populum extra medium conversus eidem benedicit, dein non perficiens circulum, nec ad medium rediens, nec genuflectens statim facie et dein dextra ad altare conversa pergit ad cornu evangelii; quo dicto revertitur ad medium; ubi genuflectit et absque capitis inclinatione vertit se extra medium; descendit et ad altare conversus ad infimum gradum utroque genu flectit, caputque profunde inclinat; dein surgit et acceptum a diacono byretum ante pectus utraque gestat manu, quo tandem extra conspectum sanctissimi sacramenti caput tegit et ad sacrarium revertitur.

8. Si ostensorio sit danda benedictio, tunc nondum ante Missam exposito sanctissimo sacramento coram altari advenientes celebrans et subdiaconus utroque statim genu flectunt ad infimum gradum et sic genu flexi manent. Diaconus uno tantum genu flectit, surgit iterum; ascendit altare, in cujus medio iterat genuflectionem, et erectus reserat aperitque tabernaculum, quo aperto mox coram ss. sacramento genuflectit; dein a sinistra sua paulisper ad cornu epistolae conversus descendit ad planum et a dextris celebrantis pariter genuflectit, et praemissa a celebrante a diacono et subdiacono aequali profunda capitis inclinatione surgunt omnes, et diaconus situ

consueto praesentat celebranti thus et cochlear absque osculis tamen instrumentorum et manus. Celebrans pro more ter supra prunas thus spargit; sed non benedicit incensum. Quo igitur imposito, iterum utroque genu flectunt omnes, et accepto a diacono thuribulo celebrans cum ministris caput profunde inclinat et dein ductu triplici, morula interposita distincto, incensat sanctissimum sacramentum; et iterum cum ministris caput inclinat; redditque thuribulum diacono, qui illud tradit thuriferario et surgit, ascendit; atque ad altaris medium veniens uno genu flectit; erectus accipit dextra manubrium ostensorii ad nodum; sinistra pectori apposita, qua dein pedem ejusdem ostensorii tenet, et a sinistra sua se vertit paulisper ad latus epistolae ita, ut dextra sua eidem lateri correspondeat, et ostensorium tenet ita, ut si hostia sit versus superiorem pectoris sui partem; diacono sic ostensorium tenente surgit celebrans, ascendit ad medium altaris et facie ad ostensorium conversa junctis ante pectus manibus uno genu flectit, quo surgente diaconus partem ostensorii posteriorem ad celebrantem convertit et infra nodum dextra ostensorii manubrium et sinistra pedem ejus tenens; illud offert celebranti; quo oblato (ita celebrante accepto) diaconus uno genu flectit et descendit ad infimum altaris gradum; ibidemque in suo loco genuflectit utroque genu. Celebrans interim in medio ad populum cum ostensorio conversus intonat hymnum consuetum et pro danda benedictione ea observet omnia, quae tract. I. §. XV. in responsione ad Q. III tradidit. — Data a celebrante benedictione surgit diaconus ascendit ad altare prope medium versus cornu epistolae, ubi genuflectit facie ad ostensorium conversa, tum interim celebrans ostensorium versus idem cornu epistolae convertit ita, ut sinistra sua correspondeat altari, qui praemissa a diacono genuflectione eidem ostensorium reddit parte ostensorii posteriore ad diaconum conversi. Dein genuflectit manibus junctis celebrans et descendit ad priorem genu utriusque in medio flectionem. Diaconus interim ostensorium in tabernaculum reponit, genuflectit, et descendit ad dextram celebrantis, ubi utroque genu flectit et tradito iterum celebranti thuribulo cum eodem et subdiacono caput profunde inclinat et celebrans triplici ductu sanctissimum incensat sacramentum, quo incensato reddit thuribulum diacono, caput cum ministris denuo inclinat, reddit thuribulum diacono, surgit cum ministris et Missam inchoat. Eaedem obtinent caeremoniae si finita Missa danda sit benedictio. Quodsi tunc sanctissimum sacramentum sit in tabernaculo occludendum; diaconus peracta incensatione surgit, ascendit ad medium genuflectit, surgit, claudit obseratque taberna-

culum, genuflectit et erectus descendit interimque surgit celebrans cum subdiacono, quibuscum ante discessum uno genu flectit diaconus.

Peracto sacrosancto Missae sacrificio non minori cura, quam ad antecedentem Missae praeparationem requirebatur, quisque in omni silentio ac quiete, actionum, locutionum sensuum ac cogitationum sese contineat per quartam, minimum aut octavam saltem horae partem devote secum meditetur, et intenta cogitatione perpendat, quid egerit; et qua fide, qua devotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit. (Octav. frangip. episc. Tricar. in direct. disc. eccl. colon. tit. de div. off. num. 85.) — Sacerdos peracto sacrificio omne imperfectum suum, omnem animi sui languorem, caecitatem, vincula, ac colligationes vanitatis, malas ac incolitas consuetudines peccandique pericula et necessitates, sibi ante oculos suos ponat et cor suum omneque desiderium coram Deo effundat; ejusque adjutricem gratiam suppliciter imploret; et virtute ac fervore illius cibi, quo refectus et animatus est, tota voluntate animique contentione vel unum saltem defectum, in proximi sacrificii diem expugnandum extirpandumque suscipit. (Ibidem.) Utque quotidie de virtute in virtutem progrediatur ac proficiat; quotidie ex vita ac passione Domini nostri Jesu Christi certam alicujus virtutis actionem omnibus animi viribus imitandam atque excercendam capiat. Nam quod sacerdotes multi quotidie aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant, et multi vani, omnique solida pietate vacui existant, non aliam arbitramur esse causam, quam quod sine ullo timore ac devotione tam sanctum opus aggrediuntur, et perfunctorie atque ex quadam consuetudine, aut necessitate magis, quam ex sincera et viva pietate perficiant et mox una cum sacris vestibus NB. omnem rei peractae cogitationem deponant, omnemque internam et externam pietatis formam exuant moxque ad negotia et colloquia imo et fabulas et ad vana otiosaquc effundantur. Quod sane non fecerunt si meditationi sanctae debito modo aliquamdiu intenti fuissent et illustriorem in se quotidie custodiae exterioris et interioris hominis debere esse disciplinam sentirent. (Idem l. c.) S. Chrysostomus ait, nos ab hac mensa recedere tanquam leones ignem spirantes, terribiles Diabolo effectos. Hom. 61 ad pop. et 45 in Joann. V. conc. trid. sess. 13. c. 2.

§. VII.

De officio sacerdotis in Missa solemni pro defunctis.

1. De omittendis in privata pro defunctis Missa ritibus et caeremoniis egit tract. I. §. XIII. in responsione ad Q. XII. De ritibus

igitur et caeremoniis, quae insuper in Missa solemni pro defunctis Missa omitti debent, agendum restat.

2. Nec ante egressum e sacrario, nec ante Introitum imponit incensum celebrans.

3. Cantata a subdiacono epistola, huic nec manum osculandum porrigit, nec benedicit.

4. Ante cantandum a diacono evangelium neque incensum imponit celebrans, neque benedicit diacono.

5. Evangelii cantati initium nec osculatur neque dicit: *Per evangelica dicta*. . . . .

6. Pane oblato partem patenae, utpote quam non tenet subdiaconus corporali tegit, sicut in Missa privata.

7. Oblata crucifixum et altare incensat celebrans more consueto; qua tamen incensatione finita, ipse solus incensatur a diacono.

8. Ante communionem non dicit orationem primam: *Domine Jesu Christe* . . . . nec dat pacem diacono.

Denique si post Missam sit facienda absolutio; quoad hanc sacerdos cum ministris se conformat rituali Dioecesano.

> Hoc loco notari licet usum quemdam, qui ex longo tempore inter clerum invaluit,: signa externae moestitiae v. g. nigri coloris velamina circum circa pileum et brachium ad ostentationem luctus ob defunctum patrem aut matrem aut alios portaudi. Sacerdos est soli Deo, haereditatem, matrem, patrem derelinquit, ipsi soli adhaerere promisit, ideo omnis istius generis luctus signa illi non licent. Vide desuper mandata varia ecclesiastica hanc ostentationem prohibentia.

TITULUS QUINTUS.

De officio presbyteri assistentis ante et intra Missam solemnem.

---

§. I.

De officio presbyteri assistentis generatim.

1. Quanquam caeremoniale episcoporum lib. I. cap. I. assistentiam presbyteri solis statuat convenire praelatis. S. tamen R. C. declaravit eandem assistentiam consuetudine ita ferente canonicis, aliisque non praelatis indulgeri posse. Castaldo prox. caeremon. lib. I. sect. VII. cap. XII de officio presbyteri assistentis in Missa solemni.

2. Cum presbyterium assistentem muniis diaconi saepissime fungi oporteat, hinc eadem exacte noscet.

3. Quoties contingit celebrantem haesitare vel etiam errare, eundem clanculo et quantum fieri potest nemine advertente commonebit.

4. Quoad genuflectiones, inclinationes et crucesignationes praeveniet celebrantem ita, ut easdem inchoet nondum inchoante celebrante.

5. Actiones tamen soli celebranti congruas exhibebit minime, unde cum eodem corpus non inclinabit profunde; neque etiam mediocriter, nisi sub versibus post confessionem: *Deus tu conversus....* pariter sub *Sanctus; Agnus Dei* et *Domine, non sum dignus.* Neque cum celebrante oculos elevabit, neque osculabitur altare, neque ante *Dominus vobiscum* vel *Orate fratres* se vertit ad populum, nec huic benedicit.

6. Quoties celebrans genuflectit, toties et presbyter assistens, etiam constitutus extra altare genuflectit.

§. II.

De officio presbyteri assistentis ante Missam et ab egressu e sacrario ad usque offertorium.

1. Presbyter assistens oratione praevia praeparatus, mature se ad sacrarium confert, Missam inquirit in missali, quo utetur celebrans et hanc aeque ac collectas atque praefationem signaculis distinguit et missale signaculis sic discretum, ceroferario tradit ad cornu epistolae supra pulpitum deponendum apertum.

2. Lotisque dein manibus induit sese superpelliceo cum stola; ac post assumptam a celebrante casulam pluviali ejusdem, cujus celebrantis vestes sunt, coloris.

3. His indutus s. vestibus consistit a dextris celebrantis, diacono interim et subdiacono a sinistris ejusdem celebrantis consistentibus.

4. Dato egressus signo et exhibita capitis discooperti profunda inclinatione, salutato etiam celebrante, egreditur byreto capiti imposito, manibus junctis ad dextram diaconi, qui conformiter caeremoniali episcoporum cum subdiacono post adventum coram altari pergit ad celebrantis sinistram, tum interim assistens ad dextram ejusdem celebrantis consistens et accepto ab eodem byreto eoque una cum

suo sacristae tradito, ea praestet omnia usque ad ascensum ad altare, quae caeteroqui diaconum ibidem praestare oportet.

5. Quodsi presbyter assistens sine pluviali, solo indutus superpelliceo cum stola assistat; egreditur e sacrario post celebrantem; et retro post eundem post adventum coram altari vel genu utroque genu flectit vel stabit pro more recepto durante confessione, et diaconus erit a dextris celebrantis.

6. Finita confessione ascendit cum celebrante ad altare, ubi in cornu epistolae adveniens genuflectit; dein si incensabitur altare per gradus laterales ad cornu epistolae descendit in planum, (sumpto libro missali cum pulpito) ibidemque facie ad altare conversa expectat incensationis finem, interim constanter genuflectens et inclinans cum celebrante. Diaconus vero praevia genuflectione a sinistra celebrantis vadit ad ejusdem dextram, ubi repetit genuflectionem.

7. Incensatione finita vel hac Missa mox pergit ad cornu epistolae, ubi in primo a suppedaneo gradu (a sinistris diaconi) extremitate digitorum junctorum manus dextrae inversae celebranti monstrat initium introitus diacono interim et subdiacono more consueto pariter ibidem consistentibus.

8. Celebrante ad medium accedente, intonaturo: *Gloria,* presbyter assistens ad extremitatem suppedanei prope cornu epistolae ascendit, ita ut inter se et celebrantem diacono spatium relinquat sufficiens. Si hymno dicto celebrans signum det ad sessionem praevia genuflectione descendit et iterata cum ministris ad infimum gradum genuflectione ad sedilia pergit sedetque a dextris diaconi. Sub finem hymni surgit cum ministris accedit ad medium a dextris diaconi, ubi retro celebrantem genuflectit et ad cornu epistolae revertitur, ubi indigitat celebranti collectas et epistolam; qua ab eodem lecta respondet: *Deo gratias,* genu flectit descenditque ad planum et transiens medium iterum genuflectit pergitque ad cornu evangelii.

9. Missali a subdiacono ad cornu evangelii deposito ascendit ad primum ibidem a suppedaneo gradum ac monstrat celebranti initium evangelii, eidem respondet, cum eodem se signat, inclinat, genuflectit, siquid horum praestat celebrans. Subdiaconus interim stat manibus junctis a sinistris presbyteri assistentis.

10. Dicto a celebrante evangelio respondet presbyter assistens: *Laus tibi, Christe!* aptatque pulpitum cum missali versus medium; ac praevia genuflectione descendit ad planum prope cornu evangelii facie ad altare conversa junctisque manibus. Tum interim diaconus cantat: *Dominus vobiscum,* faciem ad diaconum convertens signat

se sub verbis: sequentia vel initium et prolato nomine *Jesu*, versus crucem caput profunde inclinat, ast pronuntiato nomine *Mariae* vel alterius sancti sanctaeve, cujus Missa vel specialis celebratur commemoratio mediam vel minimam exhibet capitis inclinationem versus evangeliorum librum. Et si genuflectendum sit, genuflectit versus altaris medium.

11. Incensato post evangelium cantatum celebrante, ad hujus ascendit sinistram, eidem in ordine Missae praevia genuflectione monstraturus: *Credo* si dicendum sit, moxque recedens ad extremitatem suppedanei prope cornu evangelii, spatium cedens subdiacono se inter et celebrantem. Dein cum hoc et ministris symbolum sub debitis genuflectionibus, inclinationibus et crucis signatione prosequitur ac absolvit.

12. Si det ad sessionem signum celebrans, presbyter assistens descensurus in altari praevie genuflectit; quam genuflectionem retro celebrantem in plano iterat, et a dextris diaconi uti sub hymno angelico sedet, quem et ante deferendam et post delatam ad altare bursam revertentem, surgens capite discooperto salutat. Quodsi in tribus Missis Nativitatis Domini, in festo annuntiationis B. Mariae V. atque in Missa aurea celebrans cum ministris ad infimum altaris gradum duobus flectat genibus sub versiculo: *Et incarnatus est*, presbyter assistens pariter utroque genu flectit in plano retro celebrantem et dein eo, quo venerat, ordine ad sedile revertitur.

§. III.

De officio presbyteri assistentis ab offertorio ad finem usque Missae.

1. Sub finem symboli ad dextram diaconi vadit ad medium ibidemque uno genu flectit in medio retro in plano celebrantem et per latus cornu evangelii ad ejus sinistram ascendit, ubi iterat genuflectionem et cantato a celebrante: *Oremus*, eidem monstrat antiphonam: *Offertorium;* qua monstrata, si incensentur oblata, descendit praevia genuflectione ad planum sumpto Missali cum pulvino prope cornu evangelii, ubi junctis ante pectus manibus ac facie ad altare conversa expectat incensationis finem, genuflectens interim constanter et inclinans cum celebrante durante incensatione.

2. Post dictum a celebrante psalmum *Lavabo* ad medium veniente celebrante presbyter assistens ad sinistram ejusdem ascendit,

ibidemque praevia genuflectione eidem monstrat secretas. Si interim diaconus a choro incensato revertatur ante ascensum presbyteri assistentis hunc praevia genuflectione in medio, extra illud paulisper recedens versus cornu evangelii diaconus assistentem in plano ibidem adhuc stantem ductu duplici incensat, sub reciproca salutatione ante et post incensationem. Quodsi post reditum diaconi a choro incensato presbyter assistens modo celebranti a sinistris assistat, hunc is praevia genuflectione a dextra sua conversus ad diaconum, ab hoc, praemissa genuflectione in medio extra illudpaulisper versus cornu epistolae recedente incensatur et diaconus iterata genuflectione incensat dein subdiaconum pro more.

3. Presbyter assistens a diacono incensatus, ad altare se iterum convertens genuflectit et pergit assistere celebranti cumque hic dicit: *Sanctus* cedens locum subdiacono, praecedit ad extremitatem suppedanei prope cornu Evangelii, ubi cum celebrante mediocriter inclinans voce quasi submissa dicit: Sanctus et in fine se cruce signat.

4. Recedente subdiacono revertitur ad sinistram celebrantis et inquirit, monstratque canonem. Cum is pervenerit ad illa verba: *qui pridie* . . . . flectit utroque genu et sub elevatione utriusque speciei adorat sanctissimum sacramentum profunda capitis inclinatione ac reposito post elevationem calice supra corporale, cum celebrante post genuflectionem surgentem surgit presbyter assistens.

5. Celebrante dicente: *pax domini,* presbyter assistens cedit locum sub diacono et recedit ad extremitatem suppedanei prope cornu evangelii, dicitque capite profunde inclinato cum celebrante ter Agnus Dei, simulque pectus percutit, dein conformi cum Ministris genuflectione praemissa illisque retro celebrantem ad lineam recedentibus presbyter assistens accedit ad celebrantis dextram ubi utroque genuflectit; post dictam orationem primam datumque ab eodem signum, surgit, et junctis ante pectus manibus osculatur altare extra corporale, celebrante illud intra corporale osculante; et accepta pro more pace ab eodem genuflectit; et accedens diaconum eidem pariter dat pacem; qui illum dat subdiacono, cumque diaconus ad sinistram et subdiaconus ad dextram celebrantis accedunt, presbyter assistens, praemissa genuflectione ad infimum altaris gradum, comitante ceroferario vadit ad chorum utrumque, daturus pro more recepto pacem. Qua data ad medium revertitur coram altari et praevia ibidem genuflectione paululum progrediens versus cornu epistolae sinistra sua ad altare conversa ceroferario comiti suo pacem dat qui illam vicissim dat alteri ceroferario et is thuriferario et hic tandem naviculario.

Si tamen hae pacis ceremoniae usu receptae sint; illas non recepit Archidioecesis Coloniensis.

6. Presbyter assistens superpellicoeo et stola indutus pacem non recipit a celebrante, sed diaconus; ideoque dato signo: agnus dei prope cornu evangelii remanet cedens locum diacono se inter et celebrantem et revertente subdiacono post datam choro pacem descendit praevia genuflectione ad planum prope cornu evangelii, ubi a subdiacono pacem accipit, et redit ad priorem praevia genuflectione stationem in suppedaneo prope cornu evangelii.

7. Si pluviali indutus pacem, quibus danda erat, dederit, ad sinistram celebrantis revertitur, ubi genuflectit et erectus, cedens locum diacono recedit ad extremitatem suppedanei prope cornu evangelii et celebrante dicente: *Domine, non sum dignus*, mediocriter inclinat pectusque percutit; sub sumtione vero utriusque speciei corpus profunde inclinat et si dein sacra distribuatur communio; descendit ad planum prope cornu evangelii; ubi stat facie ad celebrantem conversa sacram distribuentem communionem; quem tamen in primitiis vel alias etiam in dignitate constitutum a sinistris comitatur sustinens dextra sua patenam sub mento communicantium sinistra interim pectori apposita.

8. Sumta a celebrante digitorum ablutione presbyter assistens praevia genuflectione quam iterat medium transiens accedit ad cornu epistolae, ubi in Missali a diacono allata monstrat celebranti antiphonam: quae dicitur *Communio*, et dein orationes post communionem, quibus a celebrante cantatis librum claudit nisi evangelium ab illo s. Joannis distinctum legendum foret. Clauso igitur Missali vel aperto relicto accedit ad cornu evangelii, praevia in medio genuflectione et prope cornu evangelii ad gradum ultimum utroque genuflectens accipit benedictionem celebrantis; qua accepta surgit et a sinistris celebrantis eidem respondet, cum eodem se signat, *inclinat* et *genuflectit* surgit et libro, si adsit, clauso transit praevia genuflectione in medio ad dextram celebrantis, diacono interim et subdiacono ad ejusdem sinistram accedentibus praeviaque cum ministris genuflectione descendit cum celebrante ad planum; et iterata ibidem ad gradum ultimum genuflectione, acceptum a sacrista byretum celebranti porrigit; ac suo pariter capiti imposito eo, quo venerat ordine ad sacrarium regreditur, ubi caput discooperit crucique profunde inclinat; celebrantem pariter capitis inclinatione salutat minori et depositis sacris vestibus, actisque Jesu eucharistico gratiis in pace Domini recedit.

Ex Decreto S. R. C. in Mantuana 19 july 1604. vetitum est sacerdotibus minoris ordinis assistere in pluviali, tantum debet assistens indutus esse superpelliceo et stolâ coloris Missae convenientis, abusus ergo quarundam Ecclesiarum tollendus, ne amplius in quoque festo assumant assistentem cum pluviali. *M. D. M.*

A. M. D. G.

Compendium practicum vitae Sacerdotalis.

(Juxta Merlo Horstium.)

Cum omnis christiani institutum, maxime autem sacerdotum eo potissimum spectare debeat, ut divino beneplacito, justitiae christianae, et assumptae pro Dei cultu et salute animarum vocationis gravissimae obligationi et conditioni satisfiat, ne in tremendi judicis districtam sententiam incurratur, haud quaquam abs re erit brevi compendio generales et communes quasdam regulas considerare, quarum inviolabili observantia et sollicita consideratione, quaevis graviora peccata et eorum pericula divitentur, injuncto penitus satisfiat officio et proximo omnis honestatis et conversationis sanctae praebeatur exemplum.

Primo igitur et ante omnia studeat sacerdos cujuscunque tandem conditionis et gradus sit, ut sibi elegat confessarium prudentem timentem Deum et habentem justitiae christianae zelum, et observantiae honestatis, cum quo tam in quam extra confessionem de statu suo et obligatione non raro conferat, quemque tanquam asylum omnium suorum afflictionum, dubiorum et adversitatum habeat in terris, eique ad minus quarta decima aut saltem menstrua exomologesi libere et confidenter conscientiae suae secreta pandat et cum eo tam in prosperis quam adversis cum summa confidentia agat.

Contendat omni possibili conatu, ut preces suas horarias non persolvat discurrendo per domum aut attendendo rei domesticae (utprodolor multi assueverunt) sed enitatur, si non in Ecclesia coram augustissimo Eucharistiae sacramento, saltem in suo hypocausto constituere sibi locum separatum, precum persolutioni commodum solitarium et devotum, sacris imaginibus ornatum, ibique clauso ostio, oret patrem caelestem, et Deum suum in abscondito, ut ab eo ipso non distet cordis intentio, ad quem sit verborum prolatio; etenim:

Ante Deum stantes non sitis corde vagantes
Si cor non orat, in vanum lingua laborat.

Nam inter praecipua sacerdotis munia est Laus Dei, nulli igitur alteri usui locus iste deputetur, quam orationi et meditationi. Perpendendo, quo sit positus in lucem populorum et Exemplar omnis

honestatis et sanctitatis caveat sacerdos summe, ne cohabitet communiter et ordinarie in eodem hypocausto cum suis domesticis, servis aut ancillis; sed eligat sibi locum congruum et aptum, ad quem una cum suis libris et officina sacra commigret, ibique corde quieto et tranquillo audiat quid loquatur in se Dominus per lectionem sacram, nihilque majoris damni aestimet, quam temporis jacturam, de quo strictissimam reddet rationem; frequenter sibi in hoc musaeo et sacro ergastulo occinat illud: *Surgite Mortui, venite ad judicium;* et si positus est in curam salutis animarum, quotidie recordetur, sibi illud aliquando dictum iri: *Redde rationem villicationis tuae;* nam de quavis anima separatim novisse debet sibi illud dictum esse: *custodi virum istum, qui si ceciderit, anima tua erit pro anima illius:* hac namque ratione facile se dabit Lectioni sacrorum liberorum et studio tam pro sua quam aliorum salute laborandi.

Cubile suum ita disponat, ut nemo prorsus virorum aut mulierum in eo simul cubiculo dormiat, etsi consanguinei forent, et nequaquam permittat, ut omnis generis suppellex eo ponatur aut rei familiaris officinae in suo cubiculo constituatur (pro ut multi suspicionibus furti aut perditionis vel indiscreto ditescendi zelo agitari solent) ne hac occasione sui domestici, utriusque sexus promiscue ansam sumant intrandi vel exeundi pro utensilibus quoties libet: sed recordetur sacerdotalis honestatis verecundiae et timoris Domini, magisque eligat sibi cohabitatores sanctos angelos et beatorum turmas, quam incautorum et inverecundorum hominum societates; ut dum secundum spiritus sancti instinctum, voluerit ibidem Deo vacare, aut secrete commissa deplangere, non sit, qui auscultet, ne vanae gloriae cupido subrepat, neve cum a rugiente leone infernali ad tentamenta illecebrarum incursatur, objecta praesentia cordis pruritum provocent, sed assumendae tunc mortificationes et castigationes cordis eo liberius exerceantur, quo minus ab aliis percipiuntur: Quin imo consultissimum foret, pro strato uti Materagza (ut vulgo vocant) et pro coopertorio tegumentis laneis, quod non solum sanitati proficuum erit, sed et insuper non egebit famulabus quae lectum sternant, et sua curiosa inspectione cuncta perlustrent; magisque decorum erit, e lectis sacerdotum cernere pendula et sanguine tincta flagella et cilicia, quam vanos imagines et picturas studeatque potius cum Davide lacrimis stratum suum sternere, quam mollitie plumorum et curiosa linteaminum superfluorum distensione aut ostentatione,

Ut autem rei domesticae fructuosius suam sacerdos valeat impendere sollicitudinem, elaborabit totius diei exactam servare divisionem, ut tempus orationi, tempus lectioni, tempus comestioni, tempus honestae relaxationi corporis, congruum tribuatur.

(Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora.)

Quare irradiante aurora impiger lecto exsurget, et quadrantis circiter oratione praemissa sacerdotali habitu cinctus et lotus prospiciet circum circa, an cuncti sui domestici suis officiis vacent, et quisque suo operi sit accinctus, quod spatio quadrantis, aut dimidiae horae facile fieri potest. Tum se recipiet ad orationem suasque devote recitabit horas et ad minus per quartam horae partem meditationi passionis Dominicae ac Exercitio devotionis insistet, et hac praevia dispositione s. Missae sacrificium peraget, prout aut obligatio aut devotio requiret: actis vero finita Missa devotissimis gratiis immediate se conferet ad studia ut concepto spiritu, per Divinissimum mysterium Missae aptior sit ad secreta coelestia perscrutanda, suamque et suorum animas Deo servandas, ac in viam salutis perpetuae dirigendas: et hoc studii tempus non nisi quadrante circiter ante comestionem finiet.

Prandium sumet, si sit solus in loco, presbyter nemine convivante ordinarie, nisi Dulcissimo *Jesu, Maria* et *Josepho* et Ss. Angelis tutelaribus, si cum aliis cohabitet sacerdotibus, cum suis collegis, honestate semper servata; et si quem contigerit honoratum admittere convivam, recordetur se positum esse in salutem gentium et facem populorum, ut omnibus suo praebeat exemplo quae mala vitanda, quae capessenda sint bona, continuo illius memor Davidici Threni: *Potum meum cum fletu miscebam et panem cum cinere manducabam.* Licebit nihilominus cum consolatione et benedictione Dei secundum statum suum iis uti cibis, qui pro suarum virium conservatione deservient. Dummodo temperantiae et sobrietatis caute meminerit. Finito prandio honestam assumet relaxationem corporis, aut deambulationem, pro temporis varietate et sua commoditate, modestia tamen et gravitate cum domesticis suis semper servata, quos magis studeat conservare et incitare ad bonum, exemplo quam verbo; caveat (abhorreat) a colloquiis ancillarum et foeminarum nefas ducendo (ut revera est) sacratis manibus, earum sordidas vestes, aut alia polluta ne dicam nudas carnes, et similia, palpitare tangere et demulcere. — Peracta horaria recreatione poterit paululum somnum carpere aut paululum cogitare diei vesperum et finem successivis momentis appropperare, residuum divini debiti sibi solvendum et cu-

randum, ut et vespertinum tempus sua non careat sacra lectione ac studio.

Finito completorio coenam sumet, memor se in crastinum ad illam splendidissimam vocatum coenam, in qua panis proponitur Angelorum, ne igitur corpus crapula gravetur et ebrietate, cavebit: post coenam siquid honestiori tribui potest conversationi, tribuatur, aut vero, quod in crastinum peragendum, disponatur.

Tum demum quid inter domesticos illa die actum sit, perquirendum, et curandum ut et familia Dei sui memor, aliquantulum temporis divinis tribuat Laudibus et orationi; quare aliquid e libello spirituali prolegatur, et Litaniae Lauretanae, vel de omnibus sanctis recitentur, poteritque eis uno aut altero exhortatorio verbo praeire et admonere, ut nequaquam cubitum se recipiant nisi prius exacta consicentiae et gestorum discussione praemissa, incertum asserens, aut in subsequentem sint supervicturi diem.

Tandem recitetur cum devotione Matutinum subsequentis diei, nisi illud secundum beneplacitum malit aut ante coenam aut insequentem diem transferre: facta tandem discussione conscientiae cum brevi meditatiuncula sopori se dedat, memor sibi paulatim postremum approximare diem, dubiumque esse an in lucem alterum sit victurus: sicque novissimorum suorum memor praecavebit pericula et occasiones peccandi, paratusque erit, tam de nocte, quam de die suae et suorum saluti industrium se praebere pastorem. In Ecclesia vero suae curae commissa summis contendet viribus, ut exacta servetur munditics et summa puritas in omnibus utensilibus sacro usui deputatis; mutentur et mundentur quot annis ad minus quater Linteamina et mappae altarium: purificatoria vero calicum, corporalia et alia vela quae ad angelicum Missae sacrificium spectant, sint mundissima, nitidissima et decenti loco semper servata, frequenter mutentur, purificentur et mundentur; similiter et hostiae in decenti (aerugine carente) pyxide asserventur, tam majores quam minores, nec relinquantur communiter sub cura et manibus aeditui (saepe Moriti) ne eas incaute suis pollutis attentare praesumat manibus, ut pro dolor! plurimum fit. Et uno verbo frequenter faciat comparationem sacerdos, inter se et Christum Dominum, quoties sibi mutet colloria, quoties indusia, et strophiola? quam suo corpori habeat curam? et sic rubore suffusus, compelletur majori cum diligentia et sollicitudine virgineo et sacratissimo corpori Christi studiosam quoque curam adhibere. — Dixi et salvavi animam.

Monitiones Cleri ex Concilio Provinciali mediolanensi quarto.

Primo fratres et Filii in Christo carissimi, memores perpetuo estote vocationis, qua vos dignatus est Dominus noster.

Qua assidua recordatione memoriaque excitati eam vos virtutem induite, ut videant alii quasi lumen aliquod vestram sanctitatem elucere: quae si magna in aliis vitae Christianae institutis requiritur; certe in vobis, qui Misteriorum Dei ministri Divinaeque gratiae dispensatores estis major inesse debet.

Et sicut Sacro Ordine a reliquis hominibus sejuncti estis, ita a communi fidelium vitae usu sejuncti, praecipuum quoddam atque hoc praestantius vivendi genus sequimini, quo ordine et dignitate praecellitis.

Caelestem in terris vitam tanquam Angeli Dei, moribus vestris exprimere usque adeo studete, ut a vobis Divinarum virtutum exempla ad ceteros emanent. Una animi confessione unoque spiritu in iis elaborate, ut Divino cultui et coelestium rerum meditationibus, et orationi, et sacrarum Ecclesiasticarumque litterarum studiis vacetis, tum depositis saecularibus vanisque sollicitudinibus ab omni vitio alieni, in via Domini recte ambuletis.

Charitatem imprimis, quae seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectimini.

Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, temperantiam, officiaque Christianae pietatis reliqua colite.

Quaecumque denique sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta ac religiosa, ea cogitate, eaque agite.

Virtutes sanctorum Patrum, quas praecipuas et quasi hereditarias nobis in admirationem reliquerunt, non adumbrare solum, sed omnino exprimere certatim contendite.

Utque illi, sic vos abstinentiae et jejuniis dediti, Clericalis disciplinae ac vitae castissimae studiosi, tum patriae coelestis sitientes Deo servite assiduis Divinarum laudium officiis, et in Ecclesia, quasi in perpetua vestra Sacerdotali Clericalique statione, continenter versamini.

Quaecumque demum de muneris vestri partibus, de vitae modo,

vel Pontificum Sanctionibus, vel Oecumenicis Conciliis, vel Provincialibus Dioecesanisque Synodis, vel alia ratione praescripta sunt, ea vos servate ac praestate diligenter. Omnes qui Canonicarum Horarum Officiis devincti estis, statutas eas Preces horarias recitate ad praescriptam Calendarii anniversarii rationem ac ritum. Nec vero negligenter, sed attente, pie, devote supplicique mente illas dicite.

Studiose propterea legite quae praesertim a Beato Antonino Archiepiscopo conscripta sunt de negligentia in persolvendis Horis Canonicis, ut qua eo nomine errata sunt omnino caveatis. Expletis Canonicarum Horarum Officiis, si quid in illis aut negligentia aut alia culpa commiseritis, paululum colligentes vos veniam a Deo petite.

2. Qui Sacerdotes estis, Missae Sacrificium saepius facite sancte ac Religiose: ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti Mysterii meditatione toto animo defixi, et quo purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato frequentique examine discutite, tum singulis saltem, hebdomadis, atque adeo saepius, et omnino semper, cum peccati mortalis conscii estis, uni e Confessariis Sacerdotibus, ad Cleri confessiones, audiendas constitutis, confiteamini.

In ea sanctissimi Sacrificii actione ab erroribus, vel levissimis omnino cavete. Quae in illo pie riteque celebrando praescripta sunt, ea vos studiose, diligenterque servate.

3. Diaconi, Subdiaconi, Clerici inferiorum Ordinum quicumque estis, quae de confitendis saepe peccatis, de Communione frequenter sumenda vobis jussa sunt, integre et sancte omnia, ut debetis praestate. Confessarios Sacerdotes per nos vobis constitutos, quos etiam tanquam vitae Vestrae duces, ac magistros elegimus, adite.

Ecclesiasticae militiae omnes vos adscripti estis ad pietatis religionisque exercitationes vos vocatos esse cognoscite.

In omni in primis sancta oratione vos assidue exercete, tum in meditationis tacitaeque piae orationis studio singulis diebus certo temporis spatio toto castissimi animi sensu incumbite.

Haec sanctis; Praecibus praeter caetera supplices, praesertim afflictis rei Christianae temporibus, orate Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis, ut misereatur populi sui.

Ut fidelium animos ad vitia fugienda virtutesque amplectendas S. Spiritu sui ardore inflammet.

Ut e Principum Regumque animis evellantur, si quae sunt, discordiae semina.

Ut ii unanimi consensu Christi Regnum propagare studeant, unamque Dei gloriam, atque Ecclesiae matris defensionem propositam

habeant. Quidquid vero temporis a Divinis Officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab Ecclesiasticis functionibus, et ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis; non in otio, neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite; sed cum in sortem Domini vocati sitis, in ejus lege die ac nocte meditemini. Sacrarum igitur Litterarum studia deligentius colite, quae usque adeo complecti debetis, ut qui aspernetur, contra eum dicat Dominus Osae: 4. „Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.“

Frequenter ad statutas lectiones et ad literarum tractationes vobis praescriptas convenite. Attento animo in iis adeste, atque in dies ad uberiorem sacrorum studiorum fructum progressionem aliquam habete, ut ad Episcopatum aliquando vocati, et diligentiae et doctrinae testimonium detis.

Si qui estis qui, vel tarditate ingenii, vel ingravescente aetate magnum in literis progressum habere non potestis, ne desistite tamen primum oratione frequenti intelligentiam vobis necessariam a Deo petere, tum eo diligentius ad pietatis modestiaeque studium ac sanctorum morum disciplinam incumbite; tum saepius Sacerdotes peritiores consulite, et Clericales Sacerdotesque exercitationes convenite, et libentius et frequentius.

Concionibus etiam atque lectionibus sacris, quae in Ecclesia constitutis diebus habentur, cum omnes quicumque estis, tum maxime quibus potissimum conciliaribus Decretis jussum est, quo docet habitu frequentissimi adeste.

Lectione librorum spiritualium et Clericalium, qui probati sint, animos mentesque vestras pascite.

Quatuor praesertim locos ex Cathechismi Romani doctrina, de 12 Fidei articulis, de 7 Sacramentis, de 10 Praeceptis, de Oratione Dominica in promptu, atque explicate habere omni studio contendite. Cum iis et praeceptorum Ecclesiae cognitionem et Preces horarias recitandi peritiam, et Ecclesiasticorum rituum ceremoniarumque notitiam conjungite.

Pauculos libros, quorum necessarius delectus vobis Decretis vel Provincialibus vel Dioecesanis praescriptus est, habere ne omittite aut negligite.

Qui pro facultatibus proque studiorum ratione plures habere possunt, eorum optamus et laudamus in iis comparandis diligentiam.

At libros de rebus jocosis, ridiculis, obscoenis, inanibus, ad

poesisque profanae studium pertinentibus, vulgari, aut Latino sermone conscriptos, procul abjicite.

Nec vero musicas cantiones ridicule, voluptuose, parumque pudice exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex sacris Bibliis legite, ac si per Ecclesiasticas occupationes licet qui apti estis, aliquid item ex SS. Patrum Opusculis, Gregorii Magni Pontificis, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Bernardi, et aliorum, qui sanctitatis, et doctrinae laude in Ecclesia celebrantur. In iis ad legendum sanctissimum Patrem Ambrosium Episcopum vobis potissimum proponite.

Illius praecipue librum de Sacerdotali dignitate legite, quo libro Ecclesiasticos homines commonuit de perfectae vitae institutione.

Libros item Officiorum, quos ubi primum Episcopus factus est, Cleri Mediolanensis potissimum causa edidit, in manibus assidue habete.

Hos atque alios praeterea libros de Sacerdotalis Clericalisque vitae rationibus et Officiis, de animarum cura, de Christianae pietatis studiis et exercitationibus, deque aliis ejusdem generis pie confectos ita legite, ut quaecumque ad vitae sanctae normam accommodata ex illis animadvertistis, ac didicistis, moribus exprimatis.

Conciliorum item provincialium et Dioecesanorum Constitutiones et Decreta non percurrite solum; sed usque adeo studiose legite, ut quae legeritis, post etiam taciti vobiscum aliquando mente repetetis; ac videatis simul non solum, si quidquam est quod contra illorum praescriptum egeritis, verum si quid etiam illud est, quod ex iisdem exequi praestarive omiseritis, aut neglexeritis, quod ut praestetis curate omnino atque efficite. Estis Divina misericordia in Ecclesiastico ordine constituti ad gloriam Dei conservandam propagamdamque; id eo tum Ordinis vestri ministerium, quod explere debetis videte, tum illius dignitatem ac decorum servate.

In incessu, statu, gestu ita vos praebete, ut ab ordine, quem suscepistis, nomine, et ratione nullo sane modo discrepetis, proposito vobis beati Patris Ambrosii judicio, qui Clero adscribi hominem recusavit, propterea quod ejus gestus et incessus dedeceret!?

Habitu non exquisito, non delicato nimis, non serico, ne ornamento quidem rursus, non sordido, non neglecto, sed gravi et talari, atque ejusmodi tum domi tum foris pro uniuscuiusque vestrum ordinis gradusque ratione utimini, ut a Decretis eo de genere editis nulla in re vel minima discedatis.

Coronam, quod insigne est Ordinis Clericalis, pro ratione Ordinis, quo vos singuli initiati estis, latam et conspicuam deferte.

Parca et frugali mensa contenti sitis, et supellectili etiam modesta, ac tenui potius.

Ab omnino splendido apparatu pompaque saeculari abstinete.

Quaecumque acupicta, varie intexta, aulaea item peristromata rejicite.

Imagines domi non profanas, sed eas habete, quae pietatis ac Religionis argumentum, et adjumentum praebeant.

In omni vita a fastu, luxu, ambitu ambitioneve et a vanitate longe refugite.

Nec verbis quidem praescriptum vitae modum pervertito.

Nihil scurriliter, nihil turpiter loquamini.

Absint a vobis maledicta, obtrectationes, curiositas, levitas, assentationes ac nugae. Temperantiae clericalis disciplinam vobis praescriptam in reliquis etiam omnino tenete.

Comessationes, compotationes, convivia publica laicaliave tum maxime, in quibus mulieres intersunt, evitate.

Hospites excipite; at illis excipiendis intra parsimoniae fines vos continete; ita ut Clericalis frugalitatis non sumptuosi convivii testes illos habeatis.

A ludis, spectaculis circulatorumque atque id genus vilium hominum praestigiis procul estote.

Arma abjicite.

Sic denique cor vestrum corroborate, ut inania spectacula non appetat, a mundi ludis atque ineptiis abhorreat.

Sensus autem vestros ita dirigite: ut cum a Deo utiliter dati sint tanquam rationis ministri, ne eos perperam ad hibeatis sicut satellites cupiditatum.

Sit igitur vester oculorum aspectus simplex et pudicus.

Aurium sensus castus, et prudens casta mens, casti omnis sensus.

Vitae et morum consuetudo casta et spiritualis.

Ad eorum Sacerdotum, qui in ejusmodi vitae studiis ac disciplina exercitati sunt, familiaritatem vos adjungite, ex qua vobis vestrae ad sancte agendum progressiones constent.

Ad castitatem autem conservandam munite omnem viam.

Legite propterea saepe illum beati Cypriani martyris de Singularitate Clericorum librum, qui vos in hac ut in aliis instruet virtutibus. Suspectarum autem mulierum consortium omnino vitate.

Cum aliis vero quibusvis mulieribus, quamvis vel arctissimo consanguinitatis vel affinitatis vinculo vobis illae conjunctae sint, ne

in eisdem domiciliis aedibusve simul habitate, nisi cum ex causa aliqui vestrum aliquando Episcopalibus litteris permissum sit.

In famulatu laicorum ne sitis, multo minus feminarum, quamvis nobilium.

Ne vero illas Musicam litterasve docere, nisi scripta nominatim facultate ab Episcopo permissum cuiquam sit.

Aedes Ecclesiasticas ne laicis locate, nisi concessu Episcopali.

Ac ne ipsas quidem patrimoniales locationi iis date, quorum vita moresve suspecti sunt.

Saecularibus vero negotiis, ut est sancti Pauli Apostoli documentum, ne vos implicate.

A cujusvis generis mercatura quaestuosa, omni negotiatione, praediorum conductione, tum aliis, ut Provinciali Decreto vobis interdictum est, prorsus cavete.

Ne pecuniae lucrive avidi sitis. Nemo potest servire Deo et mammonae aut etiam unum odio habebit et alterum deliget, aut unum sustinebit; et alterum contemnet, inquit Christus Dominus Matth. 6.

Si qui pauperes estis, ne cupiatis divites fieri, ut ne incidatis in tentationes multas et in laqueum diaboli.

Paupertatem vestram ne moleste ferte: paupertatem dilexit, et docuit caelestis magister Christus qui nascens in praesepio ponitur, et nudus in cruce moritur. Scitote paupertati socias adiungi, sobrietatem, abstinentiam, et reliquas virtutes, quibus praelucere oportet ministros Dei.

Proponite vobis sanctorum veterum Patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quaerebant; et nihil tamen iis deerat, imo in paupertate illis aliquando abundabat, quod aliis erogarent.

Ne igitur, quia tenuem reditum habetis, lucrum quaerite, nec quaestum vos appetendo injuriam vestro ordini facite, avaritiae sordibus voluptati.

Non saeculi vos mercatores, non mammonae ministri estis, sed Christi mercatores; nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed bonorum operum abundantia, cum charitate conjuncta, facite thesauros in. coelis.

Studete vos lucrari animas Deo et coeleste horreum augere.

Exemplo Sanctorum vos paupertate, sobrietate ac parsimonia ita agite, ut non modo a supervacaneorum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesias vestras et altaria exornetis, sarta tecta habeatis, sacra suppellectili instruatis: alienis

item necessitatibus subveniatis, et pauperibus opitulemini. Qui uberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias, e quarum praediis fructus percipitis, eo magnificentius et augustius, quo amplioribus donis bonisve augustiorique liberalitate illae dotatae sunt, illustri structura, praeclaro opere reficite, egregriis muneribus exornate, tum omni Ecclesiasticae supellectilis apparatu instruite.

Christi visceribus substantiam Ecclesisticam erogate, pauperibus scilicet peregrinis, viduis, pupillis, aegrotis in vincula conjectis, captivis quibus egentibus, et esurientibus cum subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatae charitatis rei estis in conspectu Domini.

Memores estote ejus quod a sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiae ministris, ut per eorum manus, quorum fidei atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.

Vos item alii, quicumque estis quorum fidei Christi patrimonium proprie ad Divini cultus pauperumque usum commissum est, cavete, ne ambitione aut cupiditate prolapsi, in alium, quam cui addictum est, convertatis; idque propterea sacrilegii rei damnationem aeternam subeatis.

6. Universi autem vos et singuli Ecclesiastici ordinis homines, ut summatim complectamur, quae muneris vestri sunt vobiscum frequenter recolite, ministerium vestrum explere studete, sanctissima studia religionis et officii vestri rebus aliis potiora ducite: in rerum Divinarum sacrarumque cognitionem omni cura incumbite, quae Divina, quae sempiterna sunt, divitiarum et honorum et terrenarum rerum cogitationibus abjectis, amplectamini: extincto cupiditatum ardore integros castosque vos servate: mundi voluptates, quae a Divinis Praeceptis detorquent, declinate: praediorum Ecclesiasticorum, quae non avaritiae praeda, sed instrumenta charitatis relicta sunt reddito et fructibus non abutamini: humilitati studete, charitatis opera praestate, induimini Dominum Jesum Christum Sanctorumque ejus facta imitamini, ut et horum imitatione, et illius in primis Divinis praeceptis institutisque conformati, in vocatione, qua vocati estis, digne Deo ambuletis, tum vitae vestrae splendore laicis hominibus lucem paeferatis ad vitam sancte instituendam, tum vos repositam vobis justitiae coronam demum percipiatis.

Omnes praeterea et singuli, qui hujus Ecclesiae ministerio adscripti aliquo modo estis, et Dioecesim, et Ecclesias quas in ea

obtinetis, quibusque adscripti estis, stationes vestras, in quibus manendum vobis sit putate.

In illis ipsis residete.

Ecclesiasticas ipsas aedes habitate; ibique domicilium vestrum vere constituite et habete.

Debitis muneribus atque oneribus satisfacite.

Alia item agite ac praestate ex praescripta Conciliaribus Decretis fructuosae salutarisque residentiae ratione.

Quicumque item Clerici minorum Ordinum estis in Ecclesiis, quibus adscripti estis, singuli Ordinis, quo initiati estis, functiones tali pietate obite, ut digni habeamini, qui deinceps altiorem gradum assecuti, sanctae Dei Ecclesiae inserviatis.

Nemo autem vestrum, quicumque estis, si alicui functioni estis deputati, ab Ecclesiastica ratione personalisque residentiae munere discedat, nisi causis per Episcopum probatis, et etiam concessis litteris expresso.

Hac, quae communiter atque universe vos moniti estis, singuli servate studiose ac diligenter.

7. At praeterea sigillatim nominatimque vos, qui in Cathedrali Ecclesia Dignitates obtinetis, Canonici item tum ejusdem Ecclesiae, tum reliquarum quarumvis Ecclesiarum Collegiatarum, vel Urbanarum, vel Dioecesanarum, quicumque sitis, in omni Canonicalis disciplinae officio ita agite, ut Canonice, nempe Canonum legibus, ad vitae vestrae institutum pertinentibus, et constitutionum Provincialium Dioecesanarumque rationi congruenter vivatis: idque primo maxime studete, ut in conspectu Dei omnipotentis puro corde et casto corpore ministretis.

Tum singuli vos ordinis dignitati aut Canonicatui annexi functiones explete, Canonicalisque muneris partes praestate omnes in Choro, statutis horis assistite, et ad Deum pro fidelibus pias religiosasque fundite precationes.

Dum eo loco estis, memores estote adesse Christum Jesum Dominum, cui servite ac in timore et tremore.

Non pigri, non somnolenti, non oscitanter adestote, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu.

Attente, studiose, rite, pie, Religiose Divinas laudes concelebrate, et psallite Deo in conspectu Angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino.

In Choro nemo privatim, nemo tacite Officium recitet; sed omnes

pariter quicumque adestis, senes cum junioribus laudate nomen Domini in Psalmis, Hymnis et Canticis.

A quibuscumque colloquiis, a litterarum, librorum lectionibus atque omni evagatione abstinete.

Pro temporis autem et Officii ratione sedete, state, genua flectite, caput aperite, et inclinate.

Accurate demum omnia observate, quae eo de genere vobis praescripta sunt, ita ut vestro exemplo aliis Sacerdotibus Clericisque et recte riteque psallendi, et sancte orandi, et pie agendi animum addatis.

In Psalmorum autem, Canticorum et Hymnorum intelligentiam studiose incumbite; ut dum psallitis, pro sensuum sanctissimorum, quos mente concepistis, ratione, vos ad omnem pietatis devotionisque affectum excitetis.

Non ordinariae distributionis lucro adducti, sed Dei charitate religionisque cultu commoti, Divinis Officiis adeste, ut vere ex animoque Psalmi 53 verba illa concinatis: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.*

Divinis Officiis absolutis, paululum omnes in Choro pie orate, sine abeundi signo per Praefectum dato consurgentes: quo ordine ad Chorum accessistis, eodem in Sacristiam redite, ubi cappas, qui illas induti eratis, et superpellica sine strepitu ullo aut susurratione deponite.

Canonicales vestros conventus statutis Hebdomadae diebus capitulariter habete.

Omnes qui debetis ad illos convenite.

Inde ne discedite, nisi missione a Capituli Pracfecto impetrata.

Singuli ordine et loco sedete.

Sententiam modeste dicite, et suo quisque loco, non praepostere.

A verbis scurrilibus abstinete.

In rebus consultandis rixas, jurgia et contumelias cavete.

In Initio et fine uniuscuiusque Capituli stantes orationes dicite.

Priori loco tractando proponite, quae ad Divinum cultum, ad spiritualis vitae progressionem, ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, tum quae ad rerum temporalium gubernationem pertinent ne negligite.

Caetera hoc de genere toto servate, quae Provincialibus Constitutionibus vobis praescripta sunt. Omnia in primis agite pace mutua, concordi voluntate, et charitate fraterna vos invicem diligite: Canonici enim estis, qui sicut pro collegii ratione ex antiquo insti-

tuto una in Collegiata Ecclesia unoque item in Canonicali domicilio collocati fuistis, ita uno pacis et charitatis foedere unaque animorum consensione conjunctissimi, sicut nascentis Ecclesiae ministri, quorum erat cor unum et anima una, experiundo vicere, sicut in Psal. 132 scriptum est, *quam bonum et quam jucundum sit habitare fratres in unum.*

8. Quicumque vero estis qui inter Canonicos Praepositi, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen gradumve obtinetis, sicut honore, et dignitate praestatis, ita virtutum exemplis vigilantique in vestri muneris curaeve partibus obeuudis sollicitudine praelucete.

Parochi praeterea ceteri quicumque estis, etiam praepositi, Archipresbyteri, aliive qui animarum curam geritis, praeter ea quae vos cum reliquo Clero communia universe monuimus, illa etiam, quae praecipue de vobis decreta sunt, praestate omni sollicitudine.

In primis oves vobis concreditae cognoscendae sunt, et appellandae nominatim, pascendae, et custodiendae.

Animarum igitur numerum in Catalogum redigite ad praescriptam normam.

Eorum qui baptizantur, qui item confirmantur, et Compatrum etiam, qui adhibentur, nomina describite.

Matrimonia in Codicem referte.

Parochiae vestrae incolarum vitam et mores investigate.

Indagate omni studio, si qui haeresi contaminati sint, aut suspecti; aut si qui sint, qui haereticorum libros habeant, vendant emant, importent, vel legant, eosque statim denuntiate.

Monete etiam populum, ut idipsum etiam praestet ad nostri edicti praescriptum; quod statutis temporibus de more promulgate. Perquirite de dictis, et factis eorum qui ex haereticorum finibus veniunt.

Dispicite si qui e Parochiae vestrae finibus ad loca proficiscantur, ubi impune praedicatur quod a Catholica fide alienum est, tum etiam ii profectionis facultate impetrata agant ad praescriptum Decreti in Concilio Provinciali promulgati.

Investigate praeterea de iis qui in vestra Parochia docent, eorumdemque mores, vitam et fidem observate, ac reliqua de iis ipsis praestate, quae Conciliis Provincialibus praescripta jussave sunt.

Videte, et cavete, ne superstitiones, magicae cantiones et ejusmodi diabolicae superstitiones in populo vestro sint.

Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios adulteros, usurarios, blasphemos, et denuntiate.

Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui Festis diebus non Deo, sed aleis, ludis, choreis, diabolo serviunt, quique Festorum dierum cultum quoquomodo violant, qualesquales sint; neque observant Pontificias, neque Pontificiales de diebus Festis colendis Constitutiones aut Edicta Episcopalia.

Istos ab ea male agendi corruptela revocate, ac deterrere omni pietatis officio studete, tum Episcopo etiam, sicut opus erit, significate, ut pro curae Episcopalis officio salutare remedium afferatur.

Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos caeterosque aliena ope egentes, quibus, et salutari concilio, et consolatione et subvenite; aut si minus re potestis in cohortatione alios accendite ad eos sublevandos.

Sique illorum gravior inopia deposcit; Festis etiam diebus a pia fidelium liberalitate aliquid in Ecclesia colligendum curate, ut ab Episcopo praescribatur; quod ipsis in eleemosynam conferatur.

Seorsum etiam locupletes Parochiae incolas convenite, quibus pauperum egestates proponite et ostendite eis divitias a Deo propterea etiam esse tributas, ut inopibus succurrant.

Siqui autem potentiorum opibus in causa aliqua opressi sunt, illos unice atque intime eorum patrocinio commendate, qui vel ex suscepto officio id praestare debent vel quibus Episcopus hanc curam dederit.

Pascite in primis populum vobis commissum praedicatione verbi Dei, salutaribus monitis, administratione item Sacramentorum, exemplo et oratione.

In verbo Dei exponendo plane observate quae Constitutione Provinciali, et aliis Concionatoribus, et vobis praescripta sunt.

Pueros Festis Dominicisque diebus in Doctrinae Christianae Rudimentis instruite.

Provectioris aetatis homines ad eadem intelligenda invitate.

Patres, matresque familias monete, ut filios, et filias, caeterosque quos in familia habent, ad statutas doctrinae Christianae scholas ipsi conducant.

Confratrum qui iis scholis adscripti sunt operam adhoc institutum adhibete, curateque, ut mutua inter eos charitas morumque disciplina conservetur.

Alios etiam ad tam pium opus amplectendum alacriores reddite, atque excitate tum assiduis vestris cohortationibus, tum promulgatione thesauri spiritualis Indulgentiarum iis concessi qui iis scholis adscribuntur, in illisque operam navant.

Ne omitiite diebus Festis inter Missarum solemnia aliquid ex iis quae in Missa leguntur fidelibus exponere, et Sanctissimi illius Sacrificii mysterium aliquod explanare, et aliquando sanctiores, illius sacrarum caeremoniarum rituumque rationes, et significationes explicare, quo diligentius instructi in dies Sacrosancto illi Sacrificio religiosius intersint.

Docete item quomodo fideles signo Missae celebrandae dato se corde contrito ad eam sancte audiendam parent.

Curate atque efficite perpetuis vestris monitionum officiis, ut in illa viri, aperto capite, mulieres velato et in omni ejus parte utroque genuflexa, praeterquam in Evangelio adsint.

Instruite etiam eos quam religiose non solum in Missae Sacrificio, verum etiam in Divinis aliis Officiis versandum. Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum.

Quam valde dum illa fiunt, celebranturve fugiendae confabulationes, colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, imo vero inanes cogitationes, quibus a pia meditatione, et mysteriorum quae aguntur contemplatione religiosaque oratione animus distrahitur, quam denique studiose vitanda reliqua omnia ab eorum Officiorum sanctitate, et cultu aliena.

Rursus quam sancte, item quam religiose, et quam dimisso humilique habitu in Supplicationibus, Litaniis et Stationibus versandum sit.

Qua reverentia, quove pietatis studio in Ecclesiis, locisve sacris manendum sit, quamve ab aliis procul abesse debeant, idque ex Sanctionibus Pontificiis, Constitutionibus conciliaribus, Episcopalibus praeterea Edictis.

Qua etiam non solum intima religiosi animi praeparatione, sed extremo etiam cultu, pietate, modestia, humili genuflexione, et armis depositis, ad sanctissimam Communionem, tum etiam ad caetera Sacramenta accedendum sit.

Tum docete ac monete, quomodo dies Festi colendi et sanctificandi sint.

Ostendite indignissimum esse sacris illis diebus non modo a nefariis operibus illicitisque negotiis non abstinere, verum etiam religionis ac pietatis opera non praestare omni diligentia.

Ac praeterea nefas esse sacros dies, ad maxima Dei beneficia colenda summasque ei laudes persoluendas, ac debitum Sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quae ab eo cultu abhorrent, qualia sunt tripudia, ludi, choreae, spectacula, quibus ad

turpes illecebras incitantibus salutis humanae hostis diabolus oblectatur.

Denuntiate item statuta sacrorum temporum Jeiunia; docete quomodo jeiunandum, quae peccati gravitas in violandis sacris jeiuniis.

Quae praeterea Christianae pietatis Officia in sanctorum Vigiliis.

Quam sancte observandum Quadragesimale jeiunium, statutis autem solemnibus, uel Adventus, vel Septuagesimae, vel aliorum temporum celebritatibus praemonete fideles, atque diligenter ex pastoralium etiam literarum praescripta recitatione, ac ratione instruite ad sacra illorum temporum mysteria sanctis pietatis officiis religiose colenda.

Ut iis omnibus pro temporum solemnitatumque ratione illi instrui possint, saepe monete, ut Dominicis aliisque festis diebus, quem ad modum sacra Tridentina Synodus optat, ad Parochialem Ecclesiam conueniant.

Qua in re saepius monitionem pastoralem eo de genere frequenti populo legite.

Saepe autem ac diligenter eosdem docete, quam assidue orandum sit.

Quomodo, et tacita supplicis mentis meditatione, et piis statis orationibus precandum, quam studiose ac religiose suscipiendum, vespertinae communis orationis institutum, quam diligenter illud semel susceptum pie retinendum.

Ideoque cum alias saepe in anno eam orandi rationem cum Indulgentiis concessis per summa capita explicate, tum praecipue diebus Concilio Provinciali constitutis in maxima populi frequentia de scripto pronuntiate, atque evulgate.

Dominicis diebus instruite populum, et monete pro quibus oret, ut est in eodem Provinciali Concilio decretum.

Tum praeterea, quas singulis Hebdomadae feriis praecipuas precationes Christianasque meditationes, atque in orando exercitationes sibi propositas in promptu habere possit.

Quam saepissime vero Sermonibus vestris populo proponite locos perpetuae Christianae meditationis de Morte, de Judicio, de Inferno de gloria et de praemio Paradisi.

Monete praeterea sedulo, ac frequentissime patres, matresque familias, ut liberos familiamque suam ad pietatis Christianarumque virtutum disciplinam religiose instituant.

Ad hoc propterea patres familias inducite, ut de vitae spiritua-

lis ratione et piis excrcitationibus libros probatos domi suae habeant; in quorum lectione versentur, seque ac familiam instruant ad sancte agendum.

De patrum familias officio familiaeque institutione editam in Concilio tertio Provinciali constitutionem in Parochiali conventu legite, singulasque ejus partes explicate.

Tum alia praeterea docete, quae opportuna existimaveritis, quibus illi se suamque familiam in Christianae vitae institutis atque exercitationibus conforment.

In officinis etiam et tabernis disciplinae vitaeque Christianae rationes observate: si quid autem vel ab artificibus, vel ab institoribus operari sive committi animadverteritis, quod dissolutae disciplinae sit, id officinarum tabernarumve dominos graviter monete, ostenditeque ea in re officii sui partes.

Estis Participes et socii laborum curaeque Episcopalis, et in messe Episcopo commissa operarii estis, elaborate una cum eo, et contendite, ut populus, cujus cura geritur tanquam purum triticum, auxiliante divina misericordia, congregetur in horrea caelesti.

Depositum custodi, inquit Apostolus Paulus I. Tim., id quod vobis singulis dictum esse putate, ut in grege, tanquam deposito fidei, curaeque vestrae commisso, diligenter custodiendo, ab omnique peccati labe conservando, cogitationem, solicitudinem, curam studiumque omne collocetis.

9. Parochiae igitur unicuique vestrum concreditae incolas cum a caeteris vitiis omnibus vos singuli solicite custodite; tum curate etiam, ne odia, simulationes, inimicitiae, factiones, temere jurandi, maledicendi, imprecandi pravae consuetudines, ac ne detractiones quidem in ea sint.

At vitia in primis, et peccata, ad quae populum procliviorem esse animadvertitis, reprehendite atque exagitate.

Nec vero dissimulate peccata, sed annuntiate populo scelera ejus; publice peccantes coram omnibus arguite, ut et alii timorem habeant.

Idque agite spiritu fortitudinis Domini ut strenui ejus milites bonam militiam militate, nihil plane trepidantes.

Si ab increpatione, vos monet S. Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non jam Dei lucra, sed vestra quaeritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicujus

generis contumeliis illud vel increpandi vel palam arguendi officium deserite, modo Christo et animarum saluti serviatis.

Rursus non aucupandae hominum gratiae studio id agere desistite, *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem,* inquit Apostolus Galat. I.

Vae vobis tacentibus, aut dissimulantibus si grex curae vestrae commissus perierit, sanguinem ejus de manibus vestris requiret justus, et omnipotens Deus.

Si igitur Precatur, ne in increpationibus verba vestra blandientia sint, sed, ut a Spiritu sancto scriptum est stimuli sint et quasi clavi in altum defixi.

Instate opportune, importune privatim etiam admonitionibus, consiliis, correptionibus, objurgationibus, ut peccantes adjutrice divina gratia in viam salutis revocetis.

In usum etiam sancte ita revocate fraternam correctionem, ut non modo mutua Christiana charitate vos ipsos corripiatis, sed reliquos item praesertim Parochiae incolas, in charitatis et correctionis officium recte doceatis.

At sermonum vero admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, praecipue ex doctrina Catechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum salutari utilitate versari diligenter potestis.

Neque adhoc multiplicis vestrae Ecclesiasticae tractationis genus negligite adjumenta, quae aliunde utiliter capere potestis.

Caetera autem officia, quae in Sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum usum cohortatione, in aegrorum cura, in aliis Parochialis muneris functionibus, vobis Provincialibus, Dioecesanisque Conciliis praescripta sunt, praestate, atque exequimini accurate, ad earumque Conciliarium Constitutionum Decretorumve normam omni observantiae atque obedientiae studio vos plane conformate.

Quae vero Decretorum Provincialium, vel Dioecesanorum partes ad laicos eorumque Christianam disciplinam, quo saepius evulgatae, atque inculcatae servantur diligentius, illas summatim vulgari sermone expressas crebro prout usu venerit, populis vestris proponite, denuntiate, explicate, atque in consuetudinem inducite.

Quaecumque denique vel ad vos, vel ad laicos curae vestrae commissos pertinent, ea decreta quo maximo potestis studio in omnem executionem disciplinaeque usum introducite, videteque in primis, ac perpendite, quae sint, et quam religiosae muneris vestris

partes; caveteque ut in officiis, et curae vestrae functionibus, non modo quidquam vos non committatis, sed ne omittatis quidem; cum in Sacerdotali vita pro muneris, quod sustinetis, ratione tum graviores, tum longe plures, quam in caeteris hominibus esse possint, omissionis culpae.

10. Vos praeterea reliqui Sacerdotes, quicumque estis, quibus animarum cura non incumbit, cum alia omnia, quae Ecclesiastici ordinis hominibus de Divinorum officiorum cultu, de vitae honestate, de studiis, et vitae spiritualis exercitationibus praescripta aut monita generatim sunt, tum quae nominatim singillatimque ad praecipuam vestram executionem attinent, praestate omnino.

11. Vos item, et reliqui Clerici inferiorum Ordinum quaecumque ad vos vel nominatim, vel generatim spectant, agite omnia, sicut Clericalis vitae ratio Canonum, et Conciliorum decretis praescripta postulat.

Christi estis, nempe sorte Domini, et ipse Dominus sors, pars scilicet vestra, tales praebete vos, ut et ipsi possideatis Dominum, et possideamini a Domino vereque dicatis; Dominus pars haereditatis meae.

Filii mei nolite negligere; vos elegit Dominus, ut stetis coram eo, et ministretis illi.

Videte igitur quam valde intentos vos esse oporteat ministeriis vestris, et quam magna vitae morumque castitate.

Proborum hominum tantum, praecipue Sacerdotum, vitae spiritualis laude praestantium familiaritate utamini, ex quorum consuetudine tum fructus vos capitis, tum Episcopus meliorem inde de vobis opinionem concipit.

Majores veremini, et observate; eisdemque recte monentibus obtemperate.

Praeter Latinae linguae, et litterarum studia, Ecclesiasticae in primis disciplinae institutionibus diligenter incumbite.

Sic demum vos moribus, et vitae modestia probate, ut a Parochis, et a praeceptoribus vestris tum etiam a populo bonum testimonium Episcopus habeat vosque dignos indicet, quos majoribus Ordinibus adscribat.

12. Vos vero, qui vel visitationis munus geritis, vel Clericalis disciplinae curae quovis nomine praefecti estis, vel in Dioecesi Vicarii Foranei constituti, in explendis muneris, atque Officii commissi partibus sedulo invigilate, atque elaborate.

Onus, quod sustinetis, quam grave sit, quam plenum curis

perpendite; tum quam in eo vobis committendo spem fiduciamque Episcopus habuit videte: tum efficite, ut eius expectationi respondeatis, vigiliarum vestrarum studiis assiduaque sollicitudine.

Ecclesias, quae in uniuscujusque vestrum regione sunt, sedulo visitate, earumque partes singulas inspicite.

Pervestigate in uniuscujusque Parochiae finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes, an flagitia, quibus Episcopali cura Episcopus medeatur necesse sit.

Universo Clero pro curatione commissa invigilate diligenter, illudque in primis videte, ut in disciplinae Ecclesiasticae moribus, atque officii se contineat, Clericalisque moderationis legibus congruenter vivat.

Indecentem ejus habitum omnino rejicite, morum sanctae vitae sacrarumque Literarum et institutionis Ecclesiasticae studia, si quae in eo languescunt, excitate.

Clerici autem minorum Ordinum in hoc maxime vobis commendati sint, ut illorum omnes, tum in vitae moribus, tum in litterarum Ecclesiasticaeque doctrinae studiis progressiones accurate exploretis, atque ut maxime potestis, paternis cohortationibus, atque objurgationibus, iisque assiduis adiuvetis.

Ecclesiarum item cultum, nitorem caeteraque ejus generis omnia curate vestra diligentia, quae totis in Christi visceribus ab unoquoque vestrum expetitur.

Quaecumque vero vel Provincialium Dioecesanarumque Synodorum Decretis, vel praecipuis instructionibus, vel visitationum jussis praescripta sunt, ea omnia, ut re ipsa praestentur, studiose perpetuo agite.

Haec omnia et singula his monitionibus nominatim singillatimque expressa, tum cuncta item reliqua, vel Conciliis Provincialibus Dioecesanisque sancita, vel alio modo vobis praescripta, vos omnes, ac singuli, quorum interest, quanto potestis amore, et pietate non amplectimini solum et legite, sed mente animoque comprehendite, servate, omnique sollicita executione praestate: totosque vos ad cohortationum, admonitionum, Decretorum et Constitutionum rationem accommodate; quod omnes ut faciatis sicut nos pro Episcopalis nostri Officii munere vos in hoc Dioecesano conventu ex Concilii Provincialis praescripto commonefecimus: ita etiam unumquemque vestrum per unigeniti Filii Dei adventum, per ejus Crucem, perque animarum vestrarum salutem obsecramus, obtestamur, divinaque Constitutione monemus rursusque vobis ipsis universis, et singulis edicimus, si-

quis vestrum Constitutionibus Decretisque vel Provincialibus, vel Dioecesanis, vestra causa editis, non paruerit, contra eum nos acturos esse Ecclesiasticis Canonicisque Sanctionibus.

Cavete igitur, ne quem vobiscum paterne modo agentem, solliciteque monentem, et in conspectu Dei vos hoc sacro deprecantem auditis eumdem rursus in hac vita non solum culpas vestras animadvertentem, sed in divino praeterea judicio easdem accusantem audiatis.

At ipse Deus, et Pater noster, et Dominus Jesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere, et sermone bono, ita ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, per omnia ei placentes, sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati appareatis, ante Deum, et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus Sanctis ejus. Amen.

Pii V. Bulla de Horis Canonicis.

Ex proximo Lateranensi Concilio pia, et salubris sanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura, et sine cura, si post sex menses quam illud obtinuerit, Divinum Officium legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis Officii et temporis suos non faciat, sed eos, tamquam injuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verum tamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi rati praedicta ratio sit habenda: Nos huic rei evidentius atque expressius providere volentes statuisnus, ut qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur qui vero matutinum tantum, dimidiam, qui caeteras omnes Horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat; tametsi aliquis Choro addictus, non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque, et distributiones ore aliter assignatas, sola praesentia, juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse praetendat, is etiam praeter fructuum, et distributionum amissionem, item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat commisisse: declarantes, praestimonia, praestimoniales portiones, et qualiacumque alia beneficia, etiam mullum omnino servitium habentia, obtinentes, cum praedictis pariter contineri. At quicumque pensionem, fructus aut alias res Ecclesiasticas ut Cleri-

cus percepit, eo modo praedicto ad dicendum Officium paruum B. Mariae Virginis decernimus obligatum, et pensionum, fructuum rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, statuti, declarationis et decreti infringere, vel ei casu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo primo, duodecimo Kalend. Octob. Pontitificatus nostri anno sexto.

Ces. Glorievius.

Appendix*).

De ceremoniis.

§. I.

Q. I. *Quid sibi velint sacramentalia?*

℟. Sunt ritus tum intra tum extra sacramentorum ad ministrationem ab ecclesia adhiberi soliti, quique quamdam Analogiam cum sacramentis habeant, quum per illa quaedam sola sanctitas dispositiva ex precibus usurpanti adveniat, conducens ad pios motus venialium peccatorum detestativa suo tempore eliciendos, econtra *sacramenta* sanctitatem perfectam ex opere operantur operato.

Q. II. *Quot ejusmodi sacramentalia numerantur?*

℟. Communiter sex hoc versiculo contenta.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens. id est.

Oratio Dominica.

Aqua lustralis.

Panis benedictus.

Confessio generalis.

Eleemosyna.

Benedictio Episcoporum et abbatum. Ex quibus oratio dominica et largitio Eleemosynae non nisi improprie salutantur *sacramentalia*, nisi nomine Ecclesiae fiant, quia Ecclesia eas non instituit.

Q. III. *Qualem producunt effectum?*

℟. Remittuntur venialia ex *opere operantis* et per modum interpretationis, prout excitant motus detestationis illorum aut econtra motus amoris ac reverentiae erga deum resque sacras, per quos motus venialium obtinetur remissio.

Ejusmodi motus excitant non solum *objective* uti *cruces, imagines,* sed et *impetratorie,* quatenus nomine Ecclesiae adhibentur, utpote quae majorem impetrandi vim habet, quam persona privata.

Haud tamen talem producunt effectum *ex opere operato,* nullibi namque legitur. Christum ecclesiae suae potestatem concessisse *immediate* remittendi venialia per id genus sacramentalia.

---

*) Vide pag. 27.

§. II.

De benedictionibus et ceremoniis Ecclesiae in specie.

Q. I. *Rectene Ecclesia certas quosdam res benedicit?*

R. Omni jure; quia christus ipsemet rei luculentum dedit Exemplum, quando piscibus et panibus in deserto benedixit ac turbae distribuit. Lucae IX. 16. Fiuntque abs dubio istae res per benedictionem meliores juxta illud Apostoli: omnis *creatura sanctificatur per verbum dei et orationem* 1. Tim. IV. 5.

Q. II. *Quis scopus benedictionum et rituum in administratione sacramentorum?*

R. Ceremoniae *praecedentes* collationem sacramenti communiter significant, qua ratione quivis se ad dignam eorum susceptionem praeparare debeat. *Reliquae* designant partim *vim* et *effectum*, quem in digne suscipientibus producunt; partim *obligationem*, ad quam se homo ipsa susceptione reddit obstructum.

Q. III. *Qua intentione rebus benedictis utendum?*

R. Quum vim suam duntaxat secundum Apostolum per *Verbum* Dei et orationem habeant, in qua tota benedictio quaeque consistit, hinc ea intentione iis utendum est, ut orationis factae et promissionis christi reddamus participes, simulque fide viva Deus exorandus, ut earum intuitu (si eidem placeat nobisque utile sit) nos ab omni malo liberare suamque benedictionem elargire dignetur.

Q. IV. *Quae sunt potiores in specie benedictiones et ceremoniae?*

Sunt varii generis, praecipuae sunt

a) Benedictio aquae.
b) „ salis.
c) „ cereorum.
d) „ cineris.
e) „ rami palmarum.
f) „ vini.
g) „ campanarum.
h) „ oleorum ac chrismatis.
i) „ Ecclesiae, altarium, Imaginum.
k) „ puerperae — prolis.
l) „ Infirmorum.

Q. V. *Quotuplex benedictio aquae quisve ejusdem scopus?*

R. Duplex est: *Aqua baptismalis,* quae fit pridie solemnitates Paschae et Pentecostes, descenditque juxta omnes ex Apos-

tolorum institutione — S. Basilius cap. 23. de spiritu s. Altera minus solemnis fit ordinarie diebus dominicis, diciturque *aqua lustralis.*

Prima adhibetur ad conferendum Baptismum.

Altera apud fideles domi asservari solet servitque ejus usus ad remittenda venialia, ad fugandos Daemones, insidias, morbos depellendos et idque mediante aspersione prout ex orationibus sacerdotis in ejusdem benedictione manifestum sit. „Daemon aquae (lustralis) aspersae vim non ferens penitus aufugit.“ Theodoret Hist. eccles. lib. V. cap. 21.

Q. VI. *Ad quid benedictio salis et cereorum?*

℟. Commisceri solet *sal* cum aqua benedicta, illiusque benedictio ortum trahit eo quod aquae Jericho immissae per Elisaeum sale fuerint sanctae. Benedictio *luminum* et *cereorum* in festo purificationis illibatae sine Labe conceptae B. Mariae V. repraesentat christum in templo praesentatum inque memoriam quod christus prima vice eadem die, cui vera lux mundi ad revelationem gentium in templo apparuerit.

Q. VII. *Cur speciatim benedicuntur cerei?*

℟. Ut de locis ubi accensi fuerint, Daemon ejusque infestationes depellantur, ut corda nostra invisibili splendore spiritus sancti illustrentur ignisque caritatis in animis nostris accendatur omnisque fomitus libidinis arceatur radicitusque extinguatur.

Q. VIII. *Quare etiam plena luce accenduntur in ecclesiis?*

℟. Id facit ecclesia sancte et pie, ut testetur spiritualis laetitia, quam in iis gerimus in qua exultemus utque deum ac sanctos honoremus, sic Deus ipse praecepit candelabrum aureum et desuper poni lucernas septem, ut lucerent ex adverso arcae. Exodi XXV. 37. Et Salomon pariter dicitur fecisse candelabra quinque aurea, quinque ad dextram, et quinque ad sinistram et lucernas aureas III. Reg. VII, 49.

Ergo superstitiosum non est, Deum, sanctissimum sacramentum eucharisticum luminibus honorare accensis, estque hic mos teste D. Augustino serm. de tempore 215 antiquissimus.

Q. IX. *Quo fine cineres, rami palmarum benedicuntur?*

℟. Initio quadragesimae ecclesia *cineres* benedicit, iisque fidelium capita aspergit, ut homo recordetur principii sui et finis, qui est et erit cinis; hinc sacerdos actu durante aspersionis: *Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris;* dein ut ita ad poenitentiam adhortemur, exemplo Jonae cap. III. et Jeremiae 17. 26. Benedictio *palmarum* fit pariter duplici ex causa, in memoriam in-

signis ingressus illius Christi Domini in urbem hierosolymam, ubi turba ramos sternebat in via Matth. XXI. 8. 9. et ad designandum triumphum illum gloriosum, quem Christus per passionem devictis hostibus universoque inferno reportavit.

Q. X. *Quem scopum habent Vinum et campanae benedictae?*

℟. *Vinum* in festo s. Johannis Evangelistae benedici solitum bibitur in signum fraternae dilectionis et ex antiquissima consuetudine contra quemcunque noxium potum adque ad alias corporis, animaeque insidias depellendas. — *Ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis,* prout in ejusdem dicitur benedictione.

Campanae ab Episcopo benedicuntur ut per earum sonitum Daemonum molitiones aliaque depellantur mala, prout constat ex rituali et concilio Coloniensi; ut de constitut. et consuetud. cap. 14. Pulsantur porro ad missas, elevationem (in missa solemni) officium divinum et ut iis qui interesse nequeunt, suggeratur, alioque pia et salutaris cogitatio de iis quae fiunt in templis, in eorum mentem veniat et excitentur ad orandum etc.

Q. XI. *Quo tendit olei — altaris — Ecclesiae — ac Imaginum benedictio?*

℟. *Oleum infirmorum — Chrisma ex oleo et balsamo* ab Episcopo in coena domini solemni ritu benedici solita adhibentur in administratione *Baptismi, confirmationis, ordinis* et *extremae unctionis* ex rationibus suo loco assignatis.

Altaria et *templa* consecrantur et benedicuntur in honorem Dei, quandoque etiam in Memoriam sanctorum, tum ad potestatem malorum spirituum ex illis locis depellendum, tum ad repraesentandam sanctitatem *domus Dei* III Reg. IX. 3. utque fideles semper recogitent, templa jam non amplius esse domus negotiationis communis; sed *domus dei et orationis.* Lucae 19. 46. Hinc et ipse Christus annuae dedicationis templi interesse non dedignatus est. Johann X. 22.

Imagines benedicuntur, ut fideles majori reverentia et devotione et fiducia hos colant atque in devotione ad eos more catholico recolent mysteria per imagines proposita.

Imagines benedicendi juxta rituale quivus sacerdos vi ordinis potestatem habet — sed non eas imagines, quibus ex Indulto apostolico per benedictionem concessae sint Indulgentiae v. g. Medaillam B. Mariae V. sine labe conceptae — haec enim potestas per episcopum a sede apostolica extrahi debet.

M. D. M.

Q. XII. *Quae benedictionis utilitas in puerpera et prole?*

℟. Sacerdos *parvulos* quandoque benedicit exemplo Christi, ut ab insidiis diaboli aliorumque malorum hominum liberentur. Marc. X. 13. 17.

Modus *Puerperam,* elapsis sex septimanis, in ecclesiam benedictione introducendi oritur ab Exemplo istius humilis *Virginis*, *Matris*, *puerperae Dei* B. Mariae sine labe conceptae, quae impletis purgationis diebus (40 post partum) JESUM in templo sistebat. — Demum *infirmi aut daemone vexati* exorcismis benedicuntur, juxta illud Christi: *Signa eos qui crediderint*, haec sequuntur: *In nomine meo daemones ejiciunt. — Super aegros manus imponunt et bene habebunt etc. Marci XVI. 16 etc.*

Q. XIII. *Quid de processionibus et supplicationibus dicendum?*

℟. Ut pia et laudabilis consuetudo eas celebrandi — in s. litteris — et in praxi Ecclesiae fundata.

1) Sic processionem instituit *Josue*, quum urbem Jericho septies circumiens muros ejus subvertit. Josue VI. 4.

2) Processionem solemnem quoque celebravit Rex *David*, cum ad se arcam foederis duxit 1 paralip. XIII. 7. 10. Post pacem Ecclesiae redditam mox saeculo IV. processiones fiebant tum ad sepulchra mortuorum, tum ad avertendas calamitates, quae ab episcopis indicebantur, prout testantur supplicatio et litaniae s. Gregorii Magni, romae habitae contra pestem anni 590. et Eusebius H. Eccles. lib. VI. cap. VI. et lib. III de vita Constantini cap. 42. Ejusmodi processiones et supplicationes sunt quaedam fidei professio et exhibitio cumque si duo consenserint de aliqua re super terram; Matth. XVIII. 19. pater coelestis eos sit exauditurus, multo minus quidquam Deus toti congregationi vel communitati denegabit ait s. Chrysostomus serm. 130.

Q. XIV. *Cur processionibus praeferuntur Crux et vexilla?*

℟. Ut ostendamus orbi insignia nostra et publice profiteamur non crucem non erubescere, nosque militari sub cruce sed potius gloriari, prout monet apostolus. Gal. VI. 14. Hinc iisdem repraesentamus orbi gloriam ac victoriam, quam per mortem, resurrectionem, et ascensionem suam retulet de diabolo monte et peccato. Gestantur porro in supplicationibus, reliquiae — sanctorum Imagines, ut eorum quasi praesentium patrocinio fortiones fiant preces nostrae et muniamur contra hostes nostros ita trid. synod. sess. XXV. de invocat. sanctorum.

Q. XV. *Habentne et piae confraternitates quidquam utilitatis?*

℞. Pariter, *ejusmodi confraternitates et sodalitates* in honorem B. *sine labe conceptae Mariae V.* vel sanctorum erectae habent fundamentum in hoc dogmate: *„Bonum et utile est sanctos invocare.“*, Eas proin pias et utiles esse quis neget?

Habent enim pro scopo Dei honorem et exercenda quaedam caritatis christianae officia secundum canones ecclesiae modo fugiantur abusus. Ita Dr. Pouget Instit. cath. Tom. II. pag. 795.

Q. XVI. *Saltem illorum symbola v. g. scapularia, Rosarium etc. ad salutem nil conferunt?*

℞. Ita est si quis sinistrum de iis sibi conceptum formet, ac nimis confidenter et perperam ab iis aeternae salutis securitatem sibi polliceatur, nec quidquam plane proderunt, si Christum non felicius corde quam haec symbola carne gestemus, et innocentissimas B. sine labe conceptae Virginis mores non imitari studeamus. Vid. Bened. XIV. commentarium de festis D. N. *Jesu* Christi et *Mariae* V. T. 8. — Per talia signa excitemur ad verae virtutis actus.

Q. XVII. *Ad quid tam pretiosus, quin et prodigus in Ecclesia ornatus?*

℞. Cuncta ut oportet, dirigantur ad majorem Dei gloriam, qui jam in veteri lege tabernaculum, *Arcam,* vestes sacerdotales, vasa, altaria, modo quo fieri poterat, pretiosissimo splendidissimoque comparari jussit. Exod. XXVI. XXX.

Quod pariformiter a rege Salomone factum legimus III regum VII. 6. et revera nihil tam pretiosum excogitari poterit quod Deo ejusque templis, terrenis Majestatis suae residentiis non debeatur. Caeterum docet Ecclesiae praxis, quod in casu publicae necessitatis aut ad subveniendum pauperibus quandoque de sacra suppellectili quidquam subtrahi possit et liceat.

Q. XVIII. *Quae doctrina de usu thuris?*

℞. Vigebat jam ab incunabulis Ecclesiae et exhibetur primario ad contestationem supremi numinis in nos omnes dominii. Honores crucibus exhiberi soliti referuntur ad architypa ipsumque ultimato Deum — fideles admonentur petere a Deo, ut eorum oblationes et orationes dignetur in odorem suavitatis accipere utque orationes, sicut incensum in conspectu dei dirigantur. Psalm CXL. 2.

Q. XIX. *Num usus quoque cantus et Musices in ecclesia tolerandus?*

℞. Omnino est enim mos in ecclesia antiquissimus, divinum officium canendo celebrare et ab ipsis sanctis angelis in coelo mu-

tuatus. Isaiae VI — S. Augustinus de cantu ecclesiastico ita scribit: *praeceptum et doctrinam Domini nostri habemus ex traditione ut hymnos et psalmos decantemus* in Psalmo 110. v. 8. Nemo est qui instrumenta, quoque musicae si *rite* adhibeantur, Laudabilem usum esse inficiabitur, si dirigantur ad finem rectum seu Laudem Dei et quidem stylo divini officii conformi et aedificatorio.

Qui cantus scalam non ignorant et forsitan in sensum cantus mysticum non essent ingressi, his attentu dignum existimavimus Expositionem hanc dandi

ut . . . . . . queant Laxis
re . . . . . . sonare fibris
mi . . . . . . ra gestorum
fa . . . . . . muli tuorum
sol . . . . . . ve polluti
la . . . . . . bii reatum

Utpote digni cantent in voce tubae et symphoni. — Una die Lectorem Mohren dixisse audivimus, credi s. Gregorium papam in cantu per angelum instructum fuisse.

Quod Missas instrumentales et vocales. De observ. et evitand in celeb. Miss. sess. con. 22 declarant patres tridentini: „Ordinarii ab ecclesia Musicas eas ubi sive organo sive cantu Lascivum aut impurum aliquid misceatur arceant. — Quapropter Episcopos et rectores ecclesiarum incumbit, ut tales musicas aut instrumentales prohibeant quae non ad aedificationem sed potius vergant in destructionem, ut auferant scandalum, quod evenit si fideles catholicos pravos, judaeos acatholicos et ethnicos per ecclesiam de ambulantes, garrientes ridentesque et solum modo ad sunt, ut videantur et videant admiranturque sirenes cantatrices tergumque sacris vertant misteriis et nil ex ingressu ecclesiae percipiant, quam animae majus detrimentum. Sequentur ergo praepositi praepositos plurium archidioecesium in Gallia et Monachii, qui omnem cantum ac musicos excepto Gregoriano in omni ecclesia penitus prohibuerunt. — Cessante causa cesset et effectus! —

Cantus in ecclesiis antiquitas constat ex constit. apost. Lib. 7. cap. 13. et ex Augustino Lib. 2. cap. 11. pro occidentali ecclesia.

Sion 1842. S. 991. „Rom 23 august. Durch das Vicariat ist die Instrumental-Musik in den hiesigen Kirchen verboten; wenn sie künftig ausnahmsweise auf Ansuchen bewilligt wird, so sind doch mehrere Instrumente namhaft davon ausgeschlossen."

Sion 1838. pag. 8. Wir haben bereits gemeldet, daß aus der prächtigen neuen Hofkirche in München, der Allerheiligen-Kapelle, durch S. M. den König alle Instrumental-Musik verbannt worden ist. Gleiches hat der Hr. Erzb. von Paris angeordnet. End-

lich sagt die Zeitung La France, ist die Oper von heiliger Stätte verbannt. Die Wünsche eifriger Christen, so wie aller, welche noch Gefühl für das Schickliche haben, sind endlich erhört, konnten nicht unerhört bleiben. Man weiß, daß in einigen Pfarrkirchen der Hauptstadt an gewissen Festtagen eine Musik gemacht wurde, welche die Menge herbeizog. Die nämlichen Töne, welche im Theater erklungen waren, hallten in den Gewölben der Kirche wieder; die nämlichen Künstler, welche im Theater sündhafte Leidenschaften ausgedrückt hatten, sollten oft mit den nämlichen Gesängen Gefühle der Frömmigkeit ausdrücken. Ein solches Aergerniß wird nicht länger mehr stattfinden. Der Hr. Erzb. hat in allen Kirchen der ganzen Diözese die Orchester-Musik verboten. Man wird daher an heiligen Stätten nichts mehr hören als Gesang von der Orgel begleitet."

Einer der größten Kenner der Kirchenmusik, der Abbate Giuseppe Baini, Direktor der päbstlichen Kapelle in Rom, schreibt in seinem Buche über das Leben und die Werke des C. Pierluigi Palestrina, des größten Tonkünstlers, ohne Zweifel Folgendes. „Die Kirchenmusik kehre zu ihrer ursprünglichen Pflicht zurück, sie gehorche, wie sie soll, dem Geiste, und verachte weltliche Melodien; sie lasse dem Theater seine militärischen Aufzüge; sie begnüge sich mit jener unschuldsvollen Milde, die das Herz rein, den Sinn lauter und in Gottesfurcht erhält; und sie wird sich nimmermehr über die bitteren Vorwürfe wegen ihres Verfalles beklagen dürfen. Sie wird wieder jene Ansprüche auf jene Vollkommenheit machen dürfen, die sie erreichte, als der Genius Pierluigi's (Palestrina's) mit den harmonischen Klängen der menschlichen Stimmen ihr das Ziel des wahrhaft Schönen und Erhabenen anwies. Als der berühmte Compositeur Paër im Jahre 1805 das erste Mal in der Sixtinischen Kapelle dem Gottesdienste beiwohnte, rief er aus: das ist die Musik, — das ist die göttliche Musik, die ich lange suchte, die meine Phantasie nirgends finden konnte, von der ich aber wußte, daß sie da sein müsse." Sehr belehrend über Musik überhaupt und Kirchenmusik insbesondere ist die Schrift: „Ueber Reinheit der Tonkunst." Heidelberg, Mohr 1826; von einem der größten Rechtslehrer unserer Zeit, Professor Thibaut in Heidelberg.

Vide Sion 1842, Seite 1274, Mecheln. Beschluß der Congregation der Erz-Priester über die Kirchenmusik. — Seite 1443, Verein für katholische Kirchenmusik.

Q. XX. *Quae mens Ecclesiae de abusibus, qui irrepere solent?*

R. Praecipit ut omnes e medio tollantur abusus, Laudabilis vero ceremoniarum retineatur usus; decernit namque s. tridentina synodus ut ordinarii locorum, Episcopi *ea omnia* prohibere atque e medio tollere *sedulo* curent, quae vel avaritia, idolorum servitus,

vel irreverentia, vel superstitio — verae pietatis falsa imitatrix induxit. sess. 22. de observ. et coct. in celebr. Missae et can. VII. econtra receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus — uti supra annotavimus — in solemni sacramentorum administratione etc. adhiberi consuetas sub *anathematis poena* retineri mandat. sess. VII. can. 13.

Q. XXI. *Qua cautela singulari Papa s. ritus conservare et abusus eliminare nititur?*

℞. Praeprimis per *sanctam rituum congregationem* a Sixto V. institutam, quae praeter plures cardinales ex pluribus praelatis atque Theologis constat, quorum praecipua cura est semper, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus *urbis et orbis* ecclesiis, in missis, in divino officio, sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter omnibus curentur ceremoniae, si quae exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur etc.

Q. XXII. *Foretne Ecclesiae magis reipsa proficuum si ritus et ceremoniae penitus abrogarentur?*

℞. Absit per omnem modum. Nam quod in se utile ac Laudabile est, hoc ab ejusdem, quoque abusu, vel ex zelo praepostero, suae ex ignorantia eliminare velle, omnino nefas est.

Q. XXIII. *Eritne ecclesiae culpa ad scribenda si quis zizania superseminat?*

℞. Nunquid non raro in ipsa sacramentorum administratione abusus quidam deprehenditur, an ea propter ipsa earundem dispensatio abroganda. Haec si teneret quaevis sanctiones tum ecclesiasticae tum civiles, et omnis generis status ac religio foret abroganda, quum nullus status nullaque religio in toto qua patet orbe existat, qui non quibusdam abusibus coinquinatus reperiatur. Hanc in rem quadrat illud dicti Pauli 1 Thessalonic: V. 21. — *Omnia probate quod bonum est tenete.*

Q. XXIV. *An in Missa super sponsam et sponsum nuptiendos privari liceat benedictionibus in ea Missa super eas praescriptas et an omitti licitum sit?*

℞. Benigna Mater Ecclesia intime agnoscens quanta ejus spes collocata sit in futuro sobole, super neo nuptiendas benedictionis suae fontem aperit et virtute eas firmat tam difficilem plerumque variis calamitatibus statum digne ineundi et observandi ideoque mandat, ut neo nuptiendi ante altare conveniant, ut vota sua reddant Deo suo in conspectu omnis populi, utque benedictione Zachariae cumulentur et Elisabeth de quibus dicunt s. paginae ambulabant

perfecti in omnes vias Domini quapropter sacerdos incipiens Missam votivam pro sponso et sponsa dicit in introitu: ex psalmo 127 et ex Tobia 7 et 8.

Q. XXV. *Licet ne tabacum sumere ante vel in Missa?*

R. Tabacum aut sumere per nasum aut fumere aut tenere in ore proprie non aufert sobrietatem, attamen utpote inhonestum erga tantum Misterium per concilium Coloniense 1561 celebratum p. II. cap. 5 — etiam per conc. Trevirense 1678 habitum §. 11. c. 6 et 7. prohibitum fuit.

Q. XXVI. *Licet ne sacerdotibus in ecclesia inque faciundis ss. misteriis caput tegere?*

R. Nullatenus. Mandata est sub excommunicationis poena „nullus..... presbyter aut Diaconus ad missarum solemnia celebranda praesumat ..... velato capite Dei assistere, quoniam et apostolus prohibet viros velatos corpore in ecclesia orare et qui temere praesumserint communione priventur." Capite nullus Episcopus de consecrat.

Dispensatio hujus solum modo penes papam juxta declarationem S. R. C. Missali praefixum.

Illicitum ergo foret si celebrans etsi cum *solideo* velatus celebret, eomagis illicitum si adeo uti ausi sint cantores tegumento — sic dicto *vel quasi soli Deo.*

Ita concilium Trevirense sub Archiepiscopo Joanne can. de Missa ..... velato capite altari assistere aut illud ita accedere nullus omnino praesumat.

Cujus caput non frigorem sustinere potest hic capillamentis (Perüken) uti potest non secus.

Q. I. *Licet ne si pro acathalico Missa petatur eam legere i. e. ad acatholicum applicare?*

R. Minime. Excepto eo casu ubi moralis adfuisset securitas eum saltem desiderio in communione fidelium mortuum fuisse. Illicitum est protali intentione stipendium accipere, quia non licet in sacris communicare cum haereticis seu alienis Schmidt Liturg. lib. 1. p. 437. Edit. 1ma.

„Unter den Fragen, welche der heilige Theodorus studites im 49. Briefe lib. II. beantwortet, ist auch die, ob es erlaubt sei für die anderen Glaubensgenossen zu beten, Messe zu halten und die Opfer anzunehmen; worauf er erwidert: Beten könne man, aber nicht Messe lesen und die Opfer annehmen. (Au licet horum oblationes consecrare?) Minime — fol. 374 edit. sirmondi." Binterim Denkw. 4. B. 3. Th. S. 366.

Q. II. *Quoad indulgentias quid notandum?*

R. Ne se ipsos neve animas curae cuae, commissas privent tantis gratiis, perlegant etiam atque etiam, Binterim Denkwürdig-

ftiten et, quod est in Liturgia X. Schmidt de haec materia lib. II. p. 243 et sq. instruant fideles, ut participent tantas gratias a benigna matre ecclesiae tam fuse et lorgiter concessas.

Der Ami de la réligion (vide Sion 1842. Septemberheft 113. S. 1063, bringt einige Entscheidungen, die von der S. R. C. rücksichtlich der Ablässe in neuerer Zeit erlassen worden sind und die wir wegen des Interesses, die sie für Seelsorger haben, ebenfalls mittheilen.

Quaeritur *1mo*. Utrum sacerdos satis faciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cujuscunque sancti, etiamsi non sit semiduplex vel duplex?

Q. *2do*. Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdommadis singulis debeat cum paramentis nigro colore celebrare, diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrare?

Q. *3tio*. Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur?

Q. *4to*. Utrum ad lucrandam indulgentiam plenariam orationi „o bone et benignissime Jesu" concessam, necesse sit aliam orationem addere pro intentione summi pontificis.

Q. *5to*. Utrum ad indulgentias applicabiles crucibus, rosariis et alius ritus sit necessarius praeterquam signum crucis a sacerdote, qui hanc facultatem accepit factum?

Q. *6to*. Utrum indulgentia concessa cadat solum in Christo ex aëre, ligno vel aliaquoque materia facto, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam?

S. Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita ad superiora dubia respondendum esse censuit.

Ad Q. 1 affirmative,
ad Q. 2 negative,
ad Q. 3 negative,
ad Q. 4 negative,
ad Q. 5 negative,
ad Q. 6 affirmative. In quorum fidem etc. Dat. Romae ex secretaria s. Congr. indulgent: die 11 aprilis 1810. c. cardinale Castracane praefectus — Hannibal Ginnasi suret Loco † sigilli. Ferner Dubium *Imum*. per Decret s. Congr. indulg. Dat. die 12 Junii 1822 conceditur confessionem sacramentalem *infra hebdommadam ante festivitatem* suffragari posse ad indulgentiam lucrandam.

Quaeritur *1mo*. An verba infra *hebdommadam* significent octo dies, quae festivitatem immediate praecedunt, an vero hebdommadam illam et integram, quae ante festum decurrit, ita ut. E. g. confessio, facta die Dominica suffragetur ad lu-

crandam indulgentiam die sabbati hebdommadae sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi 13 inter confessionem intercessissent?

Q. *2do.* An confessio octava die ante festivitatem peracta, vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam, an vero per hanc confessionem aliae etiam possint lucrifieri indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent, et adquos lucrandas sacramentalis confessio caeteroquin requiretur?

Dubium *IIdum.* quaeritur an in Bulla vel Brevi, in quo conceditur indulgentia, confessio tanqnam conditio *sine qua non* praescribitur, necesse sit, ut sacramentalis absolutio detur poenitentibus ad lucrandam indulgentiam. — S. congr. indulg. sacrisque reliquis praeposita respondendum esse censuit: ad Dubium Imum. ad *Primum* affirmative, quoad *primam* partem. negative, quoad *secundam* ad IIdum. negative, quoad *primam* affirmative, quoad *secundam* ad Dubium II. respondítur negative. In quorum fidem etc. Dat. Romae ex secretaria ejusdem s. congr. indulg. die 15 xbre. 1811. c. card. Castracane Praef.

Q. XXVII. *Missae debent ne ubicunque legi si caetera requisita praesto sunt?*

℟. Non debent. Missae in domibus ac oratoriis privatis prohibitae sunt per Concilium Laodicense anno 372. celebratum can. 58. per Concilium Cabellan. anno 813. can. 49. p. concil. aequis granense anno 329. L. 1. c. 47. per c. tridentinum sess. 22. Decret. de observ. et eritand. in celebrat. Missae.

Licentia permittendi est penes Episcopum loci primarii capite: hic ergo.

„Ueber Grabreden" vide Sion 1840. Sept.-Heft. No. 106. p. 1001.

Q. I. *Quid est Missa praesente funere?*

℟. Missa praesente funere appellatur ea, si animos ad veterem ecclesiae morem attendamus, in qua corpus aderat et in Ecclesia ipsa locus sepulturae debatur; ante enim fideles in ecclesia sepeliebantur, ut fideles libenter in communione fidelium perseverantes meminissent suorum in coelo triumphantium et patientium. Illi militantes in medio, expandebant manus, ut attingerent coelos, et pedibus leviter coeliabant in loco refrigerii seclusos.

Cogitatio erat fructifera pro vivis et pro mortuis.

Nunc aliter est, corpora defunctorum longe a nobis remota, absunt longe a via, longe a memoria.

Cum res se ita habeat, Licentia: Requiem praesente corpore etiam in Vigilia Paschatis celebrandi in Dioecesi possa-

viensi V. rituale passov. anno 1774 — hujus nunc vigentis moris causa — per ordinariatum passaviensem Ima. junii 1831 abrogata fuit et id jure quidem.

Quam Licentiam et in Archidioecesi Coloniensi circum spectis similibus rebus Archiepiscopo nostro relinquimus. Fiebat, ut pastor Ecclesiae civitatis firmatus per Agendam Coloniensem, quanquam omissis circum spectis circumstantiis reapse in Vigiliae paschatis Missam praesente funere, quod vero ad caemeterium commune deducebatur celebraret ratione de hac re per ordinariatum repetita se defendit, juxta Agendam se fecisse, quae juxta expositionem nostram merito erroneam judicamus.

Q. II. *Quid de illis dicendum, qui Missam applicant pro eo, qui postea demum stipendium est collaturus?*

Hoc idem est, quem Deus novit moniturum, hoc a congregatione cardinalium sub Clemente VIII. *damnatum* esse, vide Bened. XIV. Instit. eccles. 92.

Q. III. *Quid dicendum de iis Malagis, qui omni cum industria conantur in Ecclesiasticis officiis Latinam ecclesiae Linguam penitus abrogare et loco illius germana uti ultro?*

℞. Unitas catholica suadet *acstrictissime poscit* ne ullus pastor *Germanam interpolet Latina* ac poemata varia ex *uno animo* profusa, loco hymnorum et psalmorum ab Ecclesia tota praescriptorum introducere ausus sit absque Licentia ordinariatus. Si quid sit, quod populus non intelligat, tunc Ecclesia praecipit secundum Apostolorum interpretationem, prohibet autem mandati contemptum ac permutationem. Trid. sess. 22. c. 8 de sacrif. Missae et sess. 24 de reform. cap. 7 — peccant ergo graviter, qui contra haec praecepta agunt et fidelem populum scandalizant, aeque ac modos musicales à profanis cantillenis et oblectationibus populi v. g. saltationibus desumtos in ecclesia, quemquam adhibere omnino nefas esse duximus.

Concordatum inter Pontificem et regem Bavariae 5. junii 1817. praecipit, „pro regimine Dioecesium Archiepiscopis et episcopis id omne liberum exercere est, quod in vim pastoralis eorum Ministerii . . . . . competitae praesertim . . . . . invigilare, ut in ecclesiasticis functionibus, praesertim autem in Missa et in administratione sacramentorum ecclesiae formulae in *Lingua latina* usurpentur.“ Distinctio: *Vesperae non sunt Missa* non valet. Valet vero multo magis: qui super pauca fueris fidelis, super multa te constituam.

Sion 1840. Julibeft No. 91. vide „über die neueren liturgischen Versuche“ pro iis reformatoribusculis, qui latinam Linguam in Germanam in Ecclesia transmutare conati sunt pag. 856. Sion 1837. pag. 208. vide narratio mira praedicatoris acatholici, quoad cantum germanum, similia praebere dicitur Ecclesiae cathol. in Wurtemberg et Baden, ubi Missa germana linguae.

Q. IV. *Quoties sacerdos simplex celebrare debet?*

℞. Sacerdos cum est sine peccato mortali, et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non reverentia permotus sed negligentia vel alia causa culpabili inductus celebrare omittit, quantum in ipso est, privat sanctam Trinitatem Laude et gloria; angelos laetitia, peccatores venia; justos subsidio et gratia; eos, qui purgatorio sunt, refrigerio; Ecclesiam spirituali Christi beneficio; et se ipsum medicina ac remedio contra quotidiana peccata et infirmitates (Marchantius Virga Aaron. Tr. 3. Lect. 10.

Q. V. *Cur tres Missae dicuntur in festo Nativitatis?*

℞. Alexander I. teste gratiano et Telesphorus anno 134 decreverunt, ut die nativitatis tris Missae dicerentur, prima in media nocte, cum Christus esset natus, secunda ad patente aurora simul ac pastores eam invisissent, tertia ubi primae lex humano generi affulsisset. Quam ob rem canit Ecclesia: gaudet chorus coelestium et angeli canunt Deum palmaque fit pastoribus pastor, creator omnium adjicitur, sensus mysticus, triplici enim actu, status triplex gentium significatur.

Primus qui sine lege fuit, cum omnia erant circum fusa. Alter lucis et tenebrarum simul particeps, cum post datam legem fuit aliqua, quidem Dei agnitio sed nulladum perfecta. Tertius gratiae est, cui sol, id est, veritatis lux affulsit. Büchingerius Tyrocinium pag. 203.

Q. VI. *Quid notandum pro Ministro in Missa privata?*

℞. Non aliter quam stans aut genuflectens ministrat, et si forte aliquid desit, id requirat antequam sacerdos eo indigeat. Modesto et moderato tono celebranti respondeat. Quiete semper et cum silentio omnia sua officia peragat, ne ab aliis edi strepitum patietur, maxime ab inchoato canone et multo magis a se ipso. Laicis non permittat capellae ingressum quantum poterit. Non circum vagari suos oculos permittat sed altare respiciant. — Nunquam relinquat celebrantem solum ad altare et si exire cogatur substituat alium. Advertat ut transiens ex una parte altaris ad alteram non incedat per suppedaneum Altaris, ubi stat celebrans, sed semper quantum fieri potest, per planum, nec etiam in toto hoc Ministerio terga vertat cruci vel altari, quantum possibile est.

Si facienda sit communio populi in fine Missae genuflectit a latere Epistolae et ea peragit, quae sui sunt.

Ne semivestiti vel mendicitate sua, incalceatis pedibus, immundis laceratis vestibus sacrificio divino aliquid decoris detrahant sint longo talari cum superpelliceo induti et honeste palleati et calceati. Incumbit Ecclesiae rectoribus ut saltem calcei pro ministerio in sacristia adsint. — Vinitoris et ab Editore.

Monitoria pro ordinandis edita Coloniae 1644. — act.

1) Ordinati sacerdotes infra quadraginta dies ab ordinatione, juxta antiquam consuetudinem primitias suas celebrare debent.

2) Ne quisquam forte a susceptione ordinis sacerdotalis rejectus, ad confusionem apud suos evitandam, Ministerium sacerdotale, quod non accepit, sacrilega temeritate usurpare attentet; Rectores Ecclesiarum nemini primitias celebrare permittant, ante quam litteras suscepti sacerdotii exhibuerit.

3) Quoniam Episcopus in fine ordinationis sacerdotes omnes a se recenter ordinatos admonet, ut diligenter totius Missae ordinem atque hostiae consecrationem, fractionem et communionem ab aliis jam doctis sacerdotibus discant prius quam ad celebrandam Missam accedant. Ideoque neo sacerdos primitias celebraturus attendat, ut pium, eruditum et in rubricis *Maxime* versatum sacerdotem pro instructione seligat, quia experientia docet saepe eos deligi sacerdotes *qui magis egerent doceri* cum ipsimet in ceremoniis ac ritibus romanae Ecclesiae parum sint exercitati.

4) Nullus sacerdos primitias celebrare praesumere debet, nisi prius generales et speciales rubricas, ritumque celebrandi Missam, tam privatam, quam solemnem secundum praescriptum Missam romani (vel si proprium habet Dioeceseos istius) diligenter perlegerit et in sacris Missae ritibus optime fuerit eruditus, atque ab aliquo Ceremoniarum et rituum Ecclesiae romanae (vel propriae) perito sacerdote easdem Ceremonias et ritus se perfecte didicisse capitulo vel Decano vel pastori cui subest, testimonio sui instructoris debite probaverit.

Nuper non sine magna ad miratione mea dixit mihi, quidam cui cura magna commissa. Ritus non nisi usu et errando addiscendos esse et id quidem eo tempore, quo exercerentur! id est paulatim. Mohren non ita sensisse non ignorent omnes, qui audiverunt eum. *M. D. M.*

5) Ipse primitias offerens non curabit tantum, ut in oculis hominum religiosus ac irreprehensibilis esse appareat, ac exteriore cultu suo niteat, sed praecipue, ut omni virtute, qua sacerdotem Dei altissimi esse decet praeditum, singulari, quodam vigore

adolescat et per vivam Dominicae passionis Memoriam ac commemorationem de invisibili cordis sui altari omnibusque animae suae visceribus, viva passionis Christi fides, admiratio, invocatio, fiducia, praedicatio, gratiarum actio, tanquam thymiamata suavissima in conspectum Dei, pro sua totiusque mundi salute accendat.

6) De convivio, quod gratulationis ergo, eo die institui solet, nulla tangatur cura, nisi ut tantam laetitiae causam nulla turpitudo minuat, sacerdotalemque dignitatem nihil indecorum aut reprehensibile dehonestet. Nulla fiat, profusio aut sumtuum perditio; nullae saltationes, choreae, aliave ludiora admittantur; sed in timore Dei, decenter, honeste frugaliter, magnaque cum gravitate et dignitate ita peragantur omnia, ut ebrietas, crapula et quae hinc inde solent sequi offensiones et peccata nullam inveniant se huc ingerendi occasionem. Nec modo tempus matutinum paucosque dies, qui praecesserunt; sed et pomeridianum reliquosque omnes dies vitae suae, in omni pietate ac animi devotione ita transigat, ut ab ea hora, qua primum omnipotenti Deo sacrificabat, vultus ejus nunquam mutentur in diversa; ne ab incepta pietatis, gravitatis ac dignitatis forma deficiens, sibi quandoque dissimilis esse inveniatur; sed quotidiana aut saltem frequenti sacrificii repetitione, ac refectione, magis magisque in pietate omnique sacerdotali virtute, crescat, augeatur ac virili robore et constantia confirmetur: ut sacrificia quanto crebrius facit, tanto sanctiora faciat. Quod fiet, si animum suum contra vecordiam, ignorantiam, stupiditatem, inverecundiam, praesumptionem, et horum filias, quos frequentia, assiduitate et vetustate sua inducere consuetudo solet, redivivo spiritu quotidie innovet, et cui novus homo, novusque sacerdos, ac quasi nunc primum sacrificaturus novo peccatorum odio, novaque soli Deo serviendi voluntate alacritate ac constantia reviviscat, et attenta divinae majestatis consideratione, nova erga Deum, reverentia, verecundiaeque modestia Deo amabilis appareat, atque per vivam innovatamque passionis Christi recordationem, novo amoris ac dilectionis ardore ignescat; erga susceptos denique suos, novo caritatis ac commiserationis accendatur spiritu, quo causas ac personas, pro quibus sacrificandum est, in spiritus societate sibi approprians, et quasi in se ipso, quae aliorum sunt sentiens, justa ac digna discretione ponderet, easque pro meritis suis in unione passionis Christi per sacrificium Deo patri commendet. Ad quam invocationem faciunt psalmi et preces in Missali praescriptae. Ex quibus ut fructum illum capiant sacerdotes, ad quem sunt ordinatae, non satis esse putent si verbo tenus illas

raptim recitaverint (blatteraverint) sed ita intendant in singulas sententias, adeoque in singula verba, ut faciant ascensiones in corde suo et de verbo in verbum, de sententia in sententiam, de versu in versum, Deo magis magisque appropinquent, eique in omnibus omni desiderio, affectu et voluntate similiones fiant, magisque conformes.

Vide Directorium Eccl. discipl. Coloniensi praesertim Ecclesiae accommodatum D. Octavio frangipano Mirtho Episc. Tricar. Coloniae 1597.

Hoc opus merito Clericos praesertim, qui in cathedrali sunt et funguntur officio diligenter perquirere oportet. Continet enim multum summa cognitione dignum, ut rite munera obeant, Ligantne Decreta Episcoporum Coloniensium p. m. etc. adhuc dum v. g. de praesentia in choro, habitu et tonsura cleriali, obedientia erga Praesulem, etc. ? . . . . si ligent adhuc dum, optandum sit, ut denuo typis mandentur, ut secundum illa Decreta vitam agere possint ii, ad quos spectent.

De Servandis in statu Clericali.

Monitum primum.

„Sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus, incensum enim Domini et panes Dei sui offerent, et ideo sancti erunt." Levitici XXI. 6.

Habitum suscipe,
- non ex:
  - Levitate.
  - Avaritia.
  - Ambitione.
- sed
  - vocante Deo.
  - perfectione status alliciente.
  - zelo tuae proximique salutis impellente.

Incede in habitu,
- gravi
- modesto
- mundo
- canonico

Indues sanctis vestibus. Exodi XL. 13.

Esto Episcopo tuo.
- obediens
  - Praeceptis.
  - Decretis.
  - Monitis.
- obsequens
  - Corde.
  - Verbo.
  - Opere.

Fuge
- Domus suspectas — consortium, mulierum, ludos, choreas, Theatra, venationes perstrepentes.
- Contemptus / Susurrationes / Tumultus in Episcopum. / Superiorem. / Quemcunque.
- Viles famulatus ex turpi oeconomia.
- Avaritiam ex
  - Munerum acceptione.
  - importunis exactionibus.
  - rei alienae administrationibus.

Monitum secundum.

Exemplum esto fidelium in

- **Scientia**
  - Divina.
  - Ecclesia tua.
  - Civili.

  quia *tu* scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris. Oseas IV.
- **Prudentia in**
  - Conciliis.
  - Iudiciis.
  - Imperiis.

  Dux indigens prudentia multos opprimet. Proverb. XXVIII.

Exemplum esto fidelium in

- **modestia et gravitate in**
  - indumentis.
  - sermonibus.
  - moribus.

  Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntient de illo. Eccl. XIX.
- **Liberalitate ergo**
  - peregrinos.
  - pauperes.
  - templa.

  quo modo potueris esto misericors. Tob. IV.
- **Temperantia in**
  - Divitiis.
  - conviviis
  - solatiis.

  Animadvertite ne graventur corda vestra crapula et ebrietate et curis hujus saeculi. Lucae XXI.
- **Integritate coram**
  - Deo
  - hominibus
  - te ipso.

  Custodi temetipsum et animam tuam sollicite. Deut. IV.
- **obedientia, obsequio, amore** erga
  - Sanctam Ecclesiam.
  - Summum Pontificem.
  - Ejusque Decreta.

  qui sequitur me non ambulat in tenebris. Joh. VIII.

  Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Lucae X.

De servandis a sacerdotibus.

Monitum tertium.

Mundamini qui fertis Vasa sacra Domini. Isai LII. Sacerdotes induantur. Institiam Ps. 131.

Perpende Muneris tui

- Dignitatem
  - angelicis humeris formidandam,
  - regia celsitudine celsiorem,
  - omnibus venerabilem.
- admirandam potestatem
  - in corpus et sanguinem filii Dei,
  - in peccatorum remissionem,
  - in Aëreos atque tartareos spiritus.
- oblegationem studendi
  - angelicae puritati,
  - seraphico fervori,
  - incessanti in virtutibus progressu.

Per quod factus es

- Interpres et Dei legatus aeterna Decreta promulgans.
- Sacerdos in aeternum immolans et offerens filium aeterni patris in victimam.
- Mediator inter Deum et homines per oblationem sacrificii pacis, precumque fidelium.
- Dispensator Misteriorum coelestium.

Cave itaque ne sis

- Sacrorum contemptor.
- Summi pontificis parum obsequens,
- pervulosae aut dubiae doctrinae sutator,
- rigidus aut asper aut remissus in poenitentes,
- Avarus — immundus — impudicus — vinolentus,
- turpis lucri cupidos. — I Timoth. III. tit. I.
- Rituum Sanctae Ecclesiae spernens aut perfunctorie eos perficiens, propria tua illis intermiscens aut anteponens.

Sed esto

- Pius, innocens, sobrius, impollutus segregatus a peccatoribus, excelsior coelis factus. Hebr. VII.
- Sicuti esset si facie ad faciem coram summo deo fungaris.
- Eritis mihi sancti, quia sanctus ego sum Dominus et separavi vos a caeteris populis, ut essetis mei. Lev. XX.

De ratione sanctificandi statum.

Monitum quartum.

Obsecro vos ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis. Ephes. IV. 1.

Media

- Timor, Amor — Dei.
- custodia — cordis, sensuum.
- sancta occupatio — Memoriae, intellectus, voluntatis.
- Assidua frequentia — collationis cum confessario, Lectionis spiritualis, orationis (vocalis, mentalis), Examinis conscientiae, Sacramentorum.
- Devotio Sancta erga — Deum, B. Mariam sine labe conceptam Virginem, Sanctos praesertim baptismales et adoptivos patronos,
- misericordia erga fideles defunctos,
- cautela et moderatio — negotiis, conversationibus, solatiis,
- fidelitas in — servanda temporis oeconomia, sanctificandis diebus festis, obeundis quotidianis exercitiis.

Hoc fac et vives. Lucae X. 28. Romae calendas maji 1829.

Expositio canonis abbreviata

secundum G. Biel l. c. pag. 27 e seq.

Te — quia Sanctus, Dominus, Deus sabaoth, — *igitur clementissime*, — o misericordissime et praestabilis super malitia — *pater per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices* — humiles affectu cordis — *rogamus et* — expressione vocis — *petimus.*

Littera T. respondet hebraico Thau. Habet enim haec Littera T crucis formam, qua signati sunt, qui ab angelo percutiente liberati sunt, uti habetur Ezech. 9. Hujus figuram habuit lignum, in quo Moyses (non sine misterio) suspendit in deserto aeneum serpentem, ut inspicientes sanarentur a morsibus venenatorum serpentum. (Numeri 7.) Quae recte in principio officii commemorationis dominicae passionis nescii offertur, quatenus sua figura commonere faciat celebrantem passionis et crucis Christi qua intus signatus custodiatur ab angelo exterminatore ac virulento serpente, ne veneno reprobatorum cogitationum mentem ejus inficiat, ac vitam spiritualem, quam hoc sacrificium praestare sufficit, tollat.

Canonem silentio proferri oportet. In quibusdam Ecclesiis celebrans velabatur corrinis in altaris lateribus dependentibus ne a circumstantibus impediatur ejus devotio, quia ingreditur secretum fidei maximum. G. Biel l. c. p. 25.

Vidi (uti infans) in sacello s. Agathae (vulgo Agathenberg prope Wipperfurth) istas corrinas a latere altaris dependentes anno 1805.

In quibusdam Ecclesiis porro mos invaluit ut parochiani in Missa ad offerendum (zum Opfer gehen) obligati sint, e. g. in quatuor anni solemnitatibus majoribus, in comitatu defuncti, et quidem tunc temporis, quando celebrans praefationem inchoat. In magno populi concursu perdurat haec deambulatio circum altare fere per integrum canonem; priores eunt mares tunc sexus alter, quo praebetur sacerdoti occasio proxima distractionis? Abrogetur utinam hic abusus, vel suspenderentur adhuc dum Corinnae ad altaris latera.

Per Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum. — Orationes quatenus sint impetratoriae dirigendae sunt ad patrem per filium qui mediator est inter patrem et nos (ad Timoth. 2). Ideo ita frequenter in omnibus orationibus suis Ecclesia ita et nunc in canonis

principio orationem suam format ad patrem in nomine filii dicens: — *per Jesum Christum filium Dominum nostrum* — quibus verbis describitur Christus quintupliciter.

1. Quantum ad effectum salutarem, quia Jesus salvator salvum faciet populum a peccatis eorum Matth. I.

2. Quoad dignitatem regalem, quia Christus interpretatur unctus.

3. Quantum ad proprietatem personalem, quia dicitur — *filium tuum*.

4. Quantum ad praesidentiam universalem cum additur — *dominum* — ipsi data est omnis potestas in coelo et in terra. *Matth. 18.*

5. Quantum ad profectum humanalem, quia noster. Siquidem noster Jesus: noster Christus: noster filius: noster Dominus: parvulus natus est nobis, Isaia cap. 9, et filius datus est nobis. Datus, inquam in antidotum nostrae salvationis, in pabulum nostrae refectionis, in sacrificium nostrae reconciliationis, in sacramentum nostrae sanctificationis, in pretium nostrae redemptionis, quia — *Jesus.* In advocatum nostrae alligationis, in magistrum nostrae eruditionis, in lumen nostrae illuminationis, in directionem nostrae orationis, quia *Christus*, id est unctus. In scutum nostrae protectionis, in propugnatorem nostrae defensionis, in judicem nostrae remunerationis, quia *Dominus* noster, magna igitur fiducia preces fundimus ad te patrem clementissimum, ubi assiduum habemus interpellantem Jesum prudentissimum advocatum, Christum mediatorem acceptissimum, patris coelestis filium, effectus petitionis largitorem cum patre potentissimum coeli et terrae nostrum et universitatis Dominum.

Uti accepta — placita et grata, quia a filio tuo instituta — *habeas* et sanctificando, ut idonea sint divino sacramento — *benedicas. Haec* † panis et vini *Dona* *) a divina liberalitate nobis concessa. Ejus verba attente et devote praelata ipso litterali significatione pios affectus suppeditabunt. Per particulam *Igitur* connectitur cum praecedentibus: cum enim tibi Angelorum ministerio, quorum vocibus tuas adjungi in praefatione rogasti, jam, quasi pateat via ad coelum, statim fiducialiter ad thronum Dei accedis, et elevatis sur-

---

*) *Dona* quae tibi donamus, ut apud te consistant per tuam benedictionem incorrupta. Haec dona, ut fiant tibi Deus assumpta, siquidem verbum caro factum est, *haec munera* quibus te muneramus, ut percipiamus inde corpus et sanguinem Christi.

Odo Camerac.

sum oculis, expansisque manibus, preces ad Deum effundis, per Christum eum rogans uti accepta habeat *haec dona* ab ipso nobis collata, *haec munera* a nobis ipsi oblata, *haec sancta sacrificia*, quae pro peccatis nostris offerentur. Et 1. quidem personam commemoras cui oblatio dirigetur nempe Deum patrem. 2. Mediatorem Christum Jesum. 3. Offerentes eorumque affectum. 4. Res oblatas. 5. Eos pro quibus offertur. 6. Ea omnia, quae consequi hac oblatione desideras, redemptionem, salutem, incolumitatem. 7. B. Mariam Virginem et praecipuos principes curiae coelestis, quorum suffragia memor tuae imbecillitatis imploras, ut Deum tibi propitium reddant.

Ut omnium recordari possis, pro quibus orare debes, postquam dixisti: *Memento Domine famulorum etc.*, utque ipsae preces vim habeant efficaciorem, multum proderit cum Christi Domini cruciatibus illas sociare, hunc fere in modum. 1. Pro te ipso orabis per sanguinem pro nobis effusum, ut per illum expieris a peccatis easque obtineas virtutes, quae tibi maxime sunt necessariae et finalem perseverantiam. 2. Per latus transfixum Ecclesiam commendabis, quae ex eo orta est. 3. Per caput spinis coronatum, summum Pontificem (Archiespiscopum tuum) omnesque Principes et Antistites. 4. Per vulnus dextrae manus amicos consanguineos et benefactores. 5. Per vulnus sinistrae omnes qui te oderunt vel aliqua molestia aut scandalo affecerunt. 6. Per dextrum pedem transforatum, personas et negotia a superioribus commendata. 7. Per sinistrum omnes, qui sunt in peccato mortali, ut in dextram partem transferantur. 8. Per flagella, sputa, et alapas, ethnicos, haereticos caeterosque infideles, qui Deum contumeliis afficiunt. 9. Per crucifixionem, religiosos omnium ordinum, ut crucem voluntariae asperitatis libenter ferant. 10. Per sitim eos omnes, qui preces tuas expetunt. 11) Per angorem quem in horto pati voluit, omnes qui in aliqua calamitate, periculo, angustia, necessitate, tentatione aut molestia versantur. 12. Per mortem et sepulturam, justos omnes, ut cum illo sepulti semper in justitia perseverent, speciatim vero pro illis orabis, quorum te Deus meminisse vult, et tu nescis; pro his, quos Deus maxime diligit, licet eorum numerum et nomina ignores; id enim gratissimum illi est, ut amicorum ejus memor sis. Ab his autem orationibus te brevissime expedies, imitatus Ecclesiam, quae paucissimis verbis se ipsam, summum Pontificem et Antistitem omnesque orthodoxos commendat, neque enim decet privatas causas prolixius, quam publicas tractare, praesertim apud eum principem, qui omnia scit et nos ad-

monuit ne orantes multum loquamur. Consultius itaque erit pro omnibus ante Missam fusius orare, ut in ipsa brevior sis.

Postquam vero privatae devotioni satisfecisti, rursum publicas Ecclesiae preces assumis pro circumstantibus et pro offerentibus, sive sint praesentes sive absentes, et quia jam sacrificium oblatum fuit in expiationem culparum, in gratiarum actionem et impetrationem omnium beneficiorum, jam primarius ejus finis exprimitur hac oratione: — *Hanc igitur oblationem* — qua protestaris et agnoscis supremum Dei dominium et infimam nostram servitutem ac subjectionem; expansis manibus super oblata veteri ritu, ut ea transferas in Dei potestatem, ipsum exorans, ut — *ab aeterna damnatione etc.*, tum ipsi commendas sacrificii oblationem, ut eam *in omnibus benedictam* et inter dona sibi grata — *adscriptam et ratam* — sive approbatam et confirmatam: atque — *rationabilem* — divinis scilicet rationibus congruentem, ac tandem — *acceptabilem* — id est dignam, quae non solum ex parte doni sed etiam ex parte ministri offerentis a Deo acceptetur, non quidem ex nostris meritis habere, sed sua gratia *facere* dignetur porro ad illa verba, *ut nobis corpus et etc.* actualem et expressam intentionem renovabis consecrandi corpus et sanguinem Christi per transsubstantiationem panis et vini, Christi verbis conficiendam. C. Bona tract. ascet. de sacr. Miss. 119—123.

Haec munera — a nobis pie recepta — *haec sancta † sacrificia* — a nobis Deo oblata ratione significationis et applicationis divino usui; — *illibata* — sine macula cordis et corporis offerenda.

> *Illibata.* — „Caveant sacerdotes diligenter ne maculis notati, ad tantum, tamque magnum sacrificium accedant, sed sordes accurate eluant, ut verba haec fideliter proferant.“ Iraenaeus lib. 4. cap. 34.

Crucis signationes ante, et post consecrationem non fiunt tantum ad sanctificandum et consecrandum oblata; sed fiunt principaliter, ut modus et ordo dominicae passionis repraesentetur, ad quam repraesentationem omnia tendunt in s. Missa.

> „Haec autem Crucis signationes fiunt simul super panem et vinum, ad significandum, quod Christus traditus fuit ad patiendum tam in corpore cujus panis signum habet, quam in sanguine, quem vinum licet nondum consecratum repraesentat.“ Fr. Titelmann l. c. p. 66.

Cum Christus passus sit in cruce, convenienter per signum crucis ejus passio repraesentatur. Ter (in supradictis verbis) signatur hostia ad designandum triplices personas, a quibus Christus traditus

est. 1) Traditus enim est a *Deo, Trinitate.* — A patre praeordinando ejus passionem ad generis humani salutem: dando homini Christo patiendi voluntatem, ut diceret: non mea sed tua voluntas fiat. (Matth. 26.) — et non cohibendo occidentium saevitiam, imo dando eis, quae cogitaverunt in Dominum faciendi facultatem: non haberes in me potestatem nisi tibi datum esset desuper. — Traditus est etiam a *seipso* quia pati voluit: Ego inquit pono animam meam et iterum sumo eam, nemo eam tollit a me, sed ego pono eam a me ipso. (Joh. 10.) — Traditus est a *Spiritu Sancto.* Is enim, qui per os Caiphae prophetavit: Expedit vobis ut unus moriatur pro populo. (Joh. 11.)

2) Traditus est a juda proprio discipulo judaeis.

3) Traditus est a judaeis perfido Pilato.

Prima traditio facta est ex caritate — sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. (Joh. 3.)

Secunda ex avaritia: quid vultis mihi dare et ego vobis eum tradam. (Matth. 26.)

Tertia facta est ex Invidia: sciebat enim inquit Pilatus quod ex invidia tradidissent eum. Tradidit ergo illum Deus ex Dono. Judas pro munere. Judaeus in sacrificium illibatum, quod tamen non solum judaeos, sed etiam omnes gentes liberavit, quoniam ablatum est ab eis regnum Dei, et datum genti facienti fructus ejus. In hujus ergo triplicis traditionis memoriam fiunt tres Cruces in verbis: haec dona etc.

In primis, quae tibi — clementissimo patri — *offerimus pro Ecclesia tua* — militante, quae est multitudo fidelium habentium communionem in fide et sacramentis. — *Sancta* — veri Dei cultui dedicata *catholica*:

> Ne dum loco quia per totum orbem terrarum diffusa, sed et tempore, quia ab ipso Abel ad eos, qui nascituri sunt in finem et credituri in Christum. (S. Augustinus psalmo 110. Conc. 2. ad Ps. 56 et alibi sermone 131.)

universali per totum mundum diffusa, *quam* Ecclesiam *pacificare* ab haereticis, et Schismaticis et persecutoribus tyrannis *Custodire*

in pace ipsa et

a daemoniis et vitiis *ad unire*

> ne schismaticis ullis et haeresibus dividatur sed in unitate sacramentorum catholicae fidei in omnibus tota adunetur Ecclesia. Durant. l. c.

dispersam ex infidelibus et perfidis, vel gradus ejus in caritatis obedientia et *regere*

ut in consiliis, dispositionibus nullo decipiatur errore et in omnibus tuo ducatur moderamine. Durant. l. c.

in prosperis et adversis *digneris* tua bonitate, non nostris meritis *toto orbe terrarum* ubicunque diffusa fuerit; quia in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba erum, *una* simul pariter, *cum famulo* tuo (N.) romano pontifice, Christi vicario, patrum patre, universali Ecclesiae capite.

In Conc. Vasensi tempore Leonis I. cap. 4 et 5, constitutum fuit in Missis nomen Domini Papae regnantis recitari. Ita Burchardus lib. 2. Decret. cap. 230. Unde constat ab universa orbis communione separatos esse, sicut s. Pelagius II. epist. I. docet, qui qualibet dissensione inter sacra misteria Apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant. Alcuinus l. c. in exposit. Missae.

Papa N. — nomen pontificis exprimi debet secundum Decretum Gelasii papae, *et Antistite nostro N.*

Nomina Episcoporum ad altare recitabantur. S. Greg. in registro ad Constantium mediolanensem Episcopum. Conc. Africanum cap. 48. Conc. Carthag. can. 84. Augustin de actis Eradii in fine:

episcopo ordinario dioeceseos *et rege nostro N.* summo principe in potestate seculari:

Antistitis et regis personae tanti momenti sunt et ponderis, ut nominatim deceat eorum fieri mentionem, ex eorum enim incolumitate salus pendet subditorum. S. Clemens constit. Apost. cap. 12 — ad Timotheum c. 2.

et omnibus orthodoxis.

Hoc loco significat: recte sentientes, alii ut Alcuinus et Florus M. rectae gloriae homines, seu nullo errore depravatos fidei confessione Deum glorificantes interpretantur. Caeterum his verbis: orthodoxae . . . . . cultoribus excluduntur a fructu hujus infideles, haeretici, et schismatici, tales enim, qui recta fide et unione carent, neque Christo capiti neque caeteris Ecclesiae connectuntur membris. S. Thomas 3. p. Q. 79. art. 7. non tamen vetitum pro paganis, Judaeis et haereticis orare. *Quicunque in Ecclesia estis ait s. Augustin* ad Ps. 65, *nolite insultare eis, qui non sunt intus; sed orate potius, ut et ipsius sint.* Leo papa I. serm. 4. in solemnitate Epiphaniae ait: Ecclesiasticum sane atque divinitus institutum non solum inhibemus sed etiam excitamus affectum, ut etiam pro talibus (de haereticis agit) nobiscum Domino supplicetis. Quoniam et nos deceptarum animarum ruinas, cum fletu et moerore miseremur, exequentes apostolicae pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur et cum flentibus defleamus. Item

Coelestinus I. in Epist. ad Galliae Episcopos cap. 11. Cum enim sanctorum plebium praesules, mandata sibimet legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis causam agunt, et tota secum congemiscente Ecclesia postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, Idololatrae ab impietatis suae erroribus liberentur, ut Judaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedium conferatur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis coelestis aula misericordiae reseretur. — *Pro Excommunicatis orare precatione publica non licet* quia haeretici ipso jure excommunicati sunt. S. Duranti I. c. c. 34.

recte gloriantibus atque *catholicae* universalis, quia omnibus hominibus traditae, *et apostolicae* per apostolos concorditer publicatae et firmatae *fidei cultoribus,* qui Deum confessione secundum regulam universalem et apstolicam vere colunt.

Memento approbando et bona conferendo *Domine* pater *famulorum, famularumque tuarum N. et N.*

Petimus ut Dominus meminerit eorum, quos offerimus ei, meminisse vero Dei, miserum est adjuvare. S. Aug. epist. 59. Q. 5.

quiete — non Circumgirantium aut perturbantium *et omnium circumstantium*

manifeste colligitur, quod hic, quasi quidam sit locus, ubi sacerdos specialiter, quos voluerit, debeat nominare. Inn. III. l. c. cap. 6. — Alcuinus Alex. de Ales. — Durand. in Rationali I. c. vel solum labiis compressis inclusa pectoris cogitatione, ut loquitur s. Hieronimus, recitare. G. Biel. lect. 25.

quorum fides tibi coguita est, quoad intellectum *et nota devotio,* quoad effectum, scilicet participationis desiderium, *pro quibus tibi,* ego scilicet et Ecclesia, cujus personam gero *offerimus:* circumstantes:

Pro universo orbe terrarum, pro absentibus et praesentibus, pro iis, qui ante nos fuerunt, pro iis qui postea futuri sacrificio illo proposito Deo nos gratias jubemus offerre. S. Chrysostomus homil. 26. in Matth.

scilicet qui et ipsi offerunt non immediate, scilicet mediante sacerdote, *vel qui tibi offerunt,*

Referri possunt ad sacerdotes, qui ministerio, pro populo, qui offert, voto. Inn. III. — Albertus M. et Alcuinus I. c. sacerdotes et clerus, qui secundum diversos gradus divinis occupantur officiis, offerunt, sed etiam audientes, qui votis et orationibus assistunt, cooperantes.

oblationem qua summe laudamus largitatem divinam *hoc sacrificium laudis*

Severianus oblationem dominicae passionis interpretatur; in qua nulla nostra merita agnoscimus sed solam Dei gratiam collaudamus. Non enim nostra illi damus, sed potius sua reddimus. Duranti l. c.

primo, quia caritas ordinata a se incipit, *pro se suisque* omnibus

Offerimus pro nobis, quando sacrificio Deum poscimus habere tutorem et contra pericula animae et corporis, et propitium ad obtinendos successus bonos in utraque parte. — Pro nobis omnibus quando oramus pro amicis nostris et rebus. Odo camerac. l. c.

sibi commendatis multiplici ratione, *pro redemptione animarum suarum*

Non pro aliquo appetitu terreno, non pro temporali lucro, sed redemptione animarum suarum, quia in ipso habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Inn. III. — Alcuinus. — Alexander de Ales et caeteri.

quantum ad peccati remissionem *pro spe salutis*

Hoc sacrificium sacrosanctum ait Odo Cameracensis non solum nos liberat a malis, sed etiam nos accumulet bonis. Non solum nos eripit a poenis, sed etiam auget gaudia salutis et incolumitatis, salutis inquam aeternae animarum.

quantum ad beatitudinis consecutionem, *et incolumitatis suae*

Utraque sanctitas. Inn. III. lib. 2. cap. 7. provenit ex redemptionae animae, id est, peccati remissione, sicut e contra de peccati reatu procedit infirmitas utriusque.

quantum ad bona corporis, quae sunt infima. *Tibique* patri *reddunt vota sua*

Votum, ac generaliter omne opus bonum Dei, et hominis est, Dei quidem propter necessitatem gratiae, hominis vero libertate arbitrii. Inn. III. — Alex. de Ales. — Durand l. c.

affectiones pias et opera meritoria, quae sua sunt propter gratiam quam accipiunt a te, per quam sunt meritoria opera. *Aeterno* patri cui appropriatur aeternitas. *Deo* Spiritui sancto, spiritus est, qui vivificat. *Vivo et vero* filio, qui est veritas. Joh. 14. Ego sum via, veritas et vita. Ecce tria divinarum personarum attributa, scilicet aeternitas, veritas, et vita.

Communicantes *) participantes in objecto fidei spei et caritatis et re hujus sacramenti. Extra communionem ait Odo Camerac. non

*) St. Syricio papae canoni addidisse refert, Opmeer de off. Miss. pag. 20.

est locus offerendi Deo verum sacrificium vel vota solvendi, *et memoriam venerantes.*

In veneratione sanctorum haec ratio observanda, ut primum et super omnes B. M. Dei genitrix Virgo honoretur; secundo Apostoli; tertio martyres, et alii sancti omnes. Odo Camerac.

Congaudendo, imitando, implorando. *Inprimis* principaliter *gloriosae* utraque gloria corporis et animae *semper* perpetuo *Virginis* mente, corpore, professione, *Mariae.*

Sine labe originali a s. Anna conceptae exque ea progenitae, ante partum, in partu et post partum filii intactae, immaculatae intemeratae omni originali peccato omnino carentis, — quod, qui potuit, quod pro illo decuit, per omnipotentiam fecit. Perlege meditationes Domini Mohren N. 242. pag. 115. et videas quomodo ille de immaculata conceptione cogitaverit.

M. d. M.

Singularis huius sacramenti ministrae *genitricis Dei.*

Memini oportet fidelium concilii Ephesini patrum conscriptorum congregationem adstantiumque, pias preces pro assistentia spiritus sancti effundentium, ubi de materno honore, qua Dei genitrice, sciscitaretur et adstantium corda penetrantis Decreti concilii promulgationis ubi istud declarat:

Mariam esse veram Dei Genitricem

acclamante universo populo cristiano, in his nobis adhuc consuetis tam caris verbis prorumpente: „s. Maria! ora pro nobis nunc et in hora mortis nostrae Amen.

M. d. M.

Adjiciam sanctissimam Virginem a sanctis patribus variis nominibus appellatam:

Advocatam Iraenaeus lib. 5. — Greg. Naz. in fine, s. Bernardus serm. de Nativit. B. M. V.

Reginam et Dominam s. Athanas. in Evang. de Deipara. — S. Greg. Naz. in fine Tract. — S. Ephrem. orat. de laudibus Mariae. S. Ildephonsus serm. 7 de assumpt. B. M. V.

Honoratiorem cherubim et seraphim. S. Jacobus. — Chrysost. August. serm. 18 de sanctis.

Fenestram coeli et scalam coelestem. Fulgentius serm. de laudibus Mariae.

Mediatricem. S. Bernardus.

Signum magnum, causam salutis. Iraenaeus.

Martyrem. S. Hieronimus.

(*Reginam pacis*: civitas sancta Colonia.)

Merito ergo B. Virginis, nedum propter excellentem praestantiam sed et quia Martyr est, imo plusquam Martyr, hac porte canonis fit commemoratio. Durantus.

Qua generatione materiam ministravit humanitati Christi in hoc sacramento contentae, *et Domini nostri Jesu Christi,* ratione utriusque naturae Dominus noster est, salvator et illuminator sua unctione docens omnia. *Sed et beatorum Apostolorum*, qui a Christo sacerdotes ordinati, primo hoc sacrificio usi sunt et nobis ejus ritum tradiderunt, *ac Martyrum tuorum,* qui pro semel oblata hostia seipsos et obtulerunt effusione sanguinis testimonium reddiderunt, *Petri* apostolorum principi, *Pauli* in tertium coelum rapti, *Andreae* primo ad Apostolatum vocati, *Jacobi* Majoris fratris, ab Herode decollati, *Joannis* dilecti Domini, cui Dominus matrem, virginem virgini commendavit, *Thomae,* qui vulnera tetigit resurgentis et a nobis dubietatis vulnus amputavit. *Jacobi* minoris fratris Domini eique simillimi. *Philippi* de inseparabilitate patris et filii specialiter instructi, *Bartholomaei* nobilis ac philosophi pro Domino excoricati. *Matthaei* ex telonario in Apostolum et Evangelistam vocati, *Simonis et Judae* fratris Jacobi minoris et Judae, qui et cananaeus dictus, qui et Judas epistolam scripsit canonicam, *Lini Cleti* successorum beati Petri in pontificatu universalis Ecclesiae, *Clementis* papae et martyris, *Sixti* papae et martyris, *Cornelii* successoris Fabiani, *Cypriani* carthaginensis episcopi, *Laurentii* archidiaconi Ecclesiae Romanae *Chrysogoni* martyris, *Joannis et Pauli,* qui fratres fuerunt a Juliano apostata interempti, *Cosmae et Damiani* fratrum medicinae artis peritorum, factorum a Christo medici animarum, *et omnium Sanctorum* tam veteris quam novi testamenti, *tuorum in quorum meritis* in via perfectis *precibusque* in patria fusis *concedas, ut in omnibus protectionis* credendis, intelligendis, appetendis et agendis, defensionis et directionis, *tuae muniamur auxilio* contra omnes inimicorum visibilium et invisibilium insidias. *Per eundem Christum* tuum unigenitum tibi coaeternum et consubstantialem, *Dominum nostrum* redemptorem nostrum, salvatorem nostrum Amen.

Hanc igitur oblationem latriae *servitutis.*

> Oblatio haec non tantum est sacerdotis sed et cunctae familiae, id est cleri et populi et non solum adstantis familiae sed totius Ecclesiae. Odo Camerac. et Steph. Eduens.

adorationis soli Deo debitae, *nostrae* immediate offerentium, scilicet sacerdotum, *sed et cunctae familiae tuae* omnium fidelium adjunctorum voto et consensu offerentium, *quaesumus Domine* pater clementissime, *ut placatus accipias* reconciliatus clero ac populo, *diesque nostros in tua pace*

Ostendit nullum esse posse in hoc saeculo securum de sua

stabilitate, quamvis perfectus esse videtur, ac ideo necesse fore, ut semper deprecetur. — Est enim pax Mundi, et est pax Dei; pax mundi inutilis, pax Dei salubris, pacem constituit mundus, ut libere uti liceat voluptatibus; pacem dat sanctis Deus, ut mandatis intexti divinis secrete studeant virtutibus. Durantus. — Triplicem pacem enumerat. Inn. III. Dona nobis pacem ut de pace temporis per pacem pectoris transeamus ad pacem aeternitatis. — Consentiunt Alex de Ales et Durandus.

omnia adversa nos a te separare conantia repellendo, et tibi consentanea inspirando, vitae praesentis *disponas atque ab aeterna damnatione* quae a te nos separat perpetuo, corpusque et animam sine fine cruciat, *nos eripi,* praeservando et liberando, ut non cadamus, *et in electorum tuorum*

Si tu noveris vitam mutare, Deus novit mutare sententiam. Ambros.

qui per gratiam finalis electionis a massa perditionis sunt separati, *jubeas grege numerari* secundum praesentem justitiam, quia praedestinatio aeterna non mutatur; vel illa media conferenda, quae ab aeterno praedestinatis sunt praevisa, quibus effectum praedestinationis consequantur. *Per Christum Dominum nostrum Amen.*

Quam oblationem tu Deus pater clementissime *in omnibus* existens tuis creaturis, vel in omnibus offerentibus vel in omnibus hostiis vel in omnibus modis *quaesumus bene † dictam*

Benedictam inquit Odo C. gloria, ut gloriosa fiat,
benedictam immortalitate, ut fiat immortalis,
benedictam incorruptione ut incorrupta fiat,
benedictam divinitate ut Deus fiat.

nos benedictos efficiendo *adscrip † tam*

adscriptam, scimus quia in Trinitate quae Deus est, filius sit splendor paternae gloriae et figura substantiae ejus.

nos coelestibus adscribendo, *ra † tam*

Ratum dicimus, quod certum habemus rationabilem, Sanguis taurorum et vitulorum non sufficit nos expungere a peccatis; minor enim est ad hominem.

firmam, non mutandam *rationabilem*

Pro homine ergo rationali sufficit hostia rationalis: sola fiat ergo hostia nostra rationabilis, ut hominem verum pro hominibus offeramus et in hostia rationali Deus propitietur hominibus. Fiat rationabilis ut offeramus rationabiliter.

nos a sensualitate ad rectae rationis dicta misericordia elevando, *acceptabilemque*

Acceptabilem, non potest non esse acceptabilis quae superiores tres species recipit omnimodae benedictionis . . . . Acceptabilis est hostia Deo, quae Deus est, quid ergo oramus fieri acceptabilem quae non potest displicere? Steph. Eduensis. — Florus M.

beneplacitam et nobis tibi gratos reddendo. *Facere* tua paterna pietate *digneris, ut nobis* ex ipsa oblatione panis et vini *corpus* † verum et *san* † *guis* verus tua omnipotente virtute *fiat dilectissimi filii tui* summe et infinite dilecti, quia tibi consubstantialis et aequalis in omni ratione diligibilitatis, *Domini nostri* in cujus manu potenti nos et cuncta sumus positi, *Jesu Christi* salvatoris et redemptonis unici.

Qui

Qui pridie. Alexander I. papa, qui sedit Trajani temporibus, Domini passionem miscuit in precatione sacerdotum quando missam celebrantur. Damascenus, in pontificali. Walafridus l. c. cap. 22. ita Micrologus l. c. Berno, Radulphus tungrens. Sigibertus. Extat de ea re constit. epist. 1. ad omnes orthodoxos. In sacramentorum quoque oblationibus, quae inter Missarum solemnia Domino offeruntur passio Domini miscenda est, ut ejus, cujus corpus et sanguis conficitur, passio celebretur. Canone in sacram. de consecrat. distinct. 2. hanc vero Epistolam esse hujus sancti Alexandri probat concilium Triburiense, cap. 19. Hoc sacrificium Melchisedech figuram et typum fuisse sacrificii Christi non illius quod in cruce Christo oblatum est, cujus typus fuit Aaronis sacrificium, verum ejus quod in ultima coena Christus instituit, haec probat. D. Paulus ad Haebreos 6 et 7 et probant veteres patres Clemens Alexand. lib. 4. strom. Eusebius, Ambrosius, Hieronimus, Chrysostomus, Augustinus, Hesichius, Cassiodorus, Damascenus.

dilestissimus filius tuus *pridie* scilicet prima die azymorum, *quam pateretur accepit panem,* materialem convertendum in corpus suum *in sanctas*

Ambabus manibus sumsit, ut ostenderet hanc panis et vini transsubstantiationem in corpus et sanguinem suum, opus esse tum omnipotentiae suae cum et Deus esset et homo, cui omnia dedit pater in manus, ideoque ut creare poterat, quae non erant, ita creata convertere. Ambrosius. Tum liberalitatis infinitae. Ambas autem hic aperit manus, ut in coelesti hoc pane non Angelorum manibus sed sua divina potentia confecto thesauros liberalitatis suae ac benedictionis se effundere doceat, tum denique meritorum ejus cum panem hunc haud in sudore vultus nostri sed Christi comedamus; nec labores manuum nostrarum Ps. 127 sed meritorum et passionum ejus mandu-

cemus ideoque bene nobis sit et simus beati. Scortia D. 4. c. 11.

Fregit. O miraculum! frangebatur inter digitos, sedens incolumis inter discipulos; erat integer, et dividebatur (divisit se) in partes, in manibus tenebat se ipsum, et de manibus discipulis se porrigebat ad edendum. Odo Camerac. Exp. Miss.

In sanctas. Anton. Puccius Card. homil 5 de corporis et sanguinis Christi sacrificio docet Ecclesiam, sanctas id circo sponsi sui Jesu Christi manus dicere et venerabiles et ex ipsorum sanctitatis et venerationis mentione, attentiores filios efficiat et arctius ad cogitandum inducat, ut non modo quales sint eorum manus ex unctione, sed quales etiam esse debeant ex justitia et operatione ac merito vitae, quare hoc loco sacerdotes admonentur dum Christi venerabiles manus praedicant, hanc ejus venerationem exhibere, ut profanis vel sanguine plenis manibus panem hunc consecrare minime praesumant.

sanctificantes *ac venerabiles* veneratione latriae propter unitam Deitatem, *manus suas* quarum contactu vim dedit, ut esset materia idonea Eucharistiae, *et elevatis oculis in coelum*

Et elevatis. Tria commemorantur in canone ait Inn. III. quae nullus Evangelistarum scripsit. Videlicet:
Elevatis oculis in coelum.
Aeterni testamenti.
Mysterium fidei.
quae tamen Inn. III. Alex. de Ales et S. Thomas, Apostolos a Christo ipso accepisse affirmant ac deinde Ecclesiam Apostolorum traditione eandem formam religiose, coluisse. *Et elevatis,* Exemplo et imitatione Christi precaturus, necessario attollere debet oculos animae sursum, eosque abducere a rebus praesentibus, nempe a memoria, a considerationibus atque cogitationibus, sicque Deo dicere precationis verba magna eaque coelestia de rebus magnis, de rebus super coelestibus. Chrysost.

ad designandam dignitatem et arduitatem institutionis hujus sacramenti: et quod potestatem conficiendi habet ex patre secundum naturam. Et, ut nos instrueret, levare oculos mentis et corporis in agendis (maxime in hoc sacramento conficiendo) in coelum. *Ad te Deum patrem* a quo omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens. *Suum omnipotentem,* nam omnipotente minor non sufficit ad tantum opus conversionis.

Tibique

Gratias egit, ait S. Chrysostomus ut nos instrueret quomodo hoc mysterium facere debeamus, et simul, ut ostenderet sponte se ad passionem proficisci, ut nos praeterea doceret,

omnia, quae patimur cum gratiarum actione esse ferenda, ut bonam nobis spem immitteret atque foveret.

pro nobis, non pro se ***gratias*** **pro tanto dono ad nostram salutem ordinato** ***agens*****, consecrando** ***bene † dixit fregit*** **post consecrationem non panem, sed panis speciem,** ***dedit*** **suis manibus** ***discipulis*** **singulariter, singulis** ***suis*** **non alienis, sed sibi fide et caritate adhaerentibus,** ***dicens*****:**

Accipite **cum gratiarum actione et benevolentia. Non rapite violenter quod faciunt accedentes indigne et** ***manducate*** **spiritualiter acceptum sacramentaliter** ***ex hoc*** **pane in corpus converso** ***omnes*** **in Coena praesentes, in quos et Judas traditor fuit. Tersis nunc digitis hostiam in manus sumens caveat celebrans, ne hostiam multum elevet ante consecrationem, ne a latere adstans populus, hostiam nondum consecratam ut vulgo diceret, adoret.**

Hoc est enim

> ***Hoc est,*** ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus, sed sermonibus utitur Christi. Ergo ait: Ambrosius lib. 4. de sacrament. cap. 4. Sermo Christi conficit hoc sacramentum. Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum. August. tract. 80. in Joann. Plane haec sacra verba: ***hoc est enim corpus meum*** quae ad formam pertinent consecrationis, nullatenus immutanda sunt, nec confuse, nec nimium festinanter pronuncianda; sed distincte et distribute summa cum attentione et veneratione. Sacerdos enim illa ore Christi, ut ita dixerim eloquitur, et illa pronuntians Christi fungitur officio. Paschasius l. de corp. et sang. Dom. cap. 15. Thomas 3. p. quaest. 78. art. 1. 2. 3. 4. et ad 4 sext. dist. 8. Q. 1. 2. Bessarion de Sacramento Euchar. — Joh. Alanus de Euch. Sacram.

quod sub istis speciebus in fine prolationis horum verborum continetur ***corpus meum*** verum et naturale ex Virgine genitum.

Simili modo sunt in consecratione panis quantum ad causam virtutem et gestus conformitatem, ***postquam*** scilicet ***coenatum est accipiens dd hunc*** eundem nomine, non numerali identitate ***praeclarum*** non figuralem, sed veri sacrificii contentum ideo figuralibus sacrificiis clariorem ***calicem in sanctas,*** quia divinas omnia sanctificantes, ***ac venerabiles manus suas*** summa veneratione colendas propter unionem hypostaticam naturae divinae. ***Item tibi gratias agens*** patri omnipotenti a quo habet omnia, naturam, potentiam, auctoritatem et ***bene † dixit*** consecrando, convertendo in sanguinem, dedit, porrexit ***discipulis suis*** jam in sacerdotes ordinatis, ***dicens:***

Accipite in officium consecrandi et dispensandi *et bibite* ad incorporationem mihi et augmentum coelestis desiderii *ex eo* calice *omnes* sine personarum acceptione sed non sine meritorum discretione.

Hic: id est liquor existens sub speciebus vini prolatis perfecte verbis consecrationis *est enim calix sanguinis mei* potus veri et naturalis *novi* scilicet confirmativus post vetus per ipsum terminatum *et aeterni* in finem duraturi sine alterius successione *testamenti* ordinationis, *mysterium* secretum *fidei, qui* sanguis *pro vobis*

Qui pro vobis: qui verba indicant, quod etsi sanguinis Christi effusio sufficiens ex se fuerit ad redimendum omnes homines, non tamen fuit efficax pro omnibus (nempe pro his) qui ponunt obicem gratiae Dei, quam nobis meruit Christi passio. Vulgo dicunt Theologi, quod effusus est sanguis Christi pro omnibus, quantum ad sufficientiam, non quantum ad efficaciam. Durant. de vit. lib. 2. cap. 41.

discipulis et *pro multis* in fide formata

Mysterium. Est mysterium fidei ait Odo Camer. quia, quod fides credit, intus est occultum et sub figura et sapore vini creditur verus sanguis.

permanentibus *effundetur in remissionem,* satisfactionem *peccatorum.*

Haec quae feci consecrando panem et vinum in corpus et sanguinem meum *quotiescunque feceritis,* vos mei discipuli, et vestri in officio legitimi successores presbyteri, in *mei* sacrificii in cruce offerendi *memoriam,* repraesentationem consecrando et sumendo *facietis.*

Quod attinet Elevationem sacrarum specierum, notandum. In Concilio Augustano statutum esse sub Elevatione *illas tantum* Antiphonas decantari, quae ad hoc sacrificium pertinent. In Concilio Mediolanensi celebrato sub Carolo Borromaeo 1559. tit. 2. Decretum extare in haec verba cum corpus Domini Jesu Christi sustollendum est in Missa . . . . . . tum signum sono campanae detur, cujus soni significatione fideles, qui in Ecclesiae Missae sacrificio tunc non intersunt, admoniti ad tanti tamque magni mysterii ac beneficii recordationem animum excitantes, mente supplici religiosas preces pie adhibeant.

Unde

Per totum canonem sacerdos expandit manus quo designatur: Extensio Christi in Cruce, juxta illud: Expandi manus meas tota die. Eurant. lib. 2. cap. 42.

quia praecepisti nobis hoc facere in tui memoriam *et memores* intellectu, fide et caritatis desiderio, et fervore *Domine* sancte et clementissime pater *nos* sacerdotes, qui ad hoc ordinis nostri ministerium

accepimus *servi tui, sed et plebs tua* tota communitas christiana fide et sacramentis purificata et sanctis legibus imbuta. *Sancta ejusdem Christi* cujus corpus et sanguinem confecimus. *Filii tui* naturalis et consubstantialis *Domini* Dei universalis omnium per creationem et gubernationem, *nostri* specialiter per redemptionem, *tam beatae* passionis excellenter beatificantis, tanquam causa meritoria nostrae felicitatis et salutis, nec non ab inferis, ad quos descendit in triduo mortis; educens patres in tenebris et in umbra mortis sedentes et in nobis spem *resurrectionis* confirmans; *sed et in coelos* virtute propria tam divina quam humana *gloriosae ascensionis* anima et corpore gloriosa *offerimus* tibi patri, cui soli debetur sacrificium *praeclarae* omnipotentiae tuae prae aliis clarae *Majestati tuae* stabili et aeternae *de tuis* spiritualibus *donis ac datis*.

Corpus et sanguis Domini sunt dona a Deo nobis parata, dona sunt, quae utiliter donari possunt; dona sunt vera, sed in coelo collocata, data vero, quando nobis fiunt de creatura panis et vini, data, quando sumimus in altari, quando reficimur inde sensualiter; dona in coelo, data in terra; dona apud Deum in Christo, dona super altare in sacramento; dona in coelo, nuda ac aperta, data in altari, tuta sensibilibus et occulta, tamen hic et ibi eadem vera. Odo Camer. cap. canon.

et temporalibus nobis rite collatis *Hostiam* scilicet Eucharisticam

Hostiam. Haec trina repetitio verbi: *hostiam* ait Florus M. tanti mysterii est laudatio. — Non possum non gravissime commoveri, dolere et gemere, dum video Missae sacrum ipsis quoque Virtutibus coelorum adorandum, hoc infelicissimo saeculo a quibusdam ministris indigne summaque fieri incuria Durantus.

Quid dicturus esset, se videre luriditatem tepiditatem, ac celeritatem in agendo sacro nostri aevi?

M. d. M.

pu † ram, quantum ad Deitatem, quae lux est purissima et inaccesibilis nos illuminans. *Hostiam* eucharisticam *sanc † tam* quantum ad animam omni gratiarum plenitudine refertam, nos sanctificantem, quia de plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia. *Hostiam* † eucharisticam *immaculatam* quantum ad corpus sine macula originalis peccati conceptum, pro nostra purgatione percussum, vulneratum in cruce tensum et lividum.

Quinaria signatio Crucis — uti patet ex Floro M. l. c. fit super oblatam et calicem, non ut eum, a quo omnis sanctificatio, sanctificemus, sed, ut vulnera quinque in cruce pendentis Jesu flebiliter et devote recolemus. — In his quinque

crucibus commemorat sacerdos quinque vulnera Christi, in quibus aliquamdiu requiescens et quasi in foraminibus petrae nidificans supplicat prolixius oblationis suae sacrificium acceptum haberi apud Deum, ut sit illis ad salutem, pro quibus oblatio. Fr. Titelmann l. c. p. 70.

Panem verum de coelo descendentem, vitam aeternam sumentibus tribuentem *Sanctum* † *vitae* felicitatis *aeternae et calicem* † in quo est sanguis Christi inebrians sobria jucunditate et laetitia sempiterna *salutis perpetuae* semper mansurae.

Supra quae

Bessarion de Eucharistiae sacramento ait: corpus Christi duplex est, verum et Mysticum. Verum quidem ipsius Domini verbis, cujus est corpus suum confici. Mysticum vero, quod nosmetipsi sumus, cum homines sacram sumant Eucharistiam et ejusdem cum Christo corporis (unione) efficiuntur.

dona ac data tibi oblata, corpus scilicet et sanguinem Christi filii tui *propitio* placabili ad remissionem peccatorum facili *ac sereno* benigno et hilari *vultu,* id est, cognitione oblationem nostram approbante, *suscipere,* attendere approbando et acceptando tu pater clementissime *digneris et accepta habère* grata acceptare ex parte nostrum offerentium *sicuti accepta habere* ex devotione et fide offerentium tu pater clementissime *dignatus est munera* de primogenitis et adipibus gregis *pueri tui* mundi et puri a malitia *justi Abel,* qui recte obtulit et recte divisit non se sibi servando sed se primum et deinde munera sua Deo offerendo, quod Cain ncn fecit; ideo a Domino respectus non fuit, *et sacrificium,* quo unigenitum suum offerre paratus fuit, Isaac scilicet *patriarchae* patris patrum *nostri Abrahae,* qui filii ejus sumus non litera et carne sed spiritu et imitatione fidei, *et quod* sacrificium scilicet panis et vini *tibi* propter victoriam Abrahae concessam, redeunti de caede quatuor regum sodomitas invadentium, et cum eis Loth fratris sui filium expientium *obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium,* quantum ad gratiae et virtutum plenitudinem immaculatam hostiam, quantum ad omnis peccati originalis et actualis immunitatem.

Sieh, wie himmlisch schön der Priester in dem Opfer des Kreuzes die drei schönsten Opfer der Vorzeit Abels, Abrahams, Melchisedechs erfüllt sieht. Sailer a. a. O. S. 170.

Supplices, humiles *te* Deum patrem *rogamus omnipotens Deus* in cujus ditione cuncta sunt posita, et non est, qui tuae possit resistere voluntati, *jube haec,* quia sine tua cooperatione nihil potest creatura *perferri* vota fidelium, vel corpus et sanguinem, vel Eccle-

siam militantem *per manus* inter te et nos discurrentis, non ex tua indigentia, quia omnia solus potes et ubique es, sed ex ordine tuae sapientiae, qua infima per media reducis ad suprema, *sancti angeli tui*

Angeli tui Christi, qui est Angelus magni consilii, quasi dicat sacerdos: Jube haec oblata tibi, per manus et virtutem filii tui Angeli tui, qui est Angelus magni consilii, deferri, non in hoc humile et visibile altare tuum, id est, filium tuum, quem usque ad dexteram tuam; in conspectu Majestatis tuae sublimasti, ostendens ipsum filium jussione patris in coelis esse offerentem et hostiam et id super quod offertur, quia omnino fide et gratia ejus in Christo innititur etc. Hanc interpretationem probare videntur Steph. Eduens. l. c. c. 17. — et autor libri cui titulus Antidagma; dignus sane liber ut ab omnibus legatur, et quidem studiose et diligenter. Durant. l. c. cap. 42.

Huic opinioni maiori praeferentia indulsit R. D. Mohren in praelectionibus Martii 1812 quarum bene meminit autor.

M. d. M.

Porro idem ait Inn. III. eruditissimus Pontifex — quem nostris temporibus ex acatholicorum sobole Unus, dicam Tacitus germanus inexsuperabilis, tanta doctrina tantaque diligentia tantoque veritatis amore adeo honoribus honoravit, ut toti Ecclesiae catholicae non solum praelucet Innocentius Exemplo, sapientia, et doctrina et Intentionis morumque puritate, tanquam siderum fulgens inter Petri successores *sed et* Deus Innocentium ab haereticorum calumniis, vituperiis per illum autorem liberavit. Ille **Hurter** qui edidit Innocentii vitam, existebat dum scribere curavit adhuc dum acatholico errore captus, nunc post editum opus lumine coelesti illuminatus noster factus Romae errorem abjuravit aeque ac familia et Ecclesiae catholicae nunc adscriptus est.

M. d. M.

Tum ait iste Inn. III. Tantae profunditatis sunt haec verba ut nulla humani ingenii accessit scientia ut ea penetrare possit.

angelorum tuorum *in sublime* in coelum patris conspectum vel altare tuum ecclesiam triumphantem, ubi sine intermissione sacrificatur sacrificium laudis *in conspectu* praesentia acceptante non refutante seu in conspectu gratioso *divinae majestatis tuae* altissimae et aeternae divinitatis, ut quotquot ex clero et populo *ex hac altaris participatione* sacrificii altaris tibi dedicati communione *sacrosanctum* supersanctum et purum hoc est eminenter sanctum *filii tui* tibi consubstantialis ex te geniti aeternaliter *cor ✝ pus* de virgine sumptum in cruce

rigidissime tensum *et san † guinem* pro nostra salute fusum *sumpserimus*, sacramentaliter et spiritualiter aut spiritualiter tantum *omni bene † dictione coelesti* id est spiritualium ac coelestium carismatum plenitudine *et gratia repleamur* mente et corpore intellectu et voluntate *per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. Fiat.*

Per istas cruces significari .... potest trium statuum memoria ad quod hoc pertinet oblationis atque sacrificii mysterium. Beata in coelis Ecclesia triumphans. — Animae in purgatorio Ecclesia patiens. Nos peregrinantes, Ecclesia militans ex Fr. Titelmanno.

Memento in bono ad liberationem, qui nunquam oblivisceris *etiam Domine* pater clementissime *famulorum* fidelium, qui in obedientia mandatorum tuorum tibi famulati sunt, *famularumque tuarum N. N.* hic habeatur memoria specialis defunctorum, ut supra habita est vivorum, *qui* defuncti *nos* viventes *praecesserunt* moriendo *cum signo fidei* caractere baptismali et operibus bonis fidem profitentibus et significantibus *et dormiunt* per mortem temporalem, quae est mors prima, quia resuscitandi *in somno pacis,* amicitiae cum Deo in qua decesserunt. *Ipsis Domine* specialiter commemoratis in fide formata defunctis *et omnium in Christo,* in spe primae resurrectionis *quiescentibus locum refrigerii,* a poenis purgatorii *lucis* beatificae visionis, quae est lux maxima *et pacis* in quo nulla est poenalis afflictio, *ut indulgeas,* concedas, *deprecamur* omnes, qui hoc sacrificium offerimus. Ministerio, ut celebrans — voto, ut populus circumstans *per eundem* pro salute omnium se offerentem et pro liberandis animabus patrum ad infera descendentem *Christum Dominum nostrum. Amen.* Fiat.

Die Andacht reget alle Seiten des menschlichen Gemüthes an; das Gefühl der Liebe zu den voraus gegangenen Christen, das Gefühl der Ehrfurcht gegen die verklärten Geister, das Gefühl der zarten Theilnahme an dem Heile derer, die noch mitpilgern. Sailer a. a. O. S. 171.

Nobis viventibus *quoque peccatoribus*

Commendatis spiritibus defunctorum, per pietatis oblationem, ut in beatis electorum sedibus mereantur obtinere refrigerii locum lucis et pacis, oratur omnipotens Deus, ut etiam caeteros fideles, qui superstites sunt, i. e. sacerdotem et populum, per virtutem et gratiam ejusdem venerabilis sacramenti ad eandem beatitudinem perducat. Florus M. l. c. — In peccatore ait s. Thomas 22. Q. 83. art. 16. duo sunt consideranda, scilicet natura quam diligit Deus, et culpa, quam odit. Ubi peccator orando petit — (ut peccator puta, secundum peccati desiderium) — non auditur a Deo, nisi ad

illius vindictam. Deus enim negat propitius, quae concedit iratus. S. August. tract. 73. in Joann. — Sacerdos vocem paululum extollens pronuntiat verba: *Nobis quoque peccatoribus* quo — Stephano Eduensi autore l. c. cap. 17. — ex gemitu cordis in silentio procedat gemens oris confessio. Amplius hocce designat centurionem qui visa morte Christi voce elata dixit. Vere Dei filius erat iste.

nemo sine peccato, nec infans unius diei, *famulis* per subjectionem humilem et obedientiam *tuis*, pluraliter dicitur propter multitudinem effectuum misericordiae Dei, cum tamen in Deo sit tantum una misericordia simplicissima, scilicet: ejus essentia *de multitudine miserationum tuarum sperantibus* tute nec in operibus nostris *partem aliquam*

Quod licet unum et idem sit praemium singulorum, videlicet ipse Deus, in cujus cognitione salus aeterna consistit. Haec est vita aeterna ut cognoscant te Deum verum et quem misisti Jesum Christum. — Joann. 17. — tamen secundum differentiam meritorum alii plus, alii minus divina visione fruuntur. Inn. III. l. c.

aeternae beatitudinis, quae inaequaliter possidetur, ideo pars petitur in domo etenim patris mansiones multae sunt, *et societatem donare,* ut de mutua felicitate jucundemur per unionem perfectae caritatis, *digneris* tua gratia et benignitate ineffabili *cum sanctis tuis*

ante consecrationem postulatur sanctorum suffragium, *hac* in parte petitur cum ipsis in coelis consortium. *Steph.* Eduens. l. c.

quos credimus beatifica visione jam perfrui et jucundissima societate ineffabiliter congaudere *Apostolis et Martyribus cum Joanne*, vel Baptista, vel Evangelista, priuscum memorato propter apostolatum, hic propter virginitatem, de qua a Christo commendatur, jungitur *Stephano*, qui et ipse fuit Virgo — *Matthia* sorte in apostolatum electo, *Barnaba* cum Paulo in opus Evangelii segregato. *Ignatio* papa, sexto a beato Petro Apostolo, *Alexandro*, *Marcellino* presbytero, *Petro* Exorcista. *Felicitate* matre septem filiorum Martyrum, *Perpetua* matre insigni, *Agata* virgine et martyre constantissima, *Lucia* syracusana, *Agnete* corpore juvencula, sed mente ut ait Ambrosius cana, *Caecilia* nobilissima Romana, *Anastasia* carceris angustia et igne consumata, *et omnibus*

Rogamus ergo Deum, ait Inn. III. qui supra exigentiam meritorum tribuit, minus puniendo, vel magis remunerando. Non enim secundum peccata nostra fecit nobis. Lucae 2 et Psalm. 102.

jam in beatissimis sedibus *sanctis* collocatis tua visione et fruitione beatis, *tuis intra quorum nos* per beatitudinis participationem *consortium non,* quia ultra condignum praemias, *aestimator meriti sed veniae quaesumus* in peccatorum remissione gratiosa *largitor* liberalissimus *admitte per Christum Dominum nostrum,* qui nobis beatitudinem meruit et clave crucis suae meritum regni patefecit efficaciter. *Per quem* Christum filium tuum naturalem, quem *haec* contenta *omnia* Domine pater clementissime *semper* secundum naturae conditionem *bona* in esse naturali constituendo *creas, sancti † ficas,* ad cultum divinae Majestatis deputando *vivi † ficas,* spiritualibus gratia et donis perficiendo, bene † dicis in nostram salutem ordinando *et praéstas nobis*

Perquem: haec verba interpretat Alcuinus Caroli magni praeceptor ita: per Christum: Deus pater haec omnia non solum in exordio creavit condendo, sed etiam creat propagando et reparando. Bona quia omnia creata a Deo valde bona. Creata et suis conspectibus oblata. Sanctificat, ut, quae erant simplex creatura, fiant sacra, vivificat, ut sint Mysteria vitae. Benedicitque omni benedictione coelesti et gratia accumulat. Praestat nobis per eundem secum sanctificantem, qui nobis de sanguine suo tam salubrem dedit refectionem per ipsum tanquam verum mediatorem Deum inter et homines etc. Tanquam epilogum Durant. de ritib. c. 44. apposite hanc clausulam in fine canonis adjectam existimat, in quo Ecclesia breviter strictimque recenset magnalia Dei in sacramento Eucharistiae, per Christum, per quem *haec* (species pani et vini) quae in sacris altaribus, consecrantur, *Semper bona. Creas* initio condendo et peragendo, *sanctificas,* ut quae erant simplices creaturae fiant sacramenta. *Vivificas* ut sicut materia vitae convertendo et transmutando in carnem vivum vivificantem benedicit, omni benedictione accumulat.

Per quem omnia creas et nobis innotescis *ip † sum* et *cum ip † so,* per quem creata gubernas et ei substantiam et omnia tua communicas nativitate aeterna et in ip † so, in quo omnia consumas et velut in imagine et speculo videris et corruscas, est tibi *Deo †* vero *patri* per naturam, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur, *omnipotenti,* quia vigoris infiniti, cui cum voluerit subest posse *in unitate* in communione essentiali *spiritus,* qui amor est et nexus amborum patris et filii *† sancti,* cujuslibet virtutis ex te tanquam originali fonte profluens *omnis honor et gloria* clara cum laude notitia. *Per omnia saecula saeculorum* temporum, quod est aeternaliter sine fine. Amen respondet populus consentiendo.

Per ipsum — uti sentiunt Severianus et Florus, per ipsum scilicet tanquam verum mediatorem Dei et hominum. *Cum ipso* tanquam aequali. *In ipso* tanquam vere consubstantiali. Omnis vero honor et gloria est Deo patri per filium et cum filio et in filio in unitate Spiritus sancti, qui ex patre filioque procedens Deitatis possidet unitatem.

Wahrhaftig, erhaben über Alles, was nicht Gott ist sieht der Priester — nur Gott, will nur Gottes Ehre. Ehre dem Vater, Ehre dem Vater durch den Sohn, Ehre dem Vater in dem heiligen Geiste! Das ist das feurige Lied, in das sich die Seele des Priesters aufgelöset, verwandelt hat. Sailer a. a. O. S. 173.

Oremus nos fragiles et nobis ipsis insufficientes patrem a quo omne bonum *praeceptis* ad salutem veram nos inducentibus *salutaribus moniti* utriusque testamenti scripturis *et divina,* summi scilicet magistri, qui nec fallere novit nec falli, *institutione formati* instructi, quid, a quo, et quomodo oremus *audemus* non temeraria praesumptione sed humili subjectione, spe tamen certissima ex divina promissione firmati *dicere*: *Pater* universalis omnium creatione, gubernatione, et necessariorum provisione, item praedestinatione, redempione, instructione, adoptione.

Noster specialis adoptando, erudiendo ad vitam aeternam, nutriendo.

Qui es immutabiliter in te ipso aeternus semper idem ipse, *in coelis* spiritualibus et corporalibus per operum sublimitatem.

Santificetur nomen tuum sanctum cognoscatur, honoretur, et adoretur in seipso et in nobis notitia tua.

Adveniat regnum tuum post transitum hujus mortalis et miserae vitae, beatitudinis aeternae regnum, in quo omnis humanus satiatur appetitus. Rationalis in perfecta summi boni possessione. Sensitivus in Christi humanitate. Naturalis in dotibus gloriae.

Fiat perficiatur.

Voluntas tua beneplaciti antecedens et consequens et signi praeceptiva et consultiva.

Sicut in coelo in angelis et beatis.

Et in terra in hominibus terrae incolis.

Per nos, in nobis, de omnibus nobis et nobiscum.

M. d. M.

Panem nostrum temporalium bonorum ad corporis sustentationem necessarium, et Eucharistiae et salutaris doctrinae.

Quotidianum temporaneum.

Da tu pater clementissime.

Nobis tuis filiis

hodie sine cilatione praesentialiter semper donec hodie nominatur.

Et dimitte quantum ad culpam et poenam,

nobis peccatoribus et indignis

debita nostra peccata mortalia et venialia, nos debitores poenae et indignationis tuae constituentia.

Sicut et nos corde, ore et opere, non vindicando neque odium aut rancorem tenendo

dimittimus debitoribus nostris injuriatoribus.

Et ne tu pater coelestis

nos inducas, induci permittas gratiam subtrahendo, ne vincamur

in tentationem daemonis, mundi, carnis, in ea, quiescendo per consensum quo perficitur peccatum.

Sed libera nos a malo poenae praesenti et futuro.

Amen fiat, concedantur petita.

Libera nos quaesumus Domine ab omnibus ad bonum non promoventibus

> *Libera nos quaesumus.* Mala praeterita a quibus petimus nos liberari, ex sententia Alcuini et Flori l. citatis, peccata nostra transacta intelligenda sunt quorum etsi actio jam cessavit in nobis, tamen reatus et aversio a Deo manet; nisi indulgentia et gratia deleatur divina. Mala vero praesentia sunt quotidiana peccata, quia quotidie peccamus, quotidic habemus necesse dicere: Dimitte nobis debita nostra. Mala etiam praesentia, sunt accidentes languores et afflictiones in corpore et extrinsecus irruentes innumerae calamitates. Futura vero quaecunque nobis accidere possunt sive per tentationes Diaboli sive miserias saeculi. Petimus enim tutos servari ne in ea mala incidamus. Durantus l. c. c. 49.

malis praeteritis, culpis, ut per contritionem et satisfactionem deleantur,

praesentibus angustiis et tribulationibus, ut eas vincere possimus

et futuris laqueis et insidiis, ut cavere valeamus.

Et intercedente, quia enim nos indigni sumus exauditione, recurrimus ad sanctorum suffragia.

Beata et quia Christum genuit. Beatus venter, qui te portavit

gloriosa (in corpore et anima assumta secundum opinionem beati Augustini aliorumque.) *M. d. M.*

Semper virgine perpetuo ante partum in partu et post partum.

Dei coeli, restauratoris et terrae redemptoris

genitrice Maria stella maris coelum et terram illuminante

et beatis Apostolis a te patre ante mundi constitutionem electis et a Christo in tempore vocatis

Petro apostolorum principe

et Paulo gentium doctore

atque Andrea crucis desiderio ardente,

cum omnibus sanctis generaliter

da propitius ne populus in tanti sacramenti communione perturbetur per insurgentia mala

pacem conscientiae et temporis

in diebus nostris,

In quibus ob tanta in nos imminentia mala tua efficaci ope tantopere egemus, ut clamare non cessantes: adjuva nos Deus salutaris noster et libera nos propter gloriam nominis tui, salva nos Domine, perimus.

Nam in te posita est spes nostra, noli nos, tuos confundere et parce peccatoribus nobis. *M. d. M.*

Da propitius pacem. Fidelis populus in hujus saeculi peregrinatione tanquam in Babylone captivus et ad supernam patriam anhelans orat etiam pro pace temporali, ut remotis per Dei pietatem omnibus adversitatibus quietam et tranquillam vitam agat Ecclesia. Alcuinus.

Haec oratio silentio dicitur. Hoc silentium Dominicae innuit sepulturae die sabbati, qua mulieres Lucae c. 23, quae paraverunt sabbato quidem siluerunt. Rupert Tuit. l. c. c. 25. Inn. III. l. c. c. 29.

ut ope misericordiae tuae auxilio ad quam refugimus

adjuti et a peccato commisso et committendo, ut deleatur illud, atque praeservamur ab isto.

Simus semper in omni vitae adversitate, egestate et dolore

liberi per pacem peccatoris

et ab omni per pacem temporis

perturbatione securi ne impediamur in assecutione pacis aeternitatis

Per eundem quem sub sacramento vere contineri confitemur

Dominum nostrum, cui data est omnis potestas in coelo et in terra

Jesum salvatorem

Christum unctum a patre oleo laetitiae scilicet spiritu sancto

filium tuum unigenitum et naturalem

qui tecum patre omnipotente

vivit indefectibiliter et aeternaliter

et regnat imperiose et potenter

in unitate identitatis et naturae

spiritus sancti tertiae personae in divinis, qui nexus est utriusque patris et filii

Deus unus verus et coaeternus.

Per omnia saecula saeculorum aeternaliter sine fine.

Amen fiat.

Post paululum dormuerat in silentio exurrexit a somno, et apparuit discipulis suis. Gaudium dominicae resurrectisnis post sepulturae moerorem significat vocis ista elatio. Fr. Titelmann l. c. p. 81.

Pax † Domini

Dum profert haec verba sacerdos repraesentat quod Dominus stans in medio discipulorum illisque dicebat: pax vobis! Steph. Eduens. l. c. cap. 17.

Inter dicendum horum verborum crux formatum juxta Amalarii l. 3. cap. 31. ipsum nobis corpus ante oculos praescribit quod pro nobis crucifixum est. Ideo vere tangit quatuor calicis latera, quia per illud genus humanum per quatuor climata mundi ad unius corporis conjungit unitatem et ad pacem Ecclesiae perducit. Amalarium sequitur Rabanus Maurus lib. 1. instit. cleric. cap. 33.

Amplius haec trina crucis signatio nos resurrectionis Christi admonet, quae fuit facta tertia die ut s. Thomas l. c. art. 6 vel Steph Eduens. l. c. cap. 18 asserit.

Triplex fit signaculum crucis ad laudem et honorem Ss. Trinitatis quae misit Agnum, qui per crucem salvavit mundum et pacem fecit hominum et Angelorum. Trina crux fit intra ambitum calicis ad significandum illud gaudium irreprehensibile et secretum, quod erit in fruenda Trinitatis visione per quam nobis data pax veniae, pax justitiae, pax gloriae. Stephan. Eduens. l. c. Per has cruces designatur, quod virtus Ss. Trinitatis animam Christi reduxit in carnem. Fr. Titelmann. l. c. p. 84.

aeternitatis in spei certitudine, cordis in puritate conscientiae, temporis in perturbatione, moderatione, *sit † semper vo † biscum* ad fructuose sumendum excellentissimum sacramentum.

Et cum spiritu tuo chorus eadem respondet, imprecans sacerdoti.

Fractio panis. Pars una in calicem immissa sanguine immergitur pro illa parte ecclesiae, quae naufragio huius saeculi agitatae multis perturbationibus passionum concutitur. Aliae duae extra calicem sunt pro illis, quarum una igne examinatur, quae est fidelium, altera est sanctorum, quae cum Christo regnat in aeternum. Steph. Eduens I. c. cap. 18.

Fractio hostiae juxta s. Thomam 3. p. Q. 83. a 5 tria significat. Primo ipsam divisionem corporis quae facta est in passione. Secundo distinctionem corporis mystici secundum diversos status. Tertio distributionem gratiarum, quae procedunt ex passione Christi. — Hanc fractionem non a Sergio papa institutam, prout Albertus M. credidit, longe enim ante Sergium institutam fuisse docet Dionysius cap. 3. ecclesiast. hierarch. Constituit quidem Sergius in hac fractione Agnus Dei cantari. Amalar. Rupertus. Alcuinus. Benno et caeteri l. c.

Haec sacrosancta — sancta propter cujuslibet et contentorum in suo genere excellentiam corporis et animae Deitatis.

Commixtio adjunctio specierum panis et vini,

et consecratio, hoc est: consecrata ex conversinone prius facta,

corporis veri, crucifixi, sepulti, resuscitati,

et sanguinis in cruce effusi,

Domini nostri salvatoris et redemptoris nostri,

Jesu Christi fiat nobis sumentibus sacramentaliter et spiritualiter,

salus per gratiae augmentationem et animae attritionem mentis et corporis, per fomitis repressionem seu remissionem et rebellionis moderationem,

et ad vitam aeternam finalem beatitudinem,

capiscendam praeparatio salutaris per spiritualem: unionem membrorum cum capite, sumentium, cum Christo.

Agnus Dei innocens et immaculate,

qui tollis peccata dimittendo

mundi ea divina autoritate

miserere nobis. Peccata nobis non imputando.

Agnus Dei obmutescens coram persecutoribus sicut ovis coram tondente.

Qui tollis peccata mundi poenas remittendo.

Miserere nobis. Tuis servis et famulis.

Agnus Dei masuetissime ac benignissime

qui tollis peccata mundi patrem reconciliando

dona nobis pacem finalem, beatificam, aeternam, pacem cum Deo, pacem cum proximo, pacem cum conscientia nostra.

Domine Jesu Christe salvator benignissime
qui dixisti iturus ex hoc mundo ad patrem
Apostolis tuis a te electis et ad evangelii praedicationem missis,
pacem do vobis veram salvantem, non quomodo mundus dat pacem damnabilem,
pacem meam relinquo vobis, ut vobiscum maneat in aeternum.
ne respicias peccata mea, ne imputes ad repellendam orationem meam tanquam exauditione indignam.
Sed fidem Ecclesiae tuae, quam tibi desponsasti, sponsae sanctae et gratia purgatae
eamque secundum voluntatem tuam, qua venisti pacificare omnia sive quae in coelis, sive quae in terris sunt,
pacificare, ab infidelibus et persecutoribus eruendo
et coadunare in fide et caritatis vinculis
digneris, quatenus in bonis pacificata, in malis custodita, in caritate adunata, intus et foris a te recta tantae communionis habeatur digna.
Qui vivis et regnas cum patre in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.
Pax tecum quam osculo pacis signo repraesento
et sit
cum spiritu tuo.
Domine dominator universalis omnium
Jesu hominum salvator
Christe spiritu sancto unite.
Filii Dei vivi per aeternam generationem tibi naturam divinam communicantem,
qui ex voluntate misericordissima te ad hominis liberationem mittente
patris tibi consubstantialis,
cooperante spiritu sancto, cujus tecum et cum patre una et individua est substantia
per mortem tuam spontaneam crucis amaram,
mundum homines in mundo existentes,
vivificasti, per gratiam animae infusam a te meritam
libera me hoc sacrificium offerentem
per hoc sacrosanctum pro omnibus sanctum
corpus et sanguinem tuum pro nobis patri in cruce oblatum, et sub his speciebus nobis in cibum paratum, quem parasti enim in dulcedine tua pauperi Deus,

ab omnibus iniquitatibus meis, animam de formantibus *et universis malis* praesentibus, praeteritis et futuris.

et fac me et eos pro quibus offero

tuis semper obedire universaliter per plenam voluntatis subjectionem

mandatis jugum enim tuum suave et onus tuum leve,

et à te neque hoc in saeculo per peccatum, nec in futuro per damnationis sententiam irrefragabilem

unnquam separari permittas, semper me custodiendo sicut oculi tui pupillam

qui cum Deo patre in unitate eiusdem Spiritus sancti vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum Amen.

Perceptio manducatio salutaris

corporis veri

tui Domine Jesu Christe salvator mundi

quod indignus ego presbyter tuus

sumere, manducare

praesumo, non ausu temerario sed tuo constrictus praecepto

non mihi proveuiat terribile contra peccatores: Ite maledicti etc.

in judicium, qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit,

et condemnationem perpetuam animae et corporis,

sed pro tua pietate, qua pro nobis mori dignatus es

prosit mihi celebranti

ad tutamentum, defensionem securam,

mentis et corporis et ad medelam corporis et animae

percipiendam, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem emnem dulcedinen sapientem, Manna Angelorum tanquam exa hominum in deserto peregrinantium, corpus Christi de caelo descendens sub panis specie latens,

accipiam ego peccator homo qui tibi peccata mea confiteor, ego peregrinus famescens cibo indigens spiritali non corpus sed animam nutriente,

et firmatus verbo tuo, vocatus a te

nomen Domini suavis et benigni et milis et super mel dulcis, pietate plenum et misericordia,

invocabo laudans laudabo in cordis jubilatione ut gratiam conferat qua me tanta participatione dignum reddat.

Domine non sum dignus ex mea justitia, sed ex tua gratia

ut intres sub tectum meum corporis vere et realiter et animae eum inhabitando per gratiam spiritualiter,

sed tantum dic verbo tuae virtutis, qui verbum es patris

et sanabitur velis me mundare et mundabor,

anima mea a peccatis tibi displicentibus et me facientibus indignum,

Und das Wort „Sancta Sanctis“, das der Diacon zu allem Volke ausrief, schallet noch in meinem Gemüthe nach, seitdem ich es in der Kirchengeschichte gelesen hatte. Sailer a. a. O. S. 147.

Corpus Domini pro peccatorum totius mundi expiatione in cruce immolatum et pro mundi vita sub sacramento nobis datum

nostri Jesu Christi custodiat in unitate fidei catholicae et in omni tentatione

animam meam in hora separationis a corpore

in vitam aeternam felicem et beatam. *Amen.*

Quid i. e. nihil ex me habeo condignum beneficiis divinis

retribuam compensando

pro omnibus donis naturae, fortunae et gratiae,

quae retribuit multipliciter creando, justificando, cibo coelesti nutriendo,

mihi indigno et immerito?

calicem salutaris poculum salutis, sanguinem salvatoris pretium redemptoris

accipiam sitibundus cum desiderio et gratitudine

et nomen Domini datorem ineffabilis munificentiae qua se ipsum donatum in pretium iterum donat in cibum et salutis nutrimentum

et ab inimicis daemonibus saluti meae adversantibus,

meis defensus, ne praevaleant malis suis artibus et machinationibus,

salvus ero. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Sanguis Domini nostri Jesu Christi, qui fons est, et lavacrum nostrae emundationis et pretium redemptionis a me potatus,

custodiat animam meam in vitae innocentia et cordis puritate ne recidam in peccata

in vitam aeternam in consortium sanctorum dominum laudantium in saecula saeculorum. *Amen.*

Wenn diese stille (nun eintretende) Unterhaltung des Gemüthes mit Christus sich selber aussprechen könnte, so fände sie sicherlich keinen passenderen Ausdruck, als diesen:

Wahrheit — Gott mache mich Eins mit Dir in ewiger Liebe. Sailer a. a. O. S. 179.

Quam aurea venerabilis vivi verba, omnibus inculcanda.

M. d. M.

Quod sacramentum corporis et sanguinis

ore sumpsimus sacramentaliter

Domine Jesu

pura mente sincera per fidem et caritatis decotionem

capiamus sumptione spirituali

et de munere temporali in tempore praesenti ad animae vegetationem concesso,

fiat nobis remedium sempiternum praeservantiam a recidiva et conservativum in gratia perseverans in vitam aeternam. *Amen.*

Corpus tuum verum et naturale

Domine Jesu redemptor

quod sumpsi sub panis speciebus,

et sanguis tuus verus et proprius,

quem potavi sub vini speciebus

adhaereat per gratiam et efficaciam virtutis

visceribus meis non corporalibus, quae sunt viae ejiciendarum superfluitutum, sed spiritualibus animae quae sunt intellectus et voluntas principia operationum humanarum

et praesta ut in me sumente

non remaneat scelvrum macula, ulla culpa animam deturbans,

quem pura et sancta gratia plenitudine formata ab omni peccata macula

refecerunt sacramenta species panis et vini

qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Dominus vobiscum ut maneat in vobis per gratiam in aeternum;

Et cum spiritu tuo populus idem sacerdoti imprecans respodet.

Oremus. Ait celebrans: scilicet in una sacramenti gratia uncti.

Ite, ad propria redite,

Missa est. Hostia salutaris finita V. missae officium finitum est.

Deo gratias a quo nobis donatum est tantum sacramentum ipsi soli sit laus, honor, gloria et gratiarum actio per immensa saeculorum saecula.

Placeat acceptum sit et gratum

tibi sancta Trinitas Deus unus, pater, et filius et spiritus sanctus

obsequium missae a te institutum et tibi offerri praeceptum

servitutis meae gradus et ordinis mei,

et praesta ut sacrificium veri corporis et sanguinis Christi,

quod oculis omnia nude contuentis

tuae Majestatis indignus ego presbyter ex me, dignificatus tamen ex te

obtuli tibi sit acceptabile non tantum ex se sed etiam quantum est ex offerente

mihique sacerdoti

et omnibus fidelibus vivis et defunctis'

pro quibus illud obtuli, sit te miserante misericorditer concedente

probitiabile pro diluendis culpis, pro redimendis poenis, pro conferendis spiritualibus donis, *per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Ite missa est cum dicimus ad populum nos convertimus, quem discedere jubemus; cum autem Benedicamus Domino dicimus, nos non ad populum sed ad altare id est ad Dominum vertimus, ne populus statim discedat sed ut Dominum adhucdum benedicat. Microlog l. c. cap. 46.

Sacri Canonis Expositio.

Odonis episcopi Cameracensis viri religione ac eruditionis venerabilis.

Quia DIGNUM ET JUSTUM FST nos tibi gratias agere:

TE IGITUR CLEMENTISSIME PATER ROGAMUS, ut sacrificium hoc accipias a nobis. Et quia nostras voces supplici confessione admittis, te igitur clementissime pater per Jesum Christum filium tuum supplices rogamus et reale sacrificium acceptari: ut laudes vocum substantiale sequatur sacrificium.

ROGAMUS AC PETIMUS. Rogatio humilitatem, petitio confidentiam ostendit. Qui aliquid implorat, ostendere debet humilitatem, et de impetratione confidere. Itaque supplices rogamus, confidenter petimus. Unde scriptum est: petat a Domino nil haesitans (Jacobi I.) qui enim haesitat similis est fluctui maris. Et iterum: quidquid credentes petieritis accipietis.

UTI ACCEPTA HABEAS ET BENEDICAS. Accepta i. e. grata et placita. Accepta habeas, culpis nostris data venia; non offensus, imo nostra devotione placatus.

ET BENEDICAS multiplicando gratiam, augendo dignitatem, imo convertendo in excellentissimam immortalitatis et incorruptionis naturam.

HAEC DONA, quae tibi donamus, ut tibi maneant per tuam benedictionem firmata.

HAEC DONA, quae tibi donamus, ut apud te consistant per tuam benedictionem incorrupta.

HAEC DONA, quae tibi donamus, ut fiant tibi Deus assumpta. Siquidem V e r b u m c a r o f a c t u m e s t.

HAEC MUNERA. Solemus illos munerare, a quibus aliquid molimur obtinere.

HAEC MUNERA, quibus te in pane terreno muneramus, ut obtineamus panem coelestem.

HAEC MUNERA, quibus in corporali cibo te muneramus, ut alimentum inde spirituale consequamur.

HAEC MUNERA, quibus te muneramus in substantia panis et vini, ut percipiamus inde corpus et sanguinem Christi.

HAEC SANCTA SACRIFICIA ILLIBATA, — SANCTA quia Deo oblata.

ILLIBATA, quia adhuc integra et intacta. Neque enim contingi debent, donec sumpserint vim spiritualem, et conversa fuerint in Christi corpus et sanguinem. Nam prius sumpta, corpus tantum pascerent. Unde quidam superioribus adjungunt quod sequitur, sic distinguendo, illibata inprimis: i. e. intacta primum quousque divina benedictione munita, ad salutem sumantur animae et corporis. Et hoc verbo admonemur, ut appositus panis integer sit et nulla fractione vel laesura violatus.

IN PRIMIS QUAE TIBI OFFERIMUS PRO ECCLESIA TUA SANCTA CATHOLICA.

INPRIMIS, quod superioribus jungitur secundum praedictum sensum, jungitur etiam inferioribus: significando, quod offeramus hostiam, primum pro tota Ecclesia, deinde pro aliis quae sequuntur.

QUAM PACIFICARE ab hostibus visibilibus et invisibilibus: ut nec hominum persecutionibus conculcetur, nec instinctu daemonum criminibus polluatur.

CUSTODIRE in ipsa pace.

ADUNARE ne schismatibus ullisque haeresibus dividatur, sed in unitate sacramentorum catholicae fidei in omnibus tota adunetur Ecclesia.

ET REGERE DIGNERIS TOTO ORBE TERRARUM ut in suis Conciliis, dispositionibus, judiciis, decretis, institutis, actionibus nullo decipiatur errore, et in omnibus tuo ducatur moderamine.

UNA CUM FAMULO . . . . FIDEI CULTORIBUS. De toto descenditur ad partes. Ut cum inprimis pro tota Ecclesia oratio fieret, postea de singulis solliciti simus. Alio namque tota Ecclesia eget regimine, alio singulae Ecclesiae, et alio singuli homines. Alia cura exhibenda est rebus publicis, alia privatis. In tribus autem personis pro quibus orandum proposuit, hoc observandum videtur, ut pro VERO PAPA, et ANTISTITE, et REGE, orent reliqui presbyteri.

ORTHODOXIS i. e. vita et doctrina gloriosis, quorum fama dilatatur in populo, merito vitae et doctrinae.

FIDEI CULTORIBUS non fidem tantum habentibus. Aliud enim est fidem habere, et aliud fidem colerè. Fidem colit, qui studet et intendit secundum fidem vivere, cum multi fidem habeant, qui hoc non faciant.

II. PRIMA Periodus hucusque protensa pro tota Ecclesia, omni-

busque fidei cultoribus orat. SECUNDA quae hic incipit, pro praesentibus se accingit, qui sancti sacrificii sunt adstipulatores et cooperatores.

Memento..........circumstantium i. e. memento quidem eorum quos supra proposui, i. e. omnium catholicae fidei cultorum, tam masculorum quam foeminarum et omnium circumstantium, scilicet, qui corporaliter adsunt, sanctorum cooperantes mysteriorum. Neque enim ego tanta sufficio sacramenta conficere, nisi collectae multitudinis adjutus oratione, quamprius etiam adorationes hortatus sum, dicendo: orate fratres. Et sicut prima periodus, a toto descendit ad partes, ita secunda haec ab universali procedit ad particulare. Omnes vero circumstantes, particulariter sequuntur. Et, ne praesentibus intersint aliqui fidei praevaricatores et vitiosae vitae, subjungitur:

QUORUM TIBI FIDES COGNITA EST ET NOTA DEVOTIO i. e. qui probatae fidei sunt, et dispositionis apud te. Cognoscere etenim Dei, approbare est. Aliter: memento Domine famulorum famularumque tuarum. Et quia consequens in quibusdam codicibus (Missalibus) invenitur littera *N*, aliquorum fieri memoriam nominatim, significatur. Unde quidam usu tenent hoc in loco memorandi, quos cariores habent, consequenter subjungentes: Et omnium circumstantium, ut facta memoria carorum absentium, fiat et astantium. Et omnium circumstantium. Cum primitus Missae sine collecta non fierent, postea mos inolevit Ecclesiae, solitarias et maxime in Caenobiis fieri Missas. Et cum non habeant, quam pluraliter collectam salutent, nec plurales mutare possunt salutationes, convertunt se ad Ecclesiam, dicentes se Ecclesiam in Ecclesia salutare, et in corpore totum corpus alloqui, et virtute totius communionis in Ecclesia confici sancta Mysteria per gratiam Dei: nec esse quemquam alicubi fidelium, qui vivificorum non fiat particeps et cooperatorius sacrosanctorum, dum in corpore Ecclesiae adhaeret capiti, velut utile membrum secundum quem sensum, in hoc loco circumstantes accipiuntur omnes ubique fideles, qui in unitate totius corporis, et sibi invicem adhaerent, et summo capiti: ut quidquid boni fiat in toto corpore, ab eo nullo modo fit alienus, quisquis ab eo ipso corpore non est divisus, sed omne bonum cuilibet membro in salubrem succum ministretur, ut totum corpus vegetetur a spiritu Dei. Et hoc modo repetitur oratio, quae prius facta est pro omnibus catholicae fidei cultoribus a solitariis dicentibus frequenter iterandas orationes, ut saltem importunitate vincatur Deus. QUORUM TIBI FIDES COGNITA EST i. e. Ideo Domine, memento omnium circumstantium, omnium scilicet fide-

lium, quia eorum tibi fides cognita est et nota devotio. Sic intelligunt hunc locum solitarii.

PRO QUIBUS TIBI OFFERIMUS V. QUI TIBI OFFERUNT. Non solum sacerdotes et Clerus, qui secundum diversos gradus divinis occupantur officiis offerunt, sed etiam audientes, qui votis assistunt et orationibus ut cooperantes et osculo pacis tanquam communicant, quod actum est, confirmantes.

HOC SACRIFICIUM LAUDIS. Vere laudis est divinae hoc sacrificium, sicut in hoc officio testati sumus; dignum et justum est, aequum et salutare, Deo patri gratias agere, et cum laudibus angelicis precati sumus nostras voces admitti.

PRO SE SUISQUE OMNIBUS. Offerimus pro nobis, quando sacrificio poscimus Deum habere, et tutorem contra pericula corporis et animae, et propitium ad obtinendos successus bonos in utraque parte. Pro nostris omnibus quando oramus pro amicis nostris et rebus. Supplicamus enim pro pace amicorum, quando sunt in bello, pro tranquillo reditu, si sint in itinere; pro sanitate, si in infirmitate decumbunt; pro conversione, si perverse vivunt, et contra amicorum commoditates, ut adjuvante Deo evadant. Invenimus frequentes pro rebus nostris in libris Missalibus postulationes (varias). Oramus enim tempore sacrificii contra incendia, pro locis nostris: contra nimiam aëris siccitatem, vel tempestatem, pro fructibus nostris; contra pestem; pro animalibus nostris; contra alia damna, pro rebus aliis. Habemus enim secundum Apostolum. 1. Tit. 4. in Christo consolationem praesentis vitae et futurae.

PRO REDEMPTIONE ANIMARUM SUARUM. Hoc enim est solum sacrificium quo redimi potuimus, cujus bonum sufficit contra nostrum malum quod majus est bonum, quam peccatum nostrum sit malum, et ideo majori pretio redimit nos a nostro malo.

PRO SPE SALUTIS, ET INCOLUMITATIS SUAE. Hoc sacrosanctum sacrificium, non solum nos a malis liberat, sed etiam nos bonis accumulet, non solum a poenis nos eripit sed etiam auget gaudia salutis et incolumitatis. Salutis inquam aeternae animarum; incolumitatis, i. e. incorruptionis perpetuae corporum, et hoc est pro quo offerimus tam pretiosum munus.

TIBIQUE REDDUNT VOTA SUA. Offerendo sacrificium laudis, reddunt tibi vota sua. Aliter forsitan vota sua non redderent, nisi tale sacrificium offerent. Adjuvantur sacrificii virtute, ut queant reddere vota; Difficile est vitia comprimere; virtutes in habitum

trahere. Sed ut haec vota queant reddere sancti, a Deo necesse habent roborari.

AETERNO DEO VIVO ET VERO. Ad differentiam falsorum Deorum et insensibilium, quibus gentes frustra solvebant.

COMMUNICANTES tibi offerunt sacrificium laudis, tibique reddunt vota sua communicantes. Extra communionem namque non est locus offerendi Deo verum sacrificium vel vota solvendi.

ET MEMORIAM VENERANTES. Aliter Deo gratum non offerimus sacrificium, aliter Deo utiliter vota non solvimus, nisi veneramur memoriam sanctorum. Qui enim membra Christi non honorat, nec Christum, qui caput est honorare potest. Et qui non honorat filium, non honorat, eum qui misit illum. Honoremus ergo caput in membris, Deum in sanctis suis: ut eorum meritis precibusque, in omnibus protectionis divinae muniamur auxilio.

INPRIMIS GLORIOSAE . . . . . . DOMINUM NOSTRUM. In veneratione sanctorum haec ratio custodienda est, ut primum et super omnes Beata Dei Genitrix honoretur, secundo Apostoli, tertio s. Martyres; inde alii sancti omnes.

HANC IGITUR OBLATIONEM, quia hoc sacrificium tibi offerimus, in corpore Ecclesiae communicando, et memoriam sanctorum venerando.

Igitur hanc oblationem, precamur, ut placatus accipias: ut scilicet si peccatis nostris praepedimur, communione saltem sanctae Ecclesiae et sanctorum tuorum veneratione placeris, ad accipiendum quod tibi offerimus, sacrificium.

SERVITUTIS i. e. cleri, qui tibi secundum diversos acceptos gradus in hac sacrificii oblatione servimus.

SED ET CUNCTAE FAMILIAE TUAE i. e. totius assistentis collectae. Solitarii sic intelligunt, servitutis nostrae, i. e. me, cum meo ministro, sed et cunctae familiae tuae, i. e. cunctae Ecclesiae.

QUAESUMUS DOMINE . . . . GREGE NUMERARI. P. C. D. N. Diesque nostros in tua pace disponas. Signanter tua posuit. Est enim pax mundi, est et pax Dei. Pax mundi inutilis, pax Dei salubris. Pacem constituit mundus, ut libere uti liceat voluptatibus. Pacem sanctis dat Deus, ut mandatis intenti divinis secure studeant virtutibus.

III. In superioribus periodis, prima scilicet et secunda, oravimus pro Ecclesia, pro fidei cultoribus, pro astante collecta. Haec tertia periodus quam ingredimur, maxime occupatur circa sacrificium,

ut fiat perfectum, et in aliam mutetur substantiam immortalem et incorruptam.

QUAM OBLATIONEM . . . . . . ACCEPTABILEM. In omnibus benedictam: Benedictam gloria, ut fiat gloriosa: Benedictam immortalitate ut fiat immortarlis; Benedictam incorruptione, ut fiat incorrupta: Benedictam divinitate, ut fiat Deus. Transit ad partes a toto, ut universalis benedictionis partes imprecetur hostiae, cui universam benedictionem fuerat imprecatus, ut cum prius posuerit in omnibus benedictam, particulariter subjungat, adscriptam, et ratam, et rationabilem, et acceptabilem, quae sunt partes omnimodae benedictionis.

ADSCRIPTAM. Scimus, quia in Trinitate quae Deus est, filius sit splendor paternae gloriae, et figura substantiae ejus. Qui ergo figura et imago est patris, patrem imaginatur et affigurat, quasi sculptura quaedam ejus, vel scriptura in qua pater splendet; i. e. bene apparet, ut recte filius dicatur splendor ejus.

Est ergo pater insculptus atque inscriptus filio, cujus figura filius est et imago, ut filius sit ejus scriptum, quem sibi habet inscriptum. Aliter filius dicitur scriptum, qui habet in se formam omnium rerum, sic enim omnia creata sunt, ut divini verbi formae digesserunt: nec aliter in essentiam prodierunt, quam in verbo summo formae dictaverunt. Non sunt ibi aliud formae, aliud ipsum verbum, ubi nihil est aliud et aliud, sed omnia sunt idipsum: ut quamvis formarum diversitas intelligibiliter ibi subluceat, non sunt tamen omnia nisi unum et idipsum verbum. Et quamvis ibi est vera et perfecta unitas, ibi tamen, secundum creatas res quaedam apparet diversitas: sicut cum semel Deus locutus est in psalmo (16), propheta duo intelligit in uno verbo. Unde scriptum est. Joan. 1. quod factum est, in ipso vita erat, factum est de nihilo, erat tamen in verbo: factum est crealiter, erat aeternaliter. Erat in summa arte, factum est in re. Vivebat in ratione artificis formaliter, factum est in realitate subsistendi substantialiter. De nihilo prodiit, ut substantialiter esset, quod factum est. In verbo vivebat, ut formaliter esset antequam substantialiter esset. Factum est multiplex, verbum est simplex. In verbo simplex erat quod multipliciter factum est. Mirabiliter videtur in uno pluralitas, in simplici multiplicitas. Videtur et non comprehenditur. Potest videri, nequit explicari, quomodo unum verbum inscriptum sit omnibus formis omnium rerum, sicut alibi scriptum est: calamus scribae velociter scribentis. Ps. 44. Pater est scriba, qui verbo suo velociter inscribit omnia. Velociter scribit, quia alterum non moratur pro altero. Velociter scribit, quia sine

mora scribit omnia. Est ergo filius Dei, verbum scriptum. Sed et corpus assumptum, recte dicitur scriptum. Sicut enim vox transitoria scribitur, ut quae per se fugit, scripto permaneat: sic corruptibile aliquid scribitur, cum in incorruptum transit, ut quod corruptione transitorium erat, scripto incorruptionis permaneat. Sic ergo corpus Christi quoddam scriptum est, quod de passibili carne impassibile factum est in resurrectione, et de pane terreno quotidie fit coelestis, super altare. Sic ergo in Christo, et verbum dicitur scriptum, et corpus etiam nihilominus dicitur scriptum. Quid autem est adscriptum, nisi scripto appositum scriptum? Est ergo corpus Christi non solum scriptum, sed etiam adscriptum, i. e. scripto appositum scriptum, i. e. verbo corpus adjunctum. Quando igitur oramus hostiam fieri adscriptam: quid aliud optamus, nisi ut quae adhuc est panis corruptibilis, substantia fiat incorrupta, i. e. de voce fiat scriptum scripto, i. e. verbo, adjunctum. Fac ergo Domine nostram oblationem adscriptam, i. e. scriptum scripto adjunctum, ut pretiosum Christi corpus fiat, verbo Dei adunata, et in unitate personae conjuncta.

RATAM. Ratum dicimus, quod certum et fixum habemus. Fiat ergo rata, i. e. non remaneat instabilis et mutabunda corruptione, sed permanens et fixa fiat incorruptione et ideo certa.

RATIONABILEM. Sanguis taurorum et vitulorum non sufficit nos expurgare a peccatis. Minor enim est ad hominem. Pro homine ergo rationali, rationalis hostia sufficit sola. Fiat ergo nostra hostia rationalis; siquidem homo assumtus a verbo, ex anima rationali et humana carne subsistit. Fiat hostia nostra rationalis, ut hominem verum pro hominibus offeramus, et in hostia rationali Deus propitietur hominibus. Fiat — rationabilis ut offeramus rationabiliter. Nam qui offert emundari non studens, offert irrationabiliter. Qui offert cor habens impoënitens irrationabiliter offert; sicut Cain recte quidem offerens, sed non recte dividens. Recte quidem obtulit Deo, sed non recte divisit, quia emendari non studuit. Unde scriptum est (Genes. 4.). Ad Cain et ad munera ejus non respexit. Nam quem Deus non novit, nec oblationem ejus recipit. Pessimi namque hostia irrationabilis est, sicut scriptum est (Proverb. 58.). Qui non audit legem, ejus oratio execrabilis erit. Fiat ergo rationabilis hostia, ut rationabiliter eam cum timore et poenitentia offeramus Vel fiat rationabilis hostia, i. e. pro rationabili et recta vel honesta causa. Si quis enim offerat, ut, quae furto ablata sunt, reinvenire, seu hostem occidere, vel rapinam perpetrare, seu nummos aut gratiam acquirere valeat, rationabilis non dicitur offerendi causa, ideo

nec acceptabilis est talis hostia. Hostia ergo nostra, et merito offerentium, et offerendi causa fiat rationabilis, ut consequenter fiat etiam acceptabilis.

ACCEPTABILEM. Non potest non esse acceptabilis, quae superiores tres species recipit omnimodae benedictionis. Non potest Deum odisse Deus. Sed quia caritas est Deus, diligit Deum Deus, et acceptabilis Deo est hostia quae Deus est. Quid ergo oramus fieri acceptabilem, quae non potest displicere? Nam quae acceptabilis est per se, displicet pro offerente. Pro offerente respuitur, quae, quantum sua refert acceptatur. Acceptatur pro sanctis, non acceptatur eadem ipsa pro impiis. Pios adjuvat, impios damnat. Piis prodest ad salutem, impiis nocet ad damnationem.

UT NOBIS CORPUS . . . . JESU CHRISTI. Posuerat ergo in omnibus benedictam, subjunxit quatuor species: adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem. Sed haec omnia clausa erant, minus intelligebantur, minus patebant; aperuit ostium, patefecit totum, scilicet ut nobis fiat corpus et sanguis Christi. Hic totum completur, totum hic perficitur, ut fiat corpus et sanguis Christi tantum. Solum Christi corpus et sanguis, hostia in omnibus benedicta, adscripta, rata, rationabilis, acceptabilisque; ut nobis corpus et sanguis fiat. Signanter posuit nobis, i. e. catholicae fidei cultoribus. Nobis; exclusit paganos, exclusit Judaeos, exclusit haereticos. Nobis communicantibus, memoriam sanctorum venerantibus. Non est enim locus veri sacrificii, extra catholicam Ecclesiam.

QUI PRIDIE . . . . . . MANUS SUAS accepit panem adhuc panem, nondum carnem.

ET ELEVATIS . . . . . BENEDIXIT. Benedixit, suum corpus fecit, qui prius erat panis, benedictione factus est Caro, modo Caro, jam non panis.

AC FREGIT. O! miraculum! frangebatur inter digitos, sedens incolumis inter discipulos, integer praesens erat et in partes dividebatur: in manibus seipsum tenebat, et de manibus discipulis se porrigebat edendum. Hoc signabat David, qui secundum aliam translationem coram rege Achis se in suis manibus ferebat. 1. reg. 21. Sic nos quotidie Christum in Altari consumimus, et permanet, manducamus, et vivit, dentibus atterimus, et integer est. Consumimus autem, manducamus et atterimus, non tantum spe sed et re, non solum forma sed et substantia. Et miro consumitur modo permanens, atteritur incorruptus, distribuitur indivisus; sicut post resurrectionem, palpandum praebuit spirituale Corpus (Joan. 21.). Cum

simili contrarietate non sit palpabile quod spirituale est, nec sit spirituale quod sit palpabile. In specie enim et sapore panis et vini manducamus et bibimus ipsam substantiam corporis et sanguinis, sub eisdem qualitatibus mutata substantia: ut sub figura et sapore substantiae prioris, facta sit vera substantia Christi corporis et sanguinis.

DEDITQUE . . . . CORPUS MEUM. Patet, quod panis accepta benedictione factus sit corpus Christi. Non enim post benedictionem dixisset: Hoc est corpus meum, nisi in benedictione fieret corpus suum.

SIMILI MODO . . . . CALICEM. Si Christus accepisset calicem Coenae, dicitur hunc accepisse. Unus ergo calix est hic et ille. Nisi enim unus sit, dici non potest in illa hunc accepisse. Est ergo unus etiam, quando in altari manibus accipitur ut benedicatur, et nec dum sanguis est, sed est adhuc vinum, propter unitatem fidei, et illius cui et in cujus honore fideliter offertur. Ea enim fide quotidie accipitur benedicendus, ut modo fiat, quod tunc futurus erat. Et quia haec fides una est in tota Ecclesia, et ille unus cui tunc et modo offertur; ideo et calix cum accipitur, etiam ad verba divina est unus: sicut et omnium Ecclesiarum altare dicitur unum, quia in eo secundum unam fidem, unum dominici corporis offertur quotidie sacrificium.

PRAECLARUM dicit calicem adhuc vini, usque dum statim fiet praeclarus, quando sanguis erit, sicut scriptum est: calix meus inebrians quam praeclarus est (Ps. 22.) vel ad comparationem ejus quem obtulit Melchisedech, et caeterorum veteris testamenti. Vel propter praeclaram illius Majestatem cui offertur. Uude et in sequentibus dicitur: offerimus praeclarae Majestati tuae — Calicem — Metaphorice id, quod continet pro eo, quod continctur, i. e. vas pro liquore vini et aquae.

IN SANCTAS . . . . BENEDICIT i. e. sanguinem suum fecit.

DEDIT . . . . MEI. Intransitive dictum est: et est secundum figuram casus pro casu. Calix sanguinis mei, ac si diceret, calix, scilicet sanguis meus. Similiter hic patet, quod benedictione fuerit factus sanguis, ad benedictionem enim praemissam subdidit: hic est calix sanguinis mei.

NOVI ET AETERNI TESTAMENTI. Novum enim Evangelii testamentum, in aeternum confirmavit sanguine mortis suae. Sic Abraham oblatis ovibus et bobus cum Abimelech et Phicol (Genes. 21.) principe militiae percussit foedus: i. e. percussit oves et boves

in foedus, ut sanguine animalium et morte foedus confirmaretur. Et Jacob fugiens in Galaad facto juramento cum avunculo suo Laban (Genes. 31.) immolavit victimas, ut sanguine victimarum foedus juramenti confirmaretur. Et Moyses ut confirmaret testamentum quod accepit in Sina, victimae sanguinem aspersit Yssopo, in totum populum, et tabernaculum.

Non possum non hic iterum allegare opus De Maistre de sacrificiis, in quo evidentissima ac pulchra methodo argumenta enumerat, ut semper et ubique sanguinem terram irrigasse oportuerit, et conclusionem totaliter reddit in sensu sacrificii Ecclesiae catholicae figuram fuisse sacrificii propitiatorii in cruce. Imo sanguis terram cum coelo propitiantis stillicidio suo sitientem piaculo expiavit, irrigavit ac foecundavit.

M. d. M.

MYSTERIUM FIDEI pertinet ad fidem catholicam, credere post benedictionem esse verum sanguinem, ut infidelis sit qui hoc non crediderit. Item dicitur Mysterium quod sensibilibus tegitur occultum, sicut veritas sunguinis latet in sapore vini, latet et in specie. Calix ergo altaris est misterium fidei, quia sub figura et sapore vini occultus creditur verus sanguis. Est mysterium fidei, quia quod creditur sensibilibus quibusdam obtegitur. Nam verus sanguis creditur, quod vinum visu sentitur et gustu. Est fidei mysterium, quia quod fides credit, intus est occultum. Intus est verus sanguis, vera fide exterius est falsum vinum, vera specie. Sentitur vinum et non est: Non apparet sanguis et est. Sensus decipitur qualitate, certa tenetur fides rei veritate. Ideoque sanguis dicitur fidei mysterium, quia sanguinem credit fides intus occultum. Apertum est quod sentitur, occultum est, quod creditur Etsi quid occultum est, fidei est: sicuti quod patet, est sensus. Est ergo sanguis mysterium fidei, siquidem occultus pertinet ad fidem.

QUI PRO VOBIS .... MULTIS. pro vobis scilicet praesentibus: pro multis, paganos et Judaeos discernit, et falsos christianos.

HAEC QUOTIESCUNQUE. Nam sine hac memoria non conficimus dominici corporis et sanguinis sacramenta. Tolle verba Christi, non fiunt sacramenta Christi. Vis fieri Christi corpus et sanguinem? Appone Christi sermonem. Facit sermo veritatis quod dicit, quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt (Ps. 48.). Sine dubio fit in creatura, quod Christi sermo dicit de creatura (Sap. 18.) Est enim omnipotens sermo tuus o Genitor. Fit ergo sermone Christi corpus et sanguis Christi (1 Cor. 11.), quae quoties verbo potenti

sumimus, mortem Domini donec veniat memoramus. Et ne sub his Mysteriis haec memoria refugiat a nobis, subjungit:

UNDE ET MEMORES . . . TUI i. e. qui secundum Cleri gradus acceptos, officio hujus sacrificii deservimus, vel (secundum solitarios) hic in praesenti ministramus.

SED ET PLEBS TUA SANCTA, quae pro veneratione hujus sacrificii, hic est in praesenti devote collecta: vel secundum solitarios in unitate Ecclesiae fideliter ubique viventium.

EJUSDEM CHRISTI . . . . . . DATIS. Donum est ad dandum, etiamsi non detur, paratum. Donum est, quod dari potest. Datum vero quod in alterius possessionem jam est translatum, quod de possibilitate jam prodiit ad actum, quod jam possidetur. Corpus ergo et sanguis Christi, sunt Dona a Deo nobis parata. Dona sunt, quae utiliter dari possunt. Dona sunt vera sed in Coelo in Christo collocata. Data vero quando fiunt nobis de creatura panis et vini: Data quando sumimus in altari, quando reficimur inde sensualiter. Dona in coelo. Data in terra: Dona apud Deum in Christo, data super altare in sacramento. Dona in coelo nuda et aperta, data in altari tecta sensibilibus et occulta; tamen hic et ibi, eadem vera.

HOSTIAM PURAM. Antea veteris legis hostiae de irrationabilibus animalibus carnales erant, squaloribus spurcitiae carnalibus, nidoribusque plenae et dentium contritione in foeces et stercora redactae; haec autem hostia pura est, quia quamvis caro vera sit et sanguis tamen spiritualis et incorrupta. Dividitur, et consumi non potest. Consumitur et incorrupta manet. Teritur et est illaesa. Frangitur et est integra. Haec hostia caro est, et non carnalis, sed incontaminata lux: et ideo pura. Corpus est et non corporalis, sed spirituale lumen, et ideo pura. Pura mundans, pura purificans: pura, quia divina, purior luce corporea.

HOSTIAM SANCTAM. Hostiae quidem veteres erant sanctae, sed non per se sanctae; sed quia typum gerebant hujus hostiae sacratae. Illae imperfectae erant, et ideo minus sanctae. Ista perfecta, et ideo plene sancta. Illae dimittebant peccatum unius, ista tollit peccata totius mundi. In illis tantum erat remissio, in hac autem plenum est pretium et perfecta redemptio. Illae impetrabant veniam debiti, sine solutione; haec reddit debitum plena recompensatione. Ideo haec plene et perfecte sancta, illae sanctae, sed minus et imperfectae.

HOSTIAM IMMACULATAM, i. e. sine omni macula culpae, utpote concepta et nata sine peccato et deinde sine culpa vixit in

mundo, ideo immaculata. Nata quidem est de humana carne, sed sine conditione propagationis humanae: ideo immaculata. Est sine viro de sancta virgine concepta: ideo immaculata. Est concepta sine humano opere, sola virtute divina (Matth. 1.) ideo immaculata. Non enim potest initium habere culpabile, opus quod solus Deus fecit, et non alius: ideo immaculata. Hominis enim initium, qui sine humana administratione, solo Deo autore creatus est quamvis de massa peccatrice (Luc. 1.) non possumus culpare, nisi Deo velimus peccatum adscribere, ideo immaculata. Tamen de pura ab omni peccato Virgine, creditur conceptus et natus: ideo immaculata. Ex quo enim angelica salutatione audivit, gratia plena, creditur purificata fide etiam reliquum vitae, custode spiritu sancto, vixisse sine omni culpa. Ab immaculata ergo sumpta est haec hostia, ideo et ipsa immaculata. Ex hoc loco admonemur, quod panis altari appositus esse debet candidissimus, et in quo nulla possit inspici macula ut hoc appareat in figura quod praedicatur de substantia, ut pura et immaculata videatur exterius figura cujus substantia dicitur interius pura et immaculata.

PANEM VITAE AETERNAE. Cum panem audis ne putes esse qui fuerat ante benedictionem, ne decipiaris mutata substantia. Prius erat panis. modo non est panis, sed sola Caro (Joh. 6.), sed panem dixit, quasi diceret cibum, sicut scriptum est (Ps. 77.). Ego sum panis vivus. Et panem Angelorum manducavit homo (Galat. 9.) quomodo est panis vitae aeternae, qui sumitur a multis ad damnationem? hujus panis virtus, fides est, quae per dilectionem operatur? Est enim et panis mysterium fidei, sicut de calice dictum est. Sumptus ergo sine fide, non proficit. Namsi hic panis est mysterium fidei, i. e. occultum, quod sola cernitur fide: quid prodest sine fide sumi, quod sine fide non cernitur? Oculum perdidisti, quid caeco prosunt in arca divitiae? (Cor. 11.) quid prodest divitias humanae redemptionis in te recondere, quas non vides oculo fidei perdito? Unde scriptum est: qui manducat et bibit corpus et sanguinem Domini indigne, judicium sibi manducat et bibit (1 Cor. 11.). Nam ille manducat indigne, qui manducat sine fide, quae per dilectionem operatur. Est ergo hic panis vitae aeternae, non iis quidem, qui tantum ore sumunt, sed iis, qui etiam mente, non qui premunt dente, sed qui tangunt fide. Unde scriptum est: noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum (Joh. 20.) ac si diceret: vis me manibus tangere, vis me corporaliter tangere: non sic, fidem tuam

volo. Fide me tange, crede ad patrem me ascendisse: i. e. me esse aequalem patri.

ET CALICEM SALUTIS PERPETUAE, quod diximus de pane, idem potest dici de Calice, et quod dictum est vitae aeternae et Calicem salutis perpetuae.

SUPRA QUAE . . . . . . HOSTIAM. Finis respicit ad principium. Supra quae, scilicet sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, respicere digneris, et accepta habere: ac si diceret: supra quae respicias et accepta habeas, ideo quia sanctum sacrificium sunt, et immaculata hostia: ut qui de merito nostro diffidimus, Majestate tanti sacrificii adjuvemur. Cur autem oramus patrem propitium et serenum esse super hostiam, et eam acceptam habere qua nihil habet acceptius, quamque semper propitius et serenus respicit? Inde enim scriptum est: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (Matth. 5.) Sed ad offerentes hoc est referendum, ut qui pro peccatis tenentur et de se diffidunt, hostiam acceptabilem sibi praetendant, ut ejus sicuto se protegentes, sub ea propitium sibi patrem serenumque deposcant, et ei se acceptos desiderent, sub ea quam nunquam non acceptabilem dubitant; ut dum patri per seipsos non audent offerre (ne malis irritent), dilectum filium proponant, ut subeant, et sub ejus tutela ante conspectum patris introeant. Oramus ergo ut acceptabilis haec hostia sit, placeatque pro nobis. Ut, cum offerrimus quod placet, placetur nobis Deus. Unde et exempla sanctorum adhibentur, Abel justi, Patriarchae Abrahae, summi sacerdotis Melchisedech: ut sicut eorum sacrificia Deus acceptavit, eis propitiando, ita suscipiat hostiam hanc nostri miserendo. Melchisedech sacerdos summus dicitur, qui inter sacerdotes illius temporis habebatur.

SUPPLICES te ROGAMUS . . . . . MAJESTATIS TUAE. Et hic mirum est, quomodo oramus corpus et sanguinem Domini in conspectu Dei perferri, cum scriptum sit: quia Christus semper assistit vultui patris, interpellans Deum pro nobis, et legimus, quia Christus ascendens ad coelum, super omnia exaltatus est sedens ad dexteram patris. Quomodo ergo perferri oramus Christum, ubi semper est? Sed superius vultum patris propitium ac serenum fieri super hostiam Filii rogabamus, non quod Filio suo Pater possit esse severus, sed ut sub occasione filii, patris propitiationi nos ingeramus, ut pro amore filii misereatur nostri, et quasi filium parvi pendat, si pro eo nos non recipiat. Ita et hic, rogamus patri perferri filium, qui semper est apud eum pro nobis, ut votum et devotio nostra, per filium

veniat ad patrem, et virtute tanti sacrificii vota nostra proferantur ante conspectum Dei, quasi filius ad patrem non ascendat, si devotio nostra illuc non proveniat. Tali rogamus ratione, ut sicut Christus ante discipulos a terra translatus est in coelum, et factus invisibilis in conspectu ipsius postea missurus spiritus sancti donum: ita hostia haec ab altari terreno, super quod immolatur, in altare sublime ante conspectum Dei transferatur, ut inde omni benedictione coelesti et gratia repleamur: ut quae visibiliter tractatur in terra invisibiliter operetur in coelo. Hic oblata, ibi accepta: non mutatione loci vel temporis accessu, ut coeptus ab hoc loco translationis motus, ad alium postea perficiatur locum. Sed snb eodem loco, qui panis erat, fit verbi caro. Non transfertur loco, ut de pane fiat caro. Transfertur tamen ab altari ad coelum, quia transfertur de pane ad Deum; sed quia Deus est ubique, non fit loci mutatione ut conjungatur Deo de pane facta caro. Transfertur intus ad Deum invisibiliter, nec movetur exterius ab altare visibiliter; oblata in altari devotione hominis, accepta in coelo propitiatione Dei. Tunc enim a Deo quasi acceptatur, quando Deus nobis propitiatur, et coelestis benedictio nobis ab eo mittitur. Sed Christus juvamine non eguit Angelorum, quando sua virtute ascendit in coelum. Quid ergo rogamus hanc hostiam perferri per manus Angeli ante conspectum Dei, cum Angelorum officia non sint huic perlationi necessaria? Sed hoc est quod dictum est, quia perlatione corporis et sanguinis Christi rogamus vota nostra perferri. Sunt tamen nobis Angeli deputati, qui offerunt quotidie Deo vota nostra: Unde Scriptum est quia Angeli eorum semper vident faciem patris. Oramus itaque sub occasione Christi, perferri vota nostra per manus Angeli, ut vota bona perferant boni Angeli, sub praetextu tanti sacrificii.

SUPPLICES TE ROGAMUS OMNIPOTENS DEUS. Supplicamus tibi, curvamur ante te, obnixius deprecamur: ostende omnipotentiam, extende manum validam, ut quae propitio ac sereno vultu respicis, etiam ad invisibilia et sublimia tua perferantur, et conspectui Majestatis admittas. Hic necessitas incurvationis, hic opus supplicationis, hic incumbit consummatio totius nostri laboris: ut haec hostia perferatur in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae (Matth. 17.). Quid est hoc? Quid est perferri hostiam in sublime altare, nisi ovem humeris imponi pastoris? Et quid est ovis humeris imposita, nisi homo assumptus a verbo? et quid est sublimius verbo Dei? Quotidie sibi assumunt fideles verbum Dei, participatione hujus sacrificii. Verbum ergo Dei sublime altare est,

ad quod oramus hostiam perferri in conspectu Dei et per eam nos introduci. Conspectus Dei est verbum patris, in quo conspicit omne quod fecit (Joh. 1.). Nam omne quod agit pater, in verbo ejus est. Nam quod factum est, in ipso vita erat. Et in principio creavit Deus coelum et terram, i. e. in Verbo. Et Verbo Domini coeli firmati sunt (Genes. 1.). Et omnia sapientia fecisti (Ps. 32—103). Quid rectius dicitur conspectus Dei quam sapientia sua, in qua conspicit omne quod agit? Hostiam ergo perferri in sublime altare, in conspectu Dei, quid est, nisi oblationem nostram conjungi verbo, verbo uniri, fieri Deum, ut per eam nos in Deum assumi et vota nostra acceptari?

UT QUOTQUOT .... REPLEAMUR. AMEN. Habet Ecclesia altare visibile in terra, est et altare invisibile in coelo apud Deum. Hostia quam in hoc altari Deo offerimus, Deo conjungitur, et fit Deus. In hoc sacrificio terrena conjunguntur coelestibus — creatura Deo. Cum de hoc altari sumimus creaturam, accipimus de sublimi Deum. Cum hic corpus et sanguinem Christi sumimus, de Coelo Deum accipimus, in quo omni benedictione coelesti et gratia replemur. Sumimus hic visibiliter, corpus et sanguinem Christi, sumimus invisibiliter de coelo, quo perlata sunt, benedictionem et gratiam Dei. Sumimus (inquam) gratiam et benedictionem, siquidem digne sumimus Christi corpus et sanguinem. Nam qui indigne sumit, ore quidem sumit, et deinde terit corporaliter sed nihil proficit spiritualiter. Imo qui Christi corpus et sanguinem sumit indigne, judicium sibi manducat et bibit (1 Cor. 11.). Ideoque rogamus ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, inde quo perlata sunt, omni benedictione coelesti ac gratia repleamur.

Hac tertia periodo, quae in confectione corporis et sanguinis Christi sudavit, hucusque finita, sumit hinc Exordium quarta, quae confecto corpore et sanguine Christi, redit ad rogandum pro mortuis, fidentior exaudiri patrocinio sacrificii.

MEMENTO ETIAM DOMINE, hic solet fieri memoria amicorum et familiarium defunctorum.

IPSIS DOMINE. Ipsis, quorum memoriam fecimus, et postea reliquis omnibus indulge.

NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS. Scilicet qui officium hujus sacrificii celebramus praesentes: vel secundum solitarios, quo in corpore Ecclesiae per totum terrarum orbem fideliter tibi servimus,

totum vero textum, qui sequitur nescio verbis aliud facere planiorem usque.

PER QUEM HAEC OMNIA. Per quem dictum est relative ad hoc, quod dixerat, per Christum Dominum nostrum. Sed mirum est, quod dixit pluraliter. Haec omnia bona, cum corpus et sanguis Christi non sit nisi unum. Sed in uno Christi corpore, sunt multae formae et cum una sit substantia, multae sunt figurae quod enim opponuntur panes tot manent figurae, substantiarum pluralitate conversa in uno corpore: ut visibiliter appareat pluraliter, ubi est invisibiliter substantia. Unitas, et unum sit individuum in substantia, ubi multiplex est figura. Apponuntur panes figura plures, et substantia fiunt unum corpus Christi: manet figurarum pluralitas, cessat pluralitas substantiarum. Est unum individuum, apparent plura. Proinde modo sicut est, modo sicut apparet, de corpore Domini loquimur. Saepe dicimus, in distributione corporis dominici hostias multas expendimus, vel pluribus hostiis, multos uno corpore Christi refecimus, in uno vasiculo monstrantes, et eorum quae apparent pluralitatem et ipsius substantiae invisibilis unitatem, cum hostias plures et unum dicimus corpus. Sic et in hoc loco dicimus: haec omnia bona, omnes scilicet hostias, quas in orbe toto immolat Ecclesia. Quae quidem si sensibiles intueris qualitates, infinitae sunt numero, si substantiam, sanguis est unus, et una caro: quae semper a Deo creatur, quia qui semel verbi sui corpus creavit de Virgine, quotidie de pane creat ejus carnem, et de vino sanguinem.

SANCTIFICAS, quotidie sanctificat, oratione sacerdotis, et cooperatione Spiritus sancti.

VIVIFICAS. Quotidie vivificat, corpori prius inanimato dans vitam. Unde et prius dicebatur rationabilis, haec hostia.

BENEDICIS. Quotidie benedicit, quomodo superius eam precabamur, in omnibus fieri benedictam, et quatuor species subjunximus benedictionis.

ET PRAESTAS NOBIS. Quotidie praestat nobis corpus filii sui, quia, quod est apud patrem in sublimi, quotidie praestat nobis in altari. Et quod apud eum Donum est in coelo, apud homines datum est in terra.

PER IPSUM. Per quem pater de pane carnem creat, sanctificat, vivificat, benedicit, et praestat: per eundem ipsum filium, est Deo patri, cum Spiritu sancto, omnis honor et gloria. Est honor et gloria patri per filium, sicut scriptum est: Pater manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi (Joh. 16.). Et: pater clarifica

filium tuum, ut et filius tuus clarificet te. Habet enim honorem et gloriam pater cum filio, cum quo communem habet potentiam et divinitatem. Nam cum quo habet omnia, cum ipso habet etiam honorem et gloriam. Habet etiam cum ipso honorem et gloriam pater, in quo est. Nam scriptum est: Pater in me est, et ego in patre. Quia pater est in me, ideo quidquid habet pater, habet in filio. Non enim habere potest, nisi in ipso in quo est.

OREMUS. PRAECEPTIS. Cohortatur orare subdens causam, quia sumus inde salutari praecepto moniti. Lege Evangelium, et in venies praeceptum. Cur hanc solam orationem praecedit adhortatio, cum plures in hoc canone faciamus, et ad nullam hortati sumus? Quia illae sunt inferiores, et humana ratione compositae, haec perfecta, et a solo Deo formta. Unde et sequitur:

ET DIVINA INSTITUTIONE FORMATI, sicut narrat Evangelium. Dominum rogabant Apostoli: doce nos orare. Et Dominus informavit eos, hujus orationis institutione.

AUDEMUS DICERE. Audacia videtur et praesumptio, homines infirmos divina proponere, nisi essemus formati divina institutione. Audemus obedientia, non audacia. Audentes audacia rei sunt. Audentes obedientia, laudandi. Ausus obedientiae bonus: audacia superbiae, mala. Et sicut orandi causa subjuncta est, quia praeceptum est, ita audendi causa praecessit, quia inde sumus divina institutione formati, oremus ergo, quia inde sumus praeceptis salutaribus moniti et audemus dicere, quia sumus inde divina institutione formati. Nam ideo oramus, quia inde praeceptum accepimus; ideo audemus, quia nos pavidos ad hoc Deus animavit. Dedit praeceptum orandi ad salutem, dedit fiduciam audendi propter timorem.

PATER NOSTER. Dominicam orationem non expono, quia multos patres exposuisse reperio. Nec oportet hic ponere quod multis in locis promptum invenire.

LIBERA NOS QUAESUMUS. Facta confirmatione dominicae orationis dicendo. AMEN. Totus textus, qui sequitur pro venia peccatorum orat, et pro pace: suo principio sumto de fine orationis dominicae, qui orat contra peccata, dicendo.

SED LIBERA NOS A MALO. Deinde sequens textus incipit pro peccatis, dicendo: libera nos quaesumus Domine ab omnibus malis. Deinde sequitur pro pace: Et ab omni perturbatione securi. Iterum pro pace sequitur.

PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCUM. Deinde pro peccatis iteratur: AGNUS DEI . . . . . . MISERERE NOBIS. Iteratur pro

pace: DONA NOBIS PACEM. Et sic finis et consummatio sacrificii fit de pace ut maneamus in pace. Unde in consummatione sacrificii osculum sumimus, quo et in sacrificio assensum et participationem ostendimus et quod debemus in pace manere signamus.

Videtur mihi, utile miscere dulci, quapropter hic addo ex Michaëlis Episcopi syndoniensis ac suffraganei Moguntini Missae sacrificio Coloniae apud J. Quentel anno 1549 sacrosancti canonis Missae succinctam et dilucidatam explicationem ex veterum et probatissimorum autorum expositionibus paraphrastice congestam.

TE IGITUR CLEMENTISSIME PATER. Quoniam tues sanctus ille et magnus exercituum Dominus, qui Majestate gloriae tuae coelos et terram imples, qui nos juvare et potes, quoniam Dominus omnipotens es, et vis, quoniam pater es clementissimus.

PER JESUM CHRISTUM FILIUM TUUM D. N. per quem nos, qui inimici eramus, tibi reconciliati adoptionem filiorum tuorum accepimus, quem quoniam tibi placere vocis tuae testimonio cognovimus, nos quoque per ipsum tibi placere posse nihil haesitamus, quem non immerito pro impetranda salute apud te interponimus, siquidem per illum nobis salutem donare dignatus es. Qui ut nihil non apud te valet, filius dilectus apud patrem, ita pro nobis valet omnia, suaque merita vult nobis apud te prodesse, quoniam Dominus noster est, qui pretio sanguinis sui emptos sibi servos fecit, ut a damnatione liberatos, ad aeternam assereret salutem.

SUPPLICES ROGAMUS. Nihil de dignitate et meritis nostris praesumentes cum multa animi humilitate te precamur.

ET PETIMUS. Utique fiducia de pristina tua in nos caritate capientes, ut qui nos, cum inimici essemus, donato filio reconciliaveris tibi, nunc multo magis reconciliatos, et suppliciter orantes sis exauditurus, facturusque votorum compotes.

UTI ACCEPTA HABEAS ET BENEDICAS. Quoniam nos tanti Mysterii exequendi fiduciam in nobis non habemus, tu ipse consecrator existens, per tuam benedictionem, et tibi grata, et nobis salutaria efficias.

HAEC DONA, quae te largiente accepimus de manu tua, unde omne bonum ad nos descendit.

HAEC MUNERA, quibus te vicissim gratis animis remuneramur, nunc quidem in pane terreno, ut mox a te impetremus coelestem, et pro cibo et potu temporali spirituali alimonia saginemur.

HAEC SACRIFICIA ILLIBATA. Non quibusvis donis et mu-

neribus (qualia etiam homini ab homine rite exhiberi queunt) te censemus honorandum, sed velut Deum verum, et universorum Dominum sacrificiis placamus, quae, ut a nobis de pura et nullà commixtione aut contactu vitiata panis et vini substantia seliguntur, et ad hos sacros usus destinantur, ita tunc vere sancta, et pura, et tibi placita erunt, cum per tuam benedictionem sacrosanctum dilecti Filii tui corpus et sanguis efficientur.

INPRIMIS QUAE TIBI OFFERIMUS, quae cum ingenti fiducia ante conspectum tuum exhibemus, nihil haesitantes, quin, quae petierimus, a te impetremus, tam efficaci et grata hostia apud te ambientes.

PRO ECCLESIA TUA SANCTA CATHOLICA, quam ex omnibus gentibus congregatam, et amplitudine sua omnes orbis terminos complectentem, antequam tua fieret, et a diaboli servitute ad tuam veniret, foedam et omni vitiorum sorde contaminatam, singulari devotionis affectu, Filii tui pretioso sanguine emundasti, ut eam tibi exhiberes sanctam, quae cum nunc, sicut ab initio saeculi, Christo capiti, cujus sanguine mundata et redempta est, conjuncta adhaereat, et spiritu Christi impleatur, et ad sanctimoniam quotidie voto, proposito, professione annitatur, merito et est, et appellatur sancta.

QUAM DIGNERIS PACIFICARE, ne hostili incursione, aut internis etiam motibus turbetur.

CUSTODIRE, ne ex dolo inimici vitiorum zyzaniis conspurcetur.

ADUNARE. Ut sit cor credentinm unum, et idipsum dicant omnes, nec Christi corpus aut schismatibus disçindatur, aut haeresibus dividatur, sed in una fidei professione et consimili sacramentorum usu tota Christi ecclesia perseveret.

ET REGERE, ne in consiliis et dispositionibus suis ullo decipiatnr errore, sed inter mundi hujus adversitates, quibus huc atque illuc impellitur, in vera fidei rectitudine immobilis perseveret.

TOTO ORBE TERRARUM, quae licet locorum spatiis divisa sit, per ejusdem tamen fidei professionem, et eundem spiritum unione, firmissima conjungitur.

UNA CUM FAMULO TUO PAPA NOSTRO N. Qui curam suam super universam ecclesiam extendens, unionem mystici corporis cum ipso capite Christo proxime connectit.

ET ANTISTITE NOSTRO N., per quem in mystico Christi corpore secundo gradu constitutum, et curam nostri magis particularem gerentem a supernis in nos communio unitatis descendit.

ET REGE NOSTRO N., qui potentia et armis justitiam, pacem-

que conservans, Ecclesiae tuae in hoc terreno regno quietum praestat domicilium, cui hoc debemus, ut tranquillam vitam agentes, tibi in omni pietate et castitate servire valeamus.

ET OMNIBUS ORTHODOXIS . . . . CULTORIBUS, qui de sancta fide tua rectam sequuntúr opinionem, his praecipue, qui non solummodo rectam tenent fidem, sed eandem etiam bonis actionibus et sanctitate vitae excolunt. Illis etiam, qui sine peccato omnino non sunt; sed humana fragilitate labuntur, veniam pro lapsu et conservantem in bono gratiam hoc sacrificio praecipue petimus, sed et pro his omnibus supplicamus, qui visibili hoc confessionis fidei, et sacramentorum cultu nobiscum et cum patribus conveniunt, licet hi infirmitatis vel ignorantiae, vel etiam malitiae peccatis gravioribus teneantur, quos tu tamen nondum abste per excommunicationem velut inutiles palmites succidisti. Quibus secundum immensam misericordiam tuam, veniam et remissionis gratiam concedere digneris, ut peccatorum suorum poenitentiam duci et quae in sacro Baptismo polliciti sunt, praestare possint. Maxime vero etiam pro iis obsecramus, qui datis eleemosynis aut piis desideriis per hujus sacrificii virtutem sese expetunt adjuvari.

MEMENTO . . . . . . TUARUM N. N. Tibi quidem boni et mali noti sunt, quoniam in omni loco oculi tui contemplantur bonos et malos; sed tuae miserationis oculum ad hos potissimum advertere, et eorum meminisse digneris, mei ipsius imprimis, qui nequaquam merito meo, sed dignatione et miseratione tua tanti mysterii executor assisto. Parentum etiam meorum, qui me genuerunt et aluerunt, et qui me disciplinis, et doctrina pietatis excoluerunt, Similiter eorum, qui me beneficiis juvarunt. Eorum etiam, qui vel verbo vel facto me offenderunt, quibus ex animo condono, tuae miserationis et veniae, qua vehementer indigeo, vicem a te expectans; sed et eorum, quibus ego verbo factore scandali occasionem objeci: in quibus bonitas tua clementer instauret, quod méa malitia depravavit. Et eorum omnium pro quibus, ut orem, debitorem me agnoscis.

ET OMNIUM CIRCUMSTANTIUM praesertim, qui corporali praesentia nobiscum congregati, hujus sacrificii cupiunt fieri participes.

QUORUM TIBI . . . . . . DEVOTIO siquidem singuli pro fidei suae ac devotionis mensura, spiritualis gratiae fructum percipiunt Tametsi non dubitemus, nec desperemus, etiam malos et peccatores ab ecclesiae sanctae suffragiis nondum exclusos; bonorum et fidelium

devotione et fide adjuvari, ut citius per tuam misericordiam a peccatis liberentur.

PRO QUIBUS TIBI OFFERIMUS. Cum dilectus Filius tuus, ut omnes homines tibi reconciliaret, pro delendis omnium peccatis in cruce hostiam seipsum appenderet, nos eandem oblationem tibi repraesentantes, pro omnium salute ambimus, ut a te pio Domino et bonis perseverantiam, et malis impetremus conversionem.

VEL QUI TIBI OFFERUNT, qui spiritu et devotione nobis cooperantes, quod nos in ministerio agimus, ipsi fide et voto perficiunt, optantes semper se Filii tui meritis apud te commendari et adjuvari.

HOC SACRIFICIUM LAUDIS. Vere sacrificium laudis. Quis enim ora nostra a tua lande claudat, quoties hujus tanti beneficii tui memoriam recolimus, quo unigenitus et dilectus filius tuus sacrosanctam carnem suam et sanguinem suum PRETIUM IN PARITER, et in cibum nobis destinavit, ut carnis et sanguinis sui pretio a morte nos redimeret, et alimento ad vitam aeternam enutriet.

PRO SE SUISQUE OMNIBUS. Pro vitae suae ac earum rerum omnium, quae ad conservandam vitam pertinent, incolumitate, ut de tua misericordia et benignitate, et praesentis et futurae vitae obtineant consolationem.

PRO REDEMPTIONE ANIMARUM SUARUM. Recte sentientes, nullo alio sacrificio animas suas a peccati servitute, et aeternae mortis reatu redimi ac liberare posse, nisi illa salutari victima unigeniti Filii tui, qui seipsum propitiationem fecit pro peccatis totius mundi, cujus oblationis memoriam sub hoc mysterio recolentes, fructum ejus sibi applicari, et appropriari fide et devota prece elaborant.

PRO SPE SALUTIS ET INCOLUMITATIS SUAE. Sperantes salvatoris nostri Jesu Christi meritis, non solum animarum suarum salutem, sed et corporum suorum incolumitatem, et in alia vita perpetuam incorruptibilitatem se obtinere posse, quatenus in ipso et praesentis et futurae vitae inveniant consolationem (1. Tim. 4.).

TIBIQUF REDDUNT VOTA SUA. De corde suo pias affectiones, et bonas operationes depromunt, quas reddunt tibi, quasi de tuo, non dant de suo, siquidem et bonae operationis suae voluntatem pariter et facultatem de tua gratia sumunt, teque tuis donis colunt.

AETERNO DEO VIVO ET VERO. Dii enim, quos vanus gentium error confinxit, aut non aeterni sunt, ut homines; aut non veri et aeterni ut Daemones; aut nec veri, nec aeterni, nec vivi ut simu-

lacra. Tu solus Deus aeternus et vivus et verus es, et vitam et durationem omnibus rebus praestans.

COMMUNICANTES ET MEMORIAM VENERANTES. Nos quidem, qui ad illam aeternam patriam adhuc in via peregrinantes anhelamus, communionem cum sanctis, qui jam pervenerunt per eundem fidei Spiritum et vinculum caritatis, quorum eisdem nectimur, obtinemus et bravium illud vitae aeternae, quod ipsi jam secure possident, nos spe certa — quae non confundit — exspectamus; quod ipsi facie ad faciem contuentur, nos per fidem videmus, et ex parte cognoscimus visuri — ubi illuc pervenimus — facie ad faciem, et cognituri sicut cogniti sumus, horum nos memoriam veneramur, tibi gratias agentes, qui eos, cum natura infirmi et confirmasti, ut contra diabolum, mundum et vitia dimicantes, non sua, sed tua virtute robusti superaverint, et coronam justitiae a te justo judice receperint, quorum meritis consociari et precibus adjuvari postulamus.

IN PRIMIS . . . . . CHRISTI. Quam (quia salutis nostrae et propinquae redemptionis nuntium prima audire, et salvatoris nostri mater esse te dignante meruit, et de castissimis visceribus suis redemptorem mundi protulit, eique carnem, quam pro nobis hostiam faceret et sanguinem, quem pro delendis peccatis nostris funderet, de purissima carne sua et sanguine ministravit. Cui se gratiae tuae, quae aliis per partes praestatur, semel tota plenitudo infundit, unde meritorum ac virtutum omnium singulari privilegio exuberavit), nos non immerito, non illo quidem, qui tibi Deo soli debetur, sed supra omnes creaturas, ampliore cultu et honore veneramur.

SED ET BEATORUM APOSTOLORUM, qui mystici corporis Christi nobilissima membra, et sacrosanctae fidei nostrae Basis et fundamenta sunt, qui fidem tuam per totum orbem sparserunt, et in nobis quaeque solidaverunt.

AC MARTYRUM TUORUM, qui per varia tormenta, et crudeles mortes Filii tui passione assimilati, et ea quae desunt, passionum Christi in carne sua pro corpore ejus, quod est ecclesia, adimplentes, sparsas per totum orbem ecclesias, in fide Christi devoto pro tua gloria sanguine stabiliverunt.

PETRI ET PAULI. Illius quidem pro praerogativo, quod Christus ei contulit primi, hujus vero, pro promptitudine sua, et cumulato in Evangelii annuntiatione labore, pariter et fructu proximi. Quoniam qui operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est et Paulo inter Gentes, ut ille Judaeorum, hic vero gentium Apostolus et doctor designante Domino, existeret.

ANDREAE, quia ad unam jussionis vocem terrena relinquens, secutus est aeternae vitae praemia largientem, qui et fratrem suum Simonem ad sequelam Christi prior pertraxit; et discipulatum Christi in terris per similitudinem crucis, agone fortissimo et gloriosissimo finivit.

JACOBI, qui quoniam discipulatui Christi prior adhaesit, MAJORIS cognomentum sortitus est, Zebedaei filius, et frater Johannis Evangelistae, qui inter Apostolos primus dominica bella certavit, sub Herodis manu gladio peremptus, occumbens, novam adhuc, et florentem Martyrii Lauream laetus decerpsit.

JOANNIS, qui ad vocem Domini cum Jacobo fratre relicto cum Zebedaeo patre omni censu, Dominum secutus est, et castitatis privilegio ad intimam Christi familiaritatem et dilectionem admissus, secretorum ejus in suscitatione mortuorum, similiter et in Transfiguratione comes, et conscius fuit, qui in coena super pectus ejus recumbens, fluenta doctrinae de sacri pectoris fonte hausit, quibus totam irrigavit ecclesiam, cui Dominus mutuae dilectionis magna significatione, moriens in cruce, matrem ei commendavit. Qui ob confessionem Christi in dolium ferventis olei missus, incolumis evasit. Et cum Ecclesias Asiae, quas fundaverat, religiosa sollicitudine usque ad longam aetatem gubernasset: apud Ephesum, effossum tumulum vivus subiens, in terris amplius non apparuit.

THOMAE, qui resurgentis Domini manus et latus ad stabiliendam resurrectionis fidem, contrectans, incredulitatis vulnera de pectoribus nostris amputavit. Et post ascensionem ejus evangelicae praedicationi sedulo intendens, cum multos gentes ad fidem Christi adduceret, candentibus laminis adustus, inque ardentem fornacem conjectus, tandem lanceis confossus, apud Calaminam Indiae urbem et Martyrii Lauream et sepulturam accepit.

JACOBI qui MINOR appellatur, frater Simonis Taddaei, primus hierosolymitanus Episcopus, cognomento justus, et ab oris similitudine et sanctitatis imitatione frater Domini nuncupatus, qui e loco sublimi (quo ad negandum coram multitudine Christum a Pharisaeis adductus erat) fidem Christi, praeclaro testimonio celebrans, inde dejectus, et fuste fullonis percussus, vitam glorioso martyrio consummavit.

PHILIPPI, qui Christi Evangelium inter scythas annuntians, postea a daemonibus immissam depulit, et in nomine Christi multos aegros sanitati, multosque mortuos vitae restituit, tandem ab Hiero-

polym Phrygiae civitatem veniens, ab Hebrionitis acceptus, cruce affixus, et lapidibus obrutus est.

BARTHOLOMAEI. Cui in divisione, qua Apostoli orbem terrae verbo vitae capiendum inter se potiebantur, Licaonia sorte cessit, hinc Indiam Armeniamque peragrans, cum multos ad fidem Christi convertisset, variis affectus suppliciis ad augendos cruciatus, detracta etiam pelle, vitam Martyrio finivit.

MATTHAEI. Hic a telonio ad Christi discipulatum vocatus, post ascensionem Domini Evangelium in Judaea et Aethiopia annuntiavit, quod et hebraea lingua a se conscriptum edidit, post multa miracula Hirlaci aethiopum regis jussu, a cujus voto Iphigeniam Christi Virginem averterat, gladio inter sacra ad altare confossus, Apostoli et Evangelistae gloriam, adjecta etiam Martyrii corona cumulavit.

SIMONIS. Qui in cathedra hierosolymitana Jacobo successit, et post multos annos a Sittico consulari, eo quod de stirpe David et christianus esset, diris affectus poenis et cruci affixus, Domino, cui servierat, etiam mortis exitu meruit assimilari.

THADDAEI cognomento JUDAE, qui frater extitit Jacobi minoris et Simonis Chananaei, cui in Evangelii annuntiatione conjunctus, in Perside Christi doctrinam propagavit, ac multos gentes Mesopotamiam Pontumque incolentes ad fidem adduxit, et tandem in civitate sumaimir, cum idolis sacrificare nollet, adnitentibus pontificibus, gladio trucidatus est.

LINI, qui (primus) in pontificatu succedens Petro, tanta vitae sanctitate et fide (Romae) claruit, ut daemonia fugeret et mortuos redderet vitae, tandem a Saturnino consule, cujus filiam a morte excitaverat, capitali supplicio affectus est.

CLETI. Hic monente Clemente, cathedram Petri morte Lini vacuatam, invitus suscepit, in quo munere sollicite et religiose se gerens, a Domitiano acceptus, sanctam vitam glorioso Martyrio clausit.

CLEMENTIS. Hic a Petro Apostolo cathedrae Romanae successor delectus, ut ambitionem vitaret, ante se Linum Cletumque ad pontificatum provexit, ac tandem Petro quartus successit, qui mirabili pietate et doctrina plurimos Christi lucrifecit, jussu Trajani in insulam deportatus est, ubi christianis ad metalla damnatis et aquae penuria laborantibus, fontem miraculose patefecit. Postea anchora ad collum suspensa in mare projectus. Et (cum corpus ejus cedentibus aquis inventum esset,) in templo, eodem loco, quo fons divinitus emanaverat extructo, sepultus est.

SIXTI. Hic sub Decio accusatus, quod fidem Christi contra principum decreta annuntiaret, ad Martis templum, ut sacrificaret attractus, cum id facere renueret, cum sex diaconis, ipse cruci affixus, interfectus est.

CORNELII, quem in sede Petri sanctissime se gerentem, Decius imperator primo in exilium misit, in quo ipsum beatus Cyprianus datis acceptisque litteris crebro consolatus est. Decius vero inde revocatum ad sacrificia idolorum compelli, ac renuentem gladio feriri jussit.

CYPRIANI, qui ad fidem Christi conversus, cum substantiam omnem in pauperos erogasset, mox presbyter, deinde Episcopus carthagine constitutus, editis consummatae doctrinae multis operibus a paterno proconsule, cum a fide Christi abduci non possit, in exilium missus est, hinc a Galerio proconsule revocatus et in unius veri Dei confessione constantissime perseverans, gladio ictus, sanctam vitam praeclaro Martyrio consummavit.

LAURENTII. Hic admonitus a sixto jam ob Christi confessionem in carcerem detruso, thesauros Ecclesiae omnes in pauperes distribuit et comprehensus in carcere cuidem Lucilio coeco visum restituit, custodemque carceris Hyppolitum, cum decem et novem familiae ejus hominibus ad Christi fidem convertit. Et productus ad poenam, scorpionibus virgisque discissus, flagellis ac plumbatis caesus, denique super ferreum craticulum subpositis *) prunis ardentibus extensus et lento igne severissime discruciatus, summa in tolerantia et perseverentia sanctam animam efflavit.

CHRYSOGONI, qui Romae cum multis christianis comprehensus, et diu in vinculis detentus, tandem ad Diocletianum sic jubentem Aquilejam perductus, cum nec promissis, neque minis a fide Christi avelli posset, gladio percussus, occubuit.

JOANNIS ET PAULI. His secundum carnem fratribus et in fide Christi conjunctissimis, Julianus Apostata, ob magnas divitias, quas illis Constantia reliquerat, infensus, eos ad idolorum sacrificia compellere coepit. Illi vero avidum tyrannum thesauris inhiare sentientes, facultates omnes pauperibus diviserunt. Quos impia idolorum sacrificia constantissime abnuentes et in unius veri Dei confessione perseverantes jussu tyranni Terentianus praefectus intra domum obtruncavit, et sepelivit, rumore sparso, quasi ad exilium missi essent.

---

*) In originali tamen legitur SUPERPOSITIS.

Quorum sepulturam daemones in Terentiani filium ingressi prodiderunt atque hoc miraculo Terentianus cum filio ad Christi fidem pertracti sunt.

COSMAE ET DAMIANI, qui arte quidem medendi insignes, plures tamen virtute Christi infirmitates ab aegrotis depellabant; quos Lysias praeses Diocletiani comprehensos, crudelibus tormentis affectos, ligatis pedibus ac manibus in mare demersit, unde solutis vinculis incolumes evaserunt. Hic in rogum ardentem conjecti, cum nihilominus illaesi permansissent, postremo gladiis obtruncati, vitam una cum devoto pro Christi fide, sanguine profuderunt.

ET OMNIUM SANCTORUM TUORUM, qui per eundem fidei Spiritum et eodem caritatis vinculo agglutinati nobis, velut spiritales istius communionis cives, et ejusdem mystici corporis membra, indissolubili nexu nobiscum cohaerent.

QUORUM MERITIS . . . . . CONCEDAS, ut, si nos peccatis nostris praepedimur, et de actibus nostris tibi non placemus, saltem in ista communione, ut dilecti filii tui membra, ad gratiae tuae participationem admittamur, et fratrum nostrorum sanctorum et Electorum tuorum, favore et meritis adjuvemur. Quae quidem merita non ex suis naturalibus viribus sibi quaesierunt, sed misericordiae et liberalitatis tuae, ac Christi gratia praeveniente, e bonitatis tuae fonte hauserunt, ut actiones bonas, et apud te meritorias operarentur. Hinc enim (quoniam tubonus et fidelis es, et secundum voluntatem tuam laborantibus, mercedem liberaliter promittis, et fideliter praestas) sanctis operationes suae et merita secundum liberalem et gratuitam acceptationem tuam, et ipsis ad salutem, et nobis ad tuae divinae protectionis impetrationem prosunt. Horum ergo favore et precibus a te pio Domino flagitamus.

UT IN OMNIBUS . . . . . AUXILIO, ut te nos dirigente et muniente, et in perficiendis bonis fortes et idonei, et in evitandis malis cauti et tuti, auxilio gratiae tuae, bonis abundemus, et mala et noxia omnia caveamus.

PER CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, qui hanc nobis fiduciam dedit, et per nomen ipsius apud te ambientes, confidamus nos exaudiri, cujus meritis solida fiducia innitamur, credentes, omnes petitiones nostras in nomine ejus, i. e. propter dignitatem, reverentiam, et merita ejus a te exaudiri. In hujus solius nomine Angelorum aut sanctorum, tametsi enim ad Angelos et sanctos in coelis, aut ad fratres nostros in terris preces dirigimus, non tamen haec quaerimus ut ex seipsis aliquid nobis efficiant, in quorum potestate non est,

Filius tuus pro expiandis peccatis nostris in cruce appendit, quam nunc tibi repraesentamus, tuae miserationis oculos intendens, ex ejus meritis nos tibi acceptos habeas et gratos.

UT NOBIS . . . . . . JESU CHRISTI. Hoc est quod petimus. Hoc est, quod intimis desideriis et votis flagitamus, ut de terrena substantia, per tuae benedictionis potentiam, fiat nobis, (qui catholicam fidem tuam nulla impia opinione vitiatam, pure amplectimur) vera caro et verus sanguis Christi. Haec est sola hostia, omni benedictione repleta, sola aeterna et firma, sola tibi per se placens, sola ad expianda hominum delicta efficax, sola potens nos tibi reconciliare et aeternae vitae reddere consortes, ut simus haeredes tui, cohaeredes autem dilectissimi Filii tui D. N. Jesu Christi (Roman. 8.).

QUI PRIDIE QUAM PATERETUR. Hoc est decima quarta luna, qua nocte ipse Dominus noster tradebatur cujus nos temporis recordari oportet, ut admoneamur hanc admirandam conversionem, qua de pane et vino fit caro et sanguis Christi, non humanae operationis, sed illius effectus esse, quem ea nocte inter discipulos suos D. N. Jesus Christus exhibuit. Idem enim etiam nunc sacrosanctam Eucharistiam consecrat et conficit, qui tunc.

ACCEPIT PANEM. Ut, qui est plenitudo, veritatem imaginis, quae in Melchisedech praecesserat, adimpleret (Genes. 14.), et de pane et vino sacrificium offerens, vices sacerdotii sui, quod ei secundum ordinem Melchisedech juraverat, constitueret et in aeternum stabiliret (Ps. 109.).

IN SANCTAS . . . . . . SUAS. Ut, sicut prius attactu sacrosancti corporis sui, vim spiritualis regenerationis aquis immiserat, sic nunc panis et vini substantiae inderet virtutem, qua, accedente verbo suo in carnis et sanguinis sui transiret substantiam. Non enim ad tantam operationem infirmae hominis manus sufficerent, nisi in operatione tanti mysterii, summi sacerdotis Christi potentibus manibus adjuvaretur.

ELEVATIS . . . . . OMNIPOTENTEM. Manibus suis, quae de nostra carne erant, panem contrectans, oculos in coelum direxit, ut nos commoneret, hominis quidem Ministerio, sed divina virtute haec altissima et tremenda confici sacramenta.

TIBI GRATIAS AGENS. Non pro se, sed pro nobis tuam laudans bonitatem et misericordiam, secundum quam de pane et vino divinam efficiens substantiam animabus nostris per eundem ipsum

Filium tuum salutarem disponebat alimoniam, quae nos divinae consortes reddens naturae in aeternam enutriat vitam.

BENEDIXIT. Infundens in eum totius gratiae plenitudinem, qui in principio dixit, et facta sunt universa, in coena benedixit, et terrena transeunt in divina.

FREGIT. Non sui corporis substantiam, sed panis formam apparentem. Frangebatur inter digitos, incolumis sedens in mensa, integer se dividebat discumbentibus, et seipsum manibus suis tenens de manibus se praebuit discipulis manducandum, quem multi sumimus et integer perseverat, manducamus et vivit.

DEDITQUE DISCIPULIS SUIS, idipsum quod pro nobis traditurus erat in redemptionis pretinm prius dedit in vitae spiritualis alimentum.

DICENS . . . . . . OMNES sui vero discipuli omnes, nunc vero omnes fideles, ut omnes qui hujus sacramenti corporis et sanguinis pretio a morte aeterna redempti sunt, ejusdem salutari pabulo in vitam enutriantur aeternam, sub diversis specierum partibus totam dominici corporis substantiam percipientes, ut non aliud nec aliquid amplius multi sumunt, quam unus, quoniam omnes integrum manducant Christum, qui, ut non amplius mori, sic non per partes scindi, dividique potest.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM. Caro mea pro mundi vita, caro qualem aeternum Dei verbum pro redimendis vobis assnmpsi, non altera tantum compositi portio sed tota hominis assumpta substantia, integram continens naturae humanae veritatem, quoniam carne et anima compingitur, et veram retinens Divinitatem, cum humana natura inconfusa unione conjunctam.

SIMILI MODO . . . . EST. Post expletas enim agni legalis epulas, in utraque tam panis, quam vini specie hujus sacrosancti mysterii celebravit institutionem, ut per divisas species passionis suae (in qua a corpore ejus sanguis fusus ac separatus est), plenam exhiberet imaginem, sic novae legis et sacramentum condens et sacrificium.

ACCIPIENS . . . . . CALICEM, quem per fidem jam talem devota cogitatione et mente complectimur, qualis benedictione ejusdem Domini et salvatoris nostri mox futurus est, idem enim Dominus noster, et hunc calicem in coena benedixit, et nunc de vini creatura pretiosum suum efficit sanguinem, praeclarum reddens calicem, cum quem olim Melchisedech in hujus imagine obtulerat (Gen. 14) in

resurrectionis spem certam nobis infigens (1 Thessal. 4.), ascensio in coelum, qua carnem de natura nostra sumptam, coelestibus sedibus invehens, spem nobis ostendit, carnem nostram, utcunque ex se ipsa vilem et miseram, tamen ex dignatione ejus olim in coelo collocandam, qui vilitatem carnis nostrae in se ipso suscipere ideo non horruit, ut eam et in se, et in nobis efficeret gloriosam. Unde et passio ejus in nobis accendit caritatem et dilectionem, resurrectio confirmat fidem et auget fiduciam; ascensio laetificat et nutrit spem.

OFFERIMUS . . . . . DATIS. Tua enim sunt omnia et quae de manu tua accepimus, reddimus tibi, tu ex bonitate tua ad usum nostrum producis panis et vini substantiam, et ut tantae benedictionis et tam admirandae conversionis capacia fiant, tuam his infundis virtutem, et de terreno pane et temporali cibo, coelestem nobis praeparas alimoniam. Tu Filium unicum nobis donasti, et illum pro nobis gratam fecisti hostiam, quam nos subinde tuo repraesentare aspectui, et crebras offensas tuas, quas nostra delicta excitant, hostiae tam dignae et gratae interventione placare possemus.

HOSTIAM PURAM. Non ut olim de bestiarum carnibus hostiam nidore et immunditia fastidiendam, sed de Filii tui carne et sanguine hostiam, et in se mundissimam ac purissimam, et nostras etiam sordes purissime detergentem et corda nostra purificantem.

HOSTIAM SANCTAM. Omnia sanctificantem a qua sanctitatem hauriunt, quaecunque sive in coelo, sive in terra, sunt sancta. Ex cujus virtute omnes quae hanc praecesserunt legis veteris hostiae, sanctificationem suam sumpserunt, quatenus huic et significatione et mysterio serviebant.

HOSTIAM IMMACULATAM. Agnus enim est sine macula, intra purissimae Virginis intemeratae viscera, sine ministratione hominis, sola Spiritus sancti operatione conceptus, qui vitam omnis labis immunem traducens, nec peccatum in se admisit ullum, nec dolus inventus est in ore ejus (1 Petri 2.), qui de puritate sua redemptam mundat Ecclesiam, ut sit ipsa gloriosa, non habens maculam neque rugam (Ephes. 5.), sed ut sit sancta et immaculata.

PANEM . . . . AETERNAE. Non jam naturalem sed supersubstantialem et coelestem, qui dat vitam mundo: non qui corpus saginat, sed qui animae fulcit substantiam, in iis, qui non ore tantum, sed mente eum excipiunt, non qui terunt dente, sed qui tangunt fide: quem digne manducantes, hic vivunt in gratia, in futuro victuri in gloria.

ET CALICEM SALUTIS PERPETUAE, qui animas sanctorum inebrians, perpetuam praestat laetitiam, et plenam in illis consummat salutem.

SUPRA QUAE . . . . HABERE tuam super nos declares misericordiam, et quemadmodum unigenitus Filius tuus, nunquam non tibi dilectus est et gratus, sic nos in operatione nostra, qua ejus tibi beatissimam passionem sub Mysterio repraesentamus, tibi placentes, per eam tuam propitiationem impetramus.

SICUTI .... ABEL, qui de primogenitis gregis (genes. 14) et de adipibus eorum tibi offerens, sacrificium veri Agni, ab origine mundi occisi (Apocal. 15) in imagine praesignavit, ad quem et ad munera ejus placatus et serenus aspexisti.

ET SACRIFICIUM ...... ABRAHAE, quem ad tui jussionem, jam filii caede, ut petitum tibi sacrificium instrueret, occupatum de coelo vocasti, obedientiam et tui timorem in eo commendans (genes. 22). Qui pro liberato filio, arietem ab Angelo monstratum mactans, sub Mysterio insinuavit unigeniti Filii tui, non Deitatem sed humanitatem in sacrificio, pro liberandis nobis mactandam.

ET QUOD TIBI . . . . HOSTIAM Vere sanctum sacrificium et immaculata est hostia (genes. 14), quam nunc in terreno altari nostro tibi proponimus, qua sanctificantur universa, qua omnes nostrae maculae eluuntur, in qua peccatum nunquam adhaesit, nec dolus est inventus inore ejus (1 Pet. 2), sed et hoc erat sanctum sacrificium et immaculata ac tibi placens hostia, quam tibi protulit summus sacerdos Melchisedech, non autem tam per se grata erat, quam, quatenus hujus purae et immaculatae hostiae nostrae praefiguratam gerebat imaginem. Ipse enim in pane et vino oblationem perficiens, perpetuum Filii tui Domini nostri sacerdotium solus in sacerdotibus adaequata sacrificandi similitudine praesignavit. Sicut ergo hi tibi (in eo cultu quem te inspirante et jubente exercebant) fide, devotione et obedientia placuerunt, sic nos quoque Christi Filii tui jussa capescentes, et sacrosanctam carnem et sanguinem ejus ad memoriam passionis eius tibi sistentes, in actione nostra secundum dignationem tuam non secundum nostrum meritum gratos acceptosque habens, et fructum tam beatae passionis ad salutem nobis sempiternam accommodes.

SUPPLICES TE ROGAMUS prono etiam corpore te deprecantes, ut corporis inclinatione humilitatem mentis ostendamus.

OMNIPOTENS DEUS. His enim per supplicationis humilitatem tuam nobis omnipotentiam ambiendam, et validam manum tuam im-

plorandam censemus, ut potentiae et bonitatis virtute totius nostri laboris consummationem et fructum obtineamus.

JUBE HAEC . . . . . . TUAE. Scimus quidem hanc sacrosanctam hostiam, quae dilecti filii tui carne et sanguine constat, a te loci mutatione nunquam separari, sed conspectui tuo semper gratam, semper apparere acceptam, nec opus habere, ut aut deprecatione nostra aut Angelorum ministerio tibi repraesentetur et commendetur. Sed quatenus nos in illa sumus (unus enim panis et unum corpus multi sumus, quide uno pane participamus (1 Corint. 10) per illam nos tibi offerri ac commendari, et in tuam ingeri propitiationem flagitamus. Et quae a nobis visibiliter tractatur in terra, pro nobis apud te invisibiliter operetur in coelo, et in dilecto filio tuo, cujus membra sumus, quasi absconditi et sub tutela ejus latentes, ante conspectum tuum grati et accepti admittamur. Et sanctus Angelus tuus hanc operationem, devotionem, vota et preces nostras in virtute tanti sacrificii tibi proponens, celerem nobis et salutarem reportet exauditionem.

UT QUOTQUOT . . . . . REPLEAMUR. Ut dignatione et miseratione tua idoneos nos et dignos efficias tam salutaris sacrificii perceptores, ut quicunque vel ore, vel devotione, et fide eum, qui totius et benedictionis et gratiae fons est, de altari tuo sumpserimus, de coelo, gratia et benedictione repleamur.

PER EUNDEM C. D. NOSTRUM, per quem solum hanc nostrae oblationis operationem tibi placere, orationes exaudiri, et omne bonum nobis divinitus confidimus praestari.

MEMENTO . . . . . PACIS. Non tibi ingratos damnatorum spiritus ingerimus, qui nullam justae et piae servitutis obedientiam tibi unquam exhibentes inter famulos tuos censeri non debent nec eos tibi commendamus operarios iniquitatis, quos velut ignotos, et ingratos a te repellis (Matth. 7), quorum malitia offensus dedignaris admittere memoriam (Lucae 13), nec nominum eorum per labia tua recordaris (Ps. 13). Sed pro his rogamus famulis et famulabus tuis, qui in carne viventes, pii famulatus obsequio tibi detulerunt, qui in signo sacrosanctae fidei cristianae ante nos decendentes, licet corporibus separati, spiritualibus tamen nexibus etiam adhuc nobiscum colligantur et uno spiritu velut ejusdem mystici corporis tui nobiscum membra agglutinantur nobis, et caritatis vinculo connexi nobis adhaerent. Quos filius tuus pro omnium salute hostiam seipsum in cruce appendens, intra viscera sua portavit eosque pretiosae mortis et effusi sanguinis sui merito, procul dubio adjuvari ac sublevari

voluit. Cui per fidem insiti, et membra ejus affecti, et in eo absconditi, et per ipsum adducendi, resuscitationem et glorificationem corporum suorum spe certa expectantes, donec advenerit, in somno pacis conquiescunt (1 Thessal. 4). Illi itaque, qui Christi filii tui fideli signo conspicui hinc emigrarunt, ejusdem Christi meritis tibi commendentur, ut si forte propter offensas et imperfectiones suas suppliciis debitis, sed non sempiternis subjaceant, tanti sacrificii virtute et passionis ac mortis Christi meritis, omnimoda peccatorum suorum remissione percepta, ad gloriam beatitutinis tuae citius recipiantur.

N. ET N. Pro omnibus quidem ad te pium Dominum preces fundimus, quemque ab orationum nostrarum consortio, aut a sacrificii hujus utilitate excludimus, qui hujus capax existit, sed non immerito ardentioribus votis eorum tibi salutem commendamus, quibus nos arctioribus et propinquioribus caritatis et cognationis vinculis alligasti et quibus dilectionem ampliorem ex praecepto tuo debemus. Memento ergo in bonum, memento ad liberationem, ad miserationem, ad glorificationem parentum nostrorum, qui nos genuerunt, qui nos aluerunt laboribus suis et sumptibus, ac cura sua ad pietatem instruerunt, et utilibus disciplinis erudierunt.

MEMENTO cognatorum et domesticorum nostrorum et omnium, eorum quibus orationum nostrarum officia a nobis merito deberi agnoscis. Memento etiam eorum quibus aut verbo aut factis offensionem fuimus, et occasionem illis praebuimus, ut perpetrarent ea, prepter quae nunc justis afflictionibus obnoxii tenentur, quibus bonitas tua rependat, quod illis pravitas nostra nocuit. Similiter et eorum in bonum recordare, qui nobis nocuerunt, quibns spe veniae a te impetrandae, ex animo remittimur, quidquid in nos peccaverunt.

IPSIS DOMINE . . . . . NOSTRUM. Non diffidimus, non dubitamus, quin qui Filii tui signo conspicui, fide videlicet per caritatem viva et negotiosa imbuti et consignati hinc emigrent, in eodem Christo fidelium suorum salvatori, de salute sua certe tranquilla in pace conquiescant, etiamsi ad tempus afflictionibus et purgationibus exerceantur; donec penitus emundentur, et digni fiant in locum eum admitti, ad quem nihil inquinatum introibit (Apocal. 21) pro his nos tibi supplicamus, ut per virtutem sacrificii hujus celeriore venia impetrata, hanc quam spe certa comprehendunt, beatitudinem citius actuali possessione adipiscantur.

NOBIS . . . . . TUIS. Hanc salutarem hostiam, sive ministerio, sive voto tibi sistentibus, ex carnis nostrae corruptione et secundum

operationes infirmitatis nostrae, peccatoribus ex dignitatione autem, et miseratione tua, et secundum bonam voluntatem spiritus tui, etiam famulis tuis.

DE MULTITUDINE . . . . . SPERANTIBUS, qui non in justificationibus nostris (Daniel 9) sed in miserationibus tuis prosternimus preces nostras ante faciem tuam, petentes te pium Dominum, propter bonitatem et misericordiam tuam nobis placari, ut orationes nostras benignus admittas et peccatis nostris propitieris.

PARTEM ALIQUAM, non nostris solum, sed Christi Domini et salutaris nostri meritis quaesitam, et tua misericordia et liberali bonitate dignam, ut gratias agere valeamus tibi Deo patri, qui dignos nos feceris in partem sortis sanctorum in lumine (Coloss. 1).

ET SOCIETATEM . . . . . MARTYRIBUS, ut ejus quam possident sancti tui beatitudinis, miseratione et gratia tua, una cum ipsis nos consortes effici concedas.

CUM JOANNE, qui supra Apostoli et Evangelistae dignitatem etiam virginitatis privilegio praefulgens, quia carnis illecebras glorioso certamine superavit, jam denuo merito castitatis Protomartyri simili castitatis praerogativo adornato, connumeratur.

STEPHANO, quem plenum fide et spiritu sancto Apostoli inter septem diaconos primum elegerunt, ad ministerium pauperum et viduarum (Actor 6), qui multis miraculis editis, cum extra urbem ejectus, lapidaretur, inter lapidantium manus pro ipsis persecutoribus orans primus effuso in Christi confessione devoto sanguine ad coelos, quos in terra positus patere sibi conspexerit gloriosus emigravit.

MATTHIA. Hic in locum praeditoris Judae inter Apostolos ascitus, cum in macedonia Christi fidem annuntians, doctrina et signis multos convertisset, Judaeis adnitentibus, lapidibus obrutus, et securi percussus, Martyrii gloriam apprehendit.

BARNABA. Vir spiritu sancto et fide plenus, in annuntiatione Evangelii Paulo Apostolo conjunctus adhaesit, multamque et egregiam in Christi fide dilatanda operam posuit, discedensque a Paulo, cum in Cyprum venisset, sub Neronis imperio, Martyrio coronatus est.

IGNATIO. Hic tertius post Petrum Antiochiae episcopatu fungens, ob Christi fidem Romam attractus, bestiis discerpendus objectus est. A quibus, dum crudelissime laceraretur, magno Martyrii fervore exclamabat: frumentum ego sum Dei, dentibus bestiarum molor, ut panis fiam Christo.

ALEXANDRO. Hic sub Adriano gerens pontificatum, cum Christi fidem constanti praedicatione propagaret, variis afflictatus

poenis, cum in equuleum elevatus et in furnum ardentem missus ac in tota membra transfixus esset tandem gladio feriri jussus, tormentorum simul et vitae hujus finem invenit.

MARCELLINO ET PETRO. Horum posterior Exorcista existens cum jussu Sereni judicis ob Christi fidem comprehensus, in vinculis teneretur, Artemii custodis carceris filiam a Daemonio liberavit, ipsumque Artemium cum multis aliis tanto miraculo edito ad Christi fidem traxit, quos omnes Marcellinus presbyter baptizavit. Quo comperto Serenus Christi athletos produci jussus, deserere Christi fidem imperat, abnuentes ab invicem separat, ac Marcellinum in carcerem vitreis testis constratum nudum conjici, Petrum vero in alio carcere durissimis vinculis constringi, mox ubi infractos vidit, extra urbem eductos decollari jubet.

FELICITATE, PERPETUA. Matronae fuerunt, fide Christi insignes, quae simul sub Severo principe propter nomen Christi mortem supra sexus sui fragilitatem, virilibus animis sustinuerunt. Quarum prior in carcerem, uterum ferens detrusa, cum subito dolores partus perpetraret, a custode carceris, quia proposita firmitate dimovere eam cupiebat, interrogata: quid tunc faceret, cum ad praesidem ducta, crudelibus tormentis subjiceretur, si nunc ita angeretur? respondit: hoc nunc pro me patior, illic vero pro me patietur Deus. Altera vero, quoniam Christum coleret, apud praesidem accusata, cum jam tormenta ei expedirentur, parentes ejus et maritus infantem filium adhuc lactentem ei obtulerunt, ut miseratione illius maternum animum moverent. Ipsa vero aversata infantem, parentes ac maritum intuens, discedite a me inquit: inimici Dei quia non novi vos; sic adimplens quod scriptura monet: qui dixit patri suo et matri suae, nescio vos, et fratribus suis ignoro illos et nesciverunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt (Deut. 33).

AGATHA. Haec virgo mente ingenua, et corpore pulcherrima, cum fidem Christi deserere nollet, cuidam meretrici depravanda traditur, sed nullam libidinis depravationem admittens, ad idolorum sacrificia compelletur, renuensque in equuleo, excisa etiam mamilla acerbissima cruciatur, et cum nullis cederet tormentis, cum semianimis in carcerem detrusa esset, precata te Dominum ut animam suam reciperes, e corpore migravit.

LUCIA. Virgo genere et pietate nobilis, facultates, quas dotis nomine a matre acceperat, in pauperes divisit, et a sponso apud praesidem accusata, cum fidem Christi constanter profiteretur, post alia tormenta, gladius in guttur ejus mersus est, non tamen prius

animam exspirauit, quam de sacerdotum manibus Eucharistiam acoepisset, et reddendam Ecclesiae (post Diocletiani tempora sub quo martyrium sustinuit) tranquillitatem praenuntiasset.

AGNETE. Haec Christi fide ab infantia imbuta, cum cujusdam praefecti filii nuptias abnueret, eo quod se Christo diceret, desponsatam, vestibus spoliata, in lupanar ducitur, ut ardenti juveni potiunda traderetur, sed custodita ab Angelo cxecatum a daemone juvenem fusa oratione vitae restituit. Mox urgentibus pontificibus in rogum conjecta, igne ad orationem ejus protinus extincto, incolumis permansit, icta tandem gladio ad Christi thalamum gloriosa conscendit.

CAECILIA. Virgo valde nobilis et fidem Christi toto pectore amplexa, cum Valeriano in vita nupsisset, deducta in thalamum, se ab Angelo adamari, et ne polluatur, nimio zelo custodiri, juveni indicavit. Qui vivendi Angeli cupidus, cum ob id se baptizari permisisset, angelum cum Caecilia orantem, in cubiculo invenit.

Quare ad Tiburtium fratrem, quem diligebat, delata, ut et ipse fidem Christi amplecteretur et baptismum susciperet, ei persuasit. More ambo idolis sacrificare renuentes, plumbatis coesi vitam martyrio finierunt. Caecilia vero comprehensa, cum a fide Christi abduci nollet, in domo sua, bullienti balneo tota nocte concremari jussa, et a carnifice tertio percussa toto triduo supervivens, et facultates suas pauperibus distribuens castam animam tibi Domino reddidit; quam Urbanus pontifex Romae inter episcopos sepelivit.

ANASTASIA, quae infideli marito juncta, cum divitias suas larga manu in pauperes distribueret, avari viri iram etiam contra se excitavit. Qui eam teterrimo carcere inclusit, in quo posita a sancto Chrysogono epistolas consolatorias crebro accepit, tandem tradita judici, ignibus exusta, ad supernae vocationis bravium glorioso exitu laeta conscendit.

ET CUM . . . . TUIS. Quicunque fide et opere gratum famulatum exhibentes tibi placuerunt, et juxta fideles promissiones tuas ad tuae beatitudinis requiem pervenerunt.

INTRA QUORUM . . . . . ADMITTE. Sicut et illos non in solis justitiis suis, quas ipsi fecerant, sed praecipue in misericordia tua sperantes, ad illas beatas sedes tuas recepisti; sic erga nos non quoque justitiae rigorem sed tua miserationis et bonitatis facilitatem praetendens, nec tantum merita nostra compensans, in quibus fiduciam non invenimus, sed quam de misericordia et gratia tua spera-

mus, delictis veniam tribuens, ad illud beatorum et electorum tuorum consortium nos admitte.

PER EUNDEM . . . . NOSTRUM. Ipse enim unicum est ostium, per quem ad caulas regni coelestis admittuntur, quicunque salvandi sunt (Joann. 10), per quem sancti introierunt, et salvati sunt, et nos per illum introibimus, et salvabimur. Ipse enim est unicus ille pastor, qui animam suam pro ovibus ponens, jam inde ab origine mundi pro delictis omnium occissus est (Apocal. 3), ut sanguinis sui pretio redemptos a damnatione, ad aeternam introduceret beatitudinem. Cujus meritis nos qnoque admitti flagitamus ad sanctorum et electorum consortium, quod ipsi etiam sibi, non naturae sed gratiae viribus ex Dei miseratione, et Jesu Christi meritis acquisiverunt.

PER QUEM . . . CREAS. Quotiescunque enim de pane et vino fit caro et sanguis Christi, tam potentem operationem et admirandam conversionem per infirmi hominis ministerium, potentissima Christi virtus perficit.

SANCTIFICAS, VIVIFICAS, BENEDICIS, quae enim prius de terreno munere in altari collocabantur, nulla peculiari sanctitate imbuta, et vitae expertia, et ad benediciionem de se profundendam nondum efficacia, ea tu per Christi Filii tui occultam operationem et potentem virtutem, in ministerio sacerdotis sanctificas, vivificas et benedicis. Dum vera Christi caro et verus ejus sanguis efficiuntur, unde sanctitas, vita et benedictio defluit in nos, ut et nos per virtutem ejusdem carnis et sanguinis Domini N. J. C. mundemur et sanctificemur ab omnibus delictis, et in anima vivificemur, et omni benedictione ac spiritualium gratiarum ubertate repleamur.

ET PRAESTAS NOBIS ad usum et utilitatem nostram, haec ipsa accommodas, ut in ipsis memoriam mortis et passionis ejusdem Domini et salvatoris nostri in animis nostris, renovantes fructum passionis ejus, ad peccatorum nostrorum abolitionem nobis applicemus, ut inde in anima nutriamur, et vitam in nobis foveamus spiritualem. Ut inde pravas animae cupiditates comprimamus, ut inde contra insidias inimici vires assumamus, et adversus hostiles impugnationes fortissimum nobis erigamus propugnaculum, ut hostis vitam nostram laedere, aut mortem nobis inferre nequaquam valeat, cum jam per virtutem hujus sacramenti in Christi visceribus simus, et in illo vitam nostram absconderemus.

PER IPSUM . . . . . . ET GLORIA. Sicut enim per ipsum tuarum gratiarum munera ad nos deferuntur, sic per ipsum a nobis ad te omnis redundat gloria. Semper enim apud temetipsum im-

affligent aut certe minus perturbabunt, scientes nobis jam tibi reconciliatis, eas non ad supplicium sed ad exercitium adhiberi.

PAX D. S. S. VOBISCUM, quae per tanti hujus mysterii celebratione corda vestra mutua caritate conjungat, et a mundi hujus perturbationibus securos vos praestet, ac tandem cum beatis aeternae tranquillitatis et felicitatis compotes efficiat.

AGNUS DEI . . . MUNDI. Filii Dei, qui, cum delicti omnis immunis et innocentissimus esset, omnium delicta in te suscipiens, pertulisti ea in corpore tuo super lignum, ut universitas peccati sanguine tuo elueretur (1 Petri 2) et livore tuo humani generis vulnera sanarentur (Isaias 53).

MISERERE NOBIS. Propitieris nobis, ne anteactae vitae crimina, quae contra tuam voluntatem admisimus, nos condemnent. Miserere nobis, memor fragilitatis nostrae, gratia tua benignus nos adjuva, et Spiritus tui ope nos muni, et confirma, ne victi tentationibus in vitia recidentes, a tua misericordia, et aeternae vitae haereditate excidamus.

DONA NOBIS PACEM, ut, cum per gratiam et misericordiam tuam, aut peccata vitaverimus, aut admissionem obtinuerimus veniam, purgati et mundi ad aeternas illas sedes recipiamur, ubi cum electis tuis in pace perpetua conquiescamus.

FIAT HAEC . . . . CHRISTI, quae secundum apparentes panis et vini species fit, cum alioqui in alterutra specie, aut minima ejus etiam portione, vivus Christus cum corpore, sanguine, anima, et divinitate integer contineatur.

OMNIBUS NOBIS SUMENTIBUS. Tam mihi, qui hanc salutarem hostiam in ministerio tibi offerens, de ea indignus participare intendo, tam his etiam, qui ministerium hoc voto adjuvantes salutarem corporis et sanguinis alimoniam vel ore sacramentaliter, aut saltem corde per fidem et devotionem spiritualiter sumere proponunt.

SALUS MENTIS ET CORPORIS, ut per corporis et sanguinis tui perceptionem, virtus tam salutaris oblationis nobis applicetur, qua ut corpora simul et animas nostras liberares, corpus et sanguinem pro nobis hostiam in Cruce facere non es dedignatus.

ET AD VITAM . . . . SALUTARIS. Ut hac refecti alimonia spirituali aeternam vitam jam in nobis inchoëmus et membra Christi effecti, et in ipsum transmutati, nullam ab eo separationem sustineamus in coelo, cui sic juncti et conglutinati sumus in exilio.

DOMINE JESU CHRISTE. Dum iis te nominibus multa cum fiducia compello de pristinis beneficiis et bonitate tua etiam ampliora

petendi audaciam sumo. Dominum enim te ex magno redemptionis beneficio agnosco. Nam dum sub peccato miseram servitutem serviremus ad mortem, tum pretio sanguinis tui emptos in libertatem asseruisti ad vitam. Hinc jam tui juris sum, a te magno pretio emptus, et Dominum te libenter agnosco, qui et creasti me cum non essem, et cum periissem, redemisti me. Dominus clementissimus, qui mira dignatione cum mancipium diaboli essem, mortem pro me subiisti et a diaboli servitute liberatum, injus tuum asseruisti, non ut dira servitute premas, sed ut te extremis miseriis ad gloriam pro vehas sempiternam. Tu Domine salutem et propitiationem, et veniam delictorum meorum ex tuis nominibus promittis, ob id enim Jesus, hoc est salvator appellari voluisti, ut te ad dandam salutem venisse, et eum esse agnosceremus, qui salvum faceres populum tuum de peccatis eorum. Tu Christus, hoc est, unctus esse voluisti. Sacerdos et rex, ut hostiam pro delictis nostris teipsum appenderes, et vultui Dei usque in sempiternum pro nobis Advocatus appareres, et pro necessitatibus nostris interpellares, et ut rex clementissimus et potentissimus nos clientes tuos contra omnium inimicorum visibilium et invisibilium incursiones tuo munimine tutos praestares.

QUI DIXISTI . . . . RELINQUO VOBIS (Joh. 14.). Ubi in meis meritis deficio, ad veritatem et promissiones tuas provoco. Scio autem, quidquid Apostolis tuis promisisti, id perpetuis temporibus ad totius Ecclesiae commodum pertinere (Joh. 17.), cum non pro ipsis solis fueris sollicitus, sed pro iis etiam, qui per verbum eorum credituri erant in te. Quibus, dum pacem tuam promisisti, utique Ecclesiae tuae tutelam et securitatem spopondisti. Hac tua promissione fretus, non de meo merito praesumens, pro congregatione tua precator assisto.

NE RESPICIAS . . . . . SANCTAE. Quoniam justus et fidelis es, ne permittas, ut veritatem tuam pravitas mea faciat irritam, et publicam utilitatem privata malitia impediat. Ego quidem propriis delictis obnoxius, et tot vitiis foedus, idoneus non sum, ut sacrosanctae et salutaris hostiae oblatione alienis delictis veniam, et Ecclesiae tuae incolumitatem impetrare valeam. Tu vero non a quo sed pro quibus rogeris intendens, fidelis Ecclesiae tuae vota ac preces placatus admitte et benignus exaudi.

EAMQUE . . . . . . TUAM, quae salutem et redemptionem suam nullis suis meritis, sed dilectioni et misericordi voluntati tuae fert acceptam, qua dignatus es pro ea impendere sanguinem tuum, ut mundares et sanctificares eam, et exhiberes tibi gloriosam, non

habentem rugam neque maculam (Ephes. 5.); secundum hanc bonam et sanctam voluntatem tuam, quatenus ei expedire cognoscis et vis.

DIGNARE EAM PACIFICARE. Ne aut hostili incursu, aut domesticis dissidiis, internisque malis, aut suorum perversis moribus turbetur.

ET COADUNARE, ut unitate Spiritus et vinculo caritatis collegata, in unius fidei confessione, eodemque sacramentorum usu unanimis perseveret, nec illis opinionum dissensionibus concitetur, aut schismatibus rumpatur.

Habete vinculum pacis et caritatis ut apti sitis sacrosanctis mysteriis Christi. Panis enim quem frangimus communicatio corporis Domini est (1 Cor. 10.), et calix quem bibimus communicatio sanguinis Domini est, quoniam unus panis et unum corpus multi sumus, qui de uno pane et de uno calice participamus. Hoc unitatis mysterium, hoc panis sacramentum, nemo digne et utiliter percipit, cujus animus odio, invidia, livore aut ullis cupiditatibus contra proximi utilitatem flagrat, aut qui perversis opinionibus imbutus, ab Ecclesiae unitate per haeresin aut schisma dividitur. Pax Christi et Ecclesiae abundet in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Utrumque enim hoc munus est Spiritus sancti, ut pace Christi quae est peccatorum remissio, conscientias nostras tranquillet, et animis nostris, ne ab unitate Ecclesiae per varias doctrinas abducamur, unctione et afflatu suo constantiam aspiret.

DOMINE JESU CHRISTE FILI DEI VIVI. Dominator et Salvator universae creaturae, qui omnem infirmitatem meam curare vales quoniam Dominus potens es (Lucae 19.), et ad hoc in mundum venisti, ut perdita quaeras et salves quae perierint.

QUI EX VOLUNTATE PATRIS ex nimia hominum dilectione, te Unigenitum praedilectum Filium suum tradentis in hostiam, qua omnium crimina expiaret.

COOPERANTE SPIRITU SANCTO, cujus admiranda operatione hanc carnem, quam pro delictis nostris hostiam faceres, in utero Virginis assumpsisti.

PER MORTEM . . . . . VIVIFICASTI, qui, cum peccatum non fecisses, liber a debito mortis, cum innocens pro nocentibus patereris alienas solvisti poenas et peccatis mortuos convivificasti, condonans eis delicta eorum (Coloss. 2.).

LIBERA . . . . . MALIS. Pro tua bonitate et misericordia peculiariter ad meam etiam salutem servire concede, quod pro redemptione omnium dignatus es impendere, ut mundus a peccatis, purus

a sordibus, et a periculis liber efficiar virtute sanctissimi corporis ac sanguinis tui sacrificio et pro delictis propitiationem, et a periculis liberationem toti mundo impetrares.

FAC ME . . . . . MANDATIS. Da ut hac coelesti alimonia saginatus, in fortitudine cibi illius viam mandatorum tuorum indefessus percurram.

ET ATE . . . . . PERMITTAS. Sic me praeveniat gratia tua, ne me a te separent ullae iniquitates in hoc saeculo, et sic me tua sequatur misericordia, ne me hac qua impios judicabis terribili sententia, a tuae benedictionis consortio repellas in futuro.

Idcirco nostro labori finem hic damus. Deo Patri, Christo Filio et Spiritu sancto uno soli immortali Deo primum quidem gratias agentes pro iis quae nobis donavit intelligere et ad utilitatem electorum et nostri conscribere. Deinde omnes Christi fideles, praecipue Christi sacerdotes, quibus est, sanctum sacrificium et immaculatam hostiam corporis, et sanguinis Filii Dei offerre, in vera caritate Spiritus sancti deprecor, ut ante Dominnm in suis orationibus, sanctisque sacrificiis peccatoris mei memores, pro meis peccatis, offensionibus et negligentiis in conspectu throni Majestatis ejus intercedant, ut accepta peccatorum remissione, perque gratiam ejus vera justificatione, ad ipsius merear aliquando visionem beatificam fruitionemque perfectam pervenire, ad Laudem et Gloriam nominis ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Trinus et Unus, Vivus et Verus Deus per omnia saecula saeculorum benedictus.

A M E N.

Tytinillus. *)

Canonicas horas, si devote legis, et oras.
Tunc orantur horae, si corde leguntur et ore.
Littera neglecta, vel syllaba murmure tecta,
Colligit haec Satanas, si non cum corde laboras.
Fragmina verborum Tytinillus colligit horum,
Quoque die mille vicibus se sarcinat ille.
Quid facis extra chorum, qui debitor officiorum
Es divinorum? Cur induis acta vagorum;
Desine stare foras, quia Christus ponderat horas,
Et nominanco moras, distinguit qualiter oras.
Qui psalmos resecat, vel verba Davidica curtat,
Displicet ille DEO, dum placuisse putat.
Cum Domino psalles, psallendo tutria serves,
Dirige cor sursum, profer bene, respice sensum
Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora,
Nunc contemplarc, nunc scripturas meditare.
Ex antiquo fragmento.

Ex Frangipani Directorio, cap. De prof. fidei pag. 7. allegamus verba omnibus inculcanda.

Quod cum Metropolitana Coloniensis civitas multis licet variis ac magnis haeresum pulsata tempestatibus, singulari Dei protectione tanta semper virtute atque constantia tenuerit, ut ejus laus hoc nomine in divino officio singulis annis in Ecclesiis glorioso celebretur praeconio dum in prosa canitur.

„Postquam fidem suscepisti
Civitas praenobilis
Recidiva non fuisti,
Sed in fide stabilis **)." Eidem nunc et in

*) Olim existit in Imagine Tytinillus. — Erat Daemon pedibus et amictu hirci, qui portabat omnes omissas Litteras et laetatus apparuit accusationes contra Sacerdotem luridum, distractum negligentem colligendi — hodie disparuit, quasi tanto labore non se esse sufficientem?! Agnosce!

M. d. M.

**) In prosa cujus initium est: „Gaude felix Aggrippina, sanctaque Colonia," quae canitur in festis Patronorum.

posterum, contra praesentes et futuras occultas et manifestas haereticorum machinationes, multo magis advigilandum est, ut in hac fine usque ad finem usque perseveret Et quod in magno sigillo *) profitetur, se Romanae Ecclesiae fidelem filiam, in tentationibus, quae ad probationem suam fiunt vel fient, maxime commonstret, ut reliquae omnes hujus Dioecesis et provinciae civitates, quibus ceu caput aliisque multis nominibus proëminet, gaudeant, si ejus exemplo, quae pro incolumitate fidei a nobis seu potius a romana sede praescripta sunt, devote et religiose observaverint et doleant si a fidelitate et observantia, quam Metropolis sua hactenus servavit et Deo donante servatura est, recesserint.

Rom. Die S. Congreg. Rituum hat unterm 14. Juni 1845 folgenden Entscheid erlassen: „Da der hochwürdigste Bischof von Lüttich, Herr von Bommel, gebeten hat, die Congregatio möge sich darüber erklären, ob Kelch und Patene durch eine neue Vergoldung ihre Consecration verliere und also einer neuen Consecration bedürfe,

---

*) Sigillum civitatis Coloniensis, quod magnum vulgo vocatur, est enim quinque digitorum latitudinis. Custoditur in civitatis Archivo. Id nunquam imprimitur, sed civitatis cum alio contractibus, mutiusque obligationibus, veluti venditionum, emptionum, censuum, Reïpublicae litteris et hujusmodi aliis atque foederibus, ex duabus cannabinis chordulis pergamenicisve appenditur. Cujus sigilli effigies vera sic habet: S. Petrus quali toga Christus pingitur indutus, infulatus, barba, capillis crispis, totus et integer, a summo ad calcem conspicuus, gravis propemodumque rectus insidet throno insignis solii, supra turrim majoris portae moeniorum extructi, nemque expressa lunari, qua Rhenum spectat forma. Gestus hi sunt, recta extra urbem intuetur, dextra exerti ex toga brachii, duos claves simul junctas ac rectas tenet medias, sinistram libro clauso supra sinistrum genu superimponit, supra cujus caput, in suprema solii recta linea scriptum: S. Petrus. Circum vero sigillum, litteris majusculum magnis hujusmodi inscriptio est: ✝ Sancta Colonia, Gratia Dei, Romanae Ecclesiae fidelis filia. Contra sigilli imago et idem petrus umbilico tenus, eodem huc dictum habitu et vultu, dextrum brachium nudum ad pectus admovet ac manu sinistra librum clausum sustinet. Circum scriptum est: ✝ S. Petrus: Contra sigillum civitatis Coloniensis.

Ecce ita in fide ac avorum more firmi ac stabiles antecessores fuere, etsi temporibus nostris facta in verbo et scriptis demonstraverunt sanguinem avorum et adhucdum in venis manare filiorum, attamen multum adhuc superest donec cum amore religionis priorum, eorum mores et pietatem ad omnia opera bona denuo assequuti simus. In hoc adjuvare Deus nos dignetur.

NB. Hoc sigillum reperitur sculptum in I. W. Breuer, Augustin Aldenbrück, Geschichte der alten Ubier. Cöln 1819, bei Heberle.

hat die S. R. C. bei einer ihrer ordentlichen Versammlungen im Vatikan, auf den Bericht des unterzeichneten Secretairs für eine bejahende Antwort (daß sie nämlich die Consecration verlieren und einer neuen bedürfen) sich vereinigt. (Gez.) C. Micara und Secretair Fatali. (Siehe Tyroler Kirchenblatt 1095, Jahr 1845.)

Decisio S. Congregationis de Indulgentiis. — Proposito dubio inter alia huic sacrae Congr. de Indulg. sacrisque reliquiis propositae. Utrum, qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare, diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari? Eadem sacra Congregatio sub die undecima Aprilis 1840 respondit: Affirmative. In quorum fidem datum Romae ex Secretaria ejusdem S. C. de Indulg. die 27. Maii 1845. Jacobus Gallo, Secretarius. Diese Entscheidung ist wohl zu beachten, da hin und wieder die irrige Ansicht herrscht, als könne an jeglichen Tagen, also auch an solchen, wo die h. Messe in Schwarz gelesen werden darf, auch mittels der h. Messe in der Farbe des Tages der privilegirte Ablaß für die Verstorbenen gewonnen werden. Die S. Congr. entschied unter dem 2. Sept. 1741 wie unter'm 5. Aug. 1662: „Si dies non permittet Missam votivam pro defunctis, sacerdos satisfacit per Missam diei, mortuis fructum illius applicando." Und von solchen Messen diei, nämlich also in der Farbe des Tages, an welchem keine Missa votiva oder de requiem stattfinden kann, sagen die Erklärungen der Päpste Alexander VII., Clemens IX. und Innocenz XI. „quae Missae celebratae in Altari privilegiato habeat indulgentias perinde, ac si fuissent celebratae de requiem." Allein es ist wohl zu bemerken, daß hier nur die Rede ist von jenen Tagen, wo keine schwarze Messe gelesen werden kann, daß hier also bloß eine Ausnahme statuirt ist, durch welche, wie durch jede Ausnahme, die Regel bekräftiget wird, die Regel aber die ist, daß zu dem Zwecke die heilige Messe in schwarzer Farbe gelesen werden müsse. (Sion, alte, October-Heft 1845. S. 1239.)

Tabulae directivae

pro ss. Missae sacrificio celebrando secundum ritum romanum.

I. In Dominicis per Annum.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria.	Credo.	Praefatio.	Benedictio.	Orationes.
Adventns	Viol.	propr.	omittitur.	Dicitur	Comm.	Benedic.	2da Deus qui etc. 3tia Eccl. vel pro Papa
Ab oct. Epiphaniae.	Virid.	,,	Dicitur	,,	,,	Ite	Eaedem.
a septuagesima.	Viol.	,,	omitt.	,,	,,	Benedic.	2da a cunctis. 3tia ad Libitum *).
A die cenerum.	,,	,,	,,	,,	Quadrages.	,,	2da a cunctis etc. 3tia pro vivis et Def.
A Dominica Passionis.	,,	,,	,,	,,	De cruce.	,,	2da Ecclesiae vel pro Papa.
Ah octava Paschatis.	Alb.	,,	,,	,,	Pasch.	Ite	2da Concede ctc. 2tia Eccl. vel p. Papa.
Ab oct. Pentecost.	Virid.	,,	,,	,,	Comm.	,,	2da A cunctis etc. 3tia ad libitum.

II. In feriis.

Adventus.	Viol.	Dom.	omitt.	omitt.	Comm.	Bened.	Dominicales.
Ab oct. Epiph.	Virid.	,,	,,	,,	,,	,,	,,
a septuages.	Viol.	,,	,,	,,	,,	,,	,,
a Die ciner.	,,	propr.	,,	,,	quadreges.	,,	1ma propria. 2da 3tia Dominicales.
a Dom. Pass.	,,	,,	,,	,,	De cruce.	,,	1ma propria. 2da Eccl. vel p. Papa.
Ab oct. Pasch.	Alb.	Dom.	Dicitur	,,	Pasch.	Ite	Dominicales.
Ab oct. Pent.	Virid.	,,	omitt.	,,	Comm.	Bened.	,,

III. In Duplicibus.

Adventus.	Ruberpro { martibus. Alb. p. non	Propr. vel Commun.	Semper dicitur.	Ut notatur capite II. Rubricarum.	Propr. vel Dominic.	Ite.	2 feriae.
Ab oct. Epiph.						,,	Unica.
a septuages.						,,	"
a Die ciner.						Ite Ev. feriae.	2 feriae.
a Dom. pass.						,,	"
ab oct. Pasch.						Ite.	Unica.
ab oct. Pent.						,,	"

IV. In Semiduplicibus.

Adventus.	Ruber pro { martirib. Albus pro non	Propria vel Communis.	Semper dicitur.	Ut notatur cap. II. Rubricarum.	Propria vel Dominicae.	Ite.	2 feriae. 3 Deus qui.
Ab oct. Epiph.						,,	2 et 3 Dominic.
a septuages.						,,	"
a Die ciner.						Ite Ev. feriae.	2 feriae. 3 a cunctis.
a Dom. pass.						,,	2 fesiae. 3 Eccl. vel pro Papa.
ab oct. Pasch.						Ite.	2 et 3 Dominic.
ab oct. Pent.						,,	"

*) Quomodo oratio ad libitum intelligendum vide infra pag, 203. Q. XV.

hat die S. R. C. bei einer ihrer ordentlichen Versammlungen im Vatikan, auf den Bericht des unterzeichneten Secretairs für eine bejahende Antwort (daß sie nämlich die Consecration verlieren und einer neuen bedürfen) sich vereinigt. (Gez.) C. Micara und Secretair Fatali. (Siehe Tyroler Kirchenblatt 1095, Jahr 1845.)

Decisio S. Congregationis de Indulgentiis. — **Proposito dubio inter alia huic sacrae Congr. de Indulg. sacrisque reliquiis propositae.** Utrum, qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare, diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari? Eadem sacra Congregatio sub die undecima Aprilis 1840 respondit: Affirmative. In quorum fidem datum Romae ex Secretaria ejusdem S. C. de Indulg. die 27. Maii 1845. Jacobus Gallo, Secretarius. Diese Entscheidung ist wohl zu beachten, da hin und wieder die irrige Ansicht herrscht, als könne an jeglichen Tagen, also auch an solchen, wo die h. Messe in Schwarz gelesen werden darf, auch mittels der h. Messe in der Farbe des Tages der privilegirte Ablaß für die Verstorbenen gewonnen werden. Die S. Congr. entschied unter dem 2. Sept. 1741 wie unter'm 5. Aug. 1662: „Si dies non permittet Missam votivam pro defunctis, sacerdos satisfacit per Missam diei, mortuis fructum illius applicando.“ Und von solchen Messen diei, nämlich also in der Farbe des Tages, an welchem keine Missa votiva oder de requiem stattfinden kann, sagen die Erklärungen der Päpste Alexander VII., Clemens IX. und Innocenz XI. „quae Missae celebratae in Altari privilegiato habeat indulgentias perinde, ac si fuissent celebratae de requiem.“ Allein es ist wohl zu bemerken, daß hier nur die Rede ist von jenen Tagen, wo keine schwarze Messe gelesen werden kann, daß hier also bloß eine Ausnahme statuirt ist, durch welche, wie durch jede Ausnahme, die Regel bekräftiget wird, die Regel aber d i e ist, daß z u d e m Z w e c k e die h e i l i g e M e s s e i n s c h w a r z e r F a r b e g e l e s e n w e r d e n müsse. (Sion, alte, October=Heft 1845. S. 1239.)

Tabulae directivae
pro ss. Missae sacrificio celebrando secundum ritum romanum.

I. In Dominicis per Annum.

Tempus.	Color.	Missa.	Gloria.	Credo.	Praefatio.	Benedictio.	Orationes.
Adventus	Viol.	propr.	omittitur.	Dicitur	Comm.	Benedic.	2da Deus qui etc. 3tia Eccl. vel pro Papa
Ab oct. Epiphaniae.	Virid.	„	Dicitur	„	„	Ite	Eaedem.
a septuagesima.	Viol.	„	omitt.	„	„	Benedic.	2da a cunctis. 3tia ad Libitum *).
A die cenerum.	„	„	„	„	Quadrages.	„	2da a cunctis etc. 3tia pro vivis et Def.
A Dominica Passionis.	„	„	„	„	De cruce.	„	2da Ecclesiae vel pro Papa.
Ab octava Paschatis.	Alb.	„	„	„	Pasch.	Ite	2da Concede etc. 2tia Eccl. vel p. Papa.
Ab oct. Pentecost.	Virid.	„	„	„	Comm.	„	2da A cunctis etc. 3tia ad libitum.

II. In feriis.

Adventus.	Viol.	Dom.	omitt.	omitt.	Comm.	Bened.	Dominicales.
Ab oct. Epiph.	Virid.	„	„	„	„	„	„
a septuages.	Viol.	„	„	„	„	„	„
a Die ciner.	„	propr.	„	„	quadreges.	„	1ma propria. 2da 3tia Dominicales.
a Dom. Pass.	„	„	„	„	De cruce.	„	1ma propria. 2da Eccl. vel p. Papa.
Ab oct. Pasch.	Alb.	Dom.	Dicitur	„	Pasch.	Ite	Dominicales.
Ab oct. Pent.	Virid.	„	omitt.	„	Comm.	Bened.	„

III. In Duplicibus.

Adventus.	Ruber pro martibus. Alb. p. non	Propr. vel Commun.	Semper dicitur.	Ut notatur capite II Rubricarum.	Propr. vel Dominic.	Ite.	2 feriae.
Ab oct. Epiph.						„	Unica.
a septuages.						„	„
a Die ciner.						Ite Ev. feriae.	2 feriae.
a Dom. pass.						„	„
ab oct. Pasch.						Ite.	Unica.
ab oct. Pent.						„	„

IV. In Semiduplicibus.

Adventus.	Ruber pro martirib. Albus pro non	Propria vel Communis.	Semper dicitur.	Ut notatur cap. II. Rubricarum.	Propria vel Dominicae.	Ite.	2 feriae. 3 Deus qui.
Ab oct. Epiph.						„	2 et 3 Dominic.
a septuages.						„	„
a Die ciner.						Ite Ev. feriae.	2 feriae. 3 a cunctis.
a Dom. pass.						„	2 fesiae. 3 Eccl. vel pro Papa.
ab oct. Pasch.						Ite.	2 et 3 Dominic.
ab oct. Pent.						„	„

*) Quomodo oratio ad libitum intelligendum vide infra pag, 203. Q. XV.

In *Vigilia Pentecostes unica* tantum oratio.

X. In *Oct. Pent.* II. Ecclesiae vel simpl. III. A Dom.

XI. *A Dom. Trinitatis.* II. Concede nos famulos. III. Ecclesiae. IV. A Domo.

Hae orationes variantur etiam cum II. A cunctis. III. ad libitum. IV. A Domo.

XII. In *Missis J. B. M. V.* II. de Spiritus vel simpl. III. Ecclesiae.

Infra *Oct. Angelorum.* II. Concede nos famulos vel simpl. III. Ecclesiae. IV. A Domo. — Infra *Oct. Corporis Christi.* II. Concede n. f. vel simpl. III. Ecclesiae IV. A Domo.

XIII. In *Missis votivis.* II. et III. de tempore et de festo simpl. vel semidupl. vel feriae. — *De Beata* uti supra.

Der Rath eines Vaters an seinen Sohn, als dieser den geistlichen Stand antreten zu wollen erklärte *).

Deiner Aeußerung gemäß willst du, mein lieber Sohn! in eine neue, dir bisher unbekannte Welt treten. Deine elterliche Wohnung, deine Eltern, deine Geschwister waren deine bisherige Welt; deine zukünftige ist größer. Zum Priesterstande der römisch-katholischen Kirche willst du dich befähigen, d. h. du willst deinen Geist durch jene Wissenschaften ausbilden, welche die Lehre des Heiles bilden, willst durch die Händeauflegung des Bischofs die Macht in dir aufnehmen, am Altare Stellvertreter Jesu zu werden und den Gläubigen als Mittler zwischen Gott und ihnen die vielfältigen Heilsmittel der h. Kirche zu spenden. Allein ehe und zuvor mußt du dazu dein Herz empfänglich machen. Rein muß es werden, aus ihm alle Selbstsucht, Stolz, Sinnlichkeit, Habsucht, Trägheit und kurz jede unordentliche Begierde verbannt werden. Du wirst alles dieses mit der Wurzel ausrotten und es wird dir gewiß gelingen, wenn du das, was du hiezu bedarfst, aus dem Brunnen des Kreuzes schöpfest. Zu den Füßen des Kreuzes sitzend, muß der Aspirant, sich selbst entäußernd, Kraft und Muth zum Kampfe gegen die Welt und ihre trügerischen Reize erflehen. Brechen muß der Aspirant schon frühe mit der Welt, frühe schon, sage ich, nicht erst dann, wenn er muß — wenn — das Auge bricht. —

Trittst du aus der Welt und reihest dich in die Schaar jener wahren Helden ein — ist das nicht ein wahrer Held, der die Welt und alle ihre ekelhaften Freuden verläßt, um sein Leben allein seinem Gotte, seinem Nächsten und seiner ewigen Seligkeit zu widmen? — so wandelst du unter einem Oberen und mehren Lehrern in einem Kreise von mehren Coalumnen; wenn dir auch gleich die Tagesordnung deine Beschäftigung von Stunde zu Stunde vorschreibt, so setzt dich doch dein neuer Standpunkt in so viele gegenseitige Verhältnisse, daß eben diese eines eben so vielfältig guten Rathes bedürfen, um ohne Anstoß,

---

*) Zusammengetragen und mit Zusätzen vermehrt, als ein so nützliches Prüfungsmittel der Reinheit des Berufes und ein vade mecum, ihn treulich zu erreichen und zu erfüllen.

M. d. M.

ohne Angst und Furcht auf deiner Laufbahn bis zur Erreichung des endlichen Zieles fortschreiten zu können.

1. Vor allem anderen wirf einen Blick zurück auf deine Jugendjahre. Denke zurück an so viele Mühseligkeiten, welche deine Eltern hatten. Erwäge deren Sorge, euch Kinder in der alleinseligmachenden Religion zu guten Christen zu bilden, wie es stets ihre angelegentlichste Sorge war, als leibliche Schutzengel euch zu bewachen, alles das zu entfernen und zu heben, was euch um eure Unschuld hätte bringen können. — In so weit es ihnen möglich war. — Darin lag also der Grund, wenn sie euch sogar Vergnügungen versagten, die anders nicht unerlaubt waren. Ja oft birgt sich unter der Blume eine Natter! Gedenke, wie Sorge, Kummer und Unglück der Eltern Haare bleichten. Gedenke, wie sie manche Aufopferung der Annehmlichkeiten des Lebens gerne brachten, um euch mit Beispiel vorzugehen, euch zu dem ersehnten Ziele mit Gott, weil durch Gott, zu führen. Bedenke es wohl, mein Sohn, wie gnädig die anbetungswürdige Vorsehung alle auf deine Eltern einstürmenden Drangsale zu unser Aller Besten leitete und fügte.

Hast du dann in Dankbarkeit für so viele dir und deinem Elternhause zugekommenen Gnaden zu den Bergen aufgeblickt, von woher alle Hilfe und jede gute Gabe zu uns herniedersteigt; dann führe dir unparteiisch in Gottes Allgegenwart den Beweggrund vor die Seele, durch den du dich bestimmt fühlest, in den geistlichen Stand treten zu wollen.

Dieser Beweggrund entscheidet über dein Leben und über deine ewige Seligkeit. Ist derselbe rein vor Dem, der Nieren und Herz durchschaut, so wirst du vor dem Herrn gesegnet in deinem Berufe sein. Allein er muß ganz und gar rein, ihm muß alles Irdische abgestreift sein. Kein schmutziges Interesse, keine Habsucht, keine Gemächlichkeit, keine unedle Hingabe, kein menschliches Ansehen, keine väterliche Gewalt noch Rath, kein Fleisch und Blut muß dich bestimmen, frei nach Gottes heiligstem Willen, den du, durch einen geprüften und erfahrenen Beichtvater geleitet, zu erkennen dich bemüht hast, mußt du die heilige Schwelle eines Seminars oder eines Klosters überschreiten.

Vor dieser Schwelle mußt du die ganze Welt und ihre thörichten blendenden Reize abschütteln und lassen, und mit dem Ueberschreiten derselben dich Gott ganz und zu eigen, ihm allein dich hingeben und ihm dich zu einem angenehmen Opfer heiligen.

In diesem Asyle der Tugend wirst du dann in allen Fächern des theologischen Wissens unterrichtet, wirst mit dem unendlich schönen Plane der Gottheit gegen uns arme Menschen, uns zu beseligen, immer

mehr und mehr vertraut. Hier eignest du dir alle jene Heldentugenden an, die dein hoher heiliger Beruf, den du mit voller und reiflicher Ueberlegung erwählt hast, erfordert.

Welches soll nun das erste Gefühl sein, welches dich ergreift? Wohl kein anderes, als jener lebendige Glaube an die liebreiche, unendlich weise, barmherzige und gütige Vorsehung, welche dem redlichen Streben nach dem Ziele und dem ängstlichen Fragen: „Wer wird uns wohl den Stein wegwälzen?" dadurch, daß sie gegen alle Hoffnung für dich und uns Alle stets so liebreich fürsorgte, antwortet.

Und welcher Entschluß soll aus diesem Gefühle entspringend nun von dir gefaßt werden? Nur dieser! — Fortwährendes unumstößliches Vertrauen auf diese göttliche Providenz, öftere Erwägung des 45. Psalmes: Deus refugium nostrum et virtus etc. Jener Heide hatte gewiß Kenntniß dieses schönen Psalmes, als er sprach:

Etsi dilabatur orbis: impavidum me ferient ruinae!

Doch gottbegeisterter drückte sich die königliche Philomele in jenem Psalme aus:

Deus refugium nostrum et virtus: adjutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: et montes transferentur in còr maris.

Dieses feste Vertrauen muß sich jetzt schon in Liebe und Dankbarkeit und Gehorsam und treuer Erfüllung aller deiner neuen Pflichten auflösen und dich die ganze Zeit deines künftigen Lebens hindurch nicht nur nicht verlassen, sondern mehr und mehr erstarken.

Du hast es ja so oft von deinen Eltern gehört, daß sie gemäß diesem ihrem festen Vertrauen auf die göttliche Providenz euch Kindern vorhielten, daß sie eben dadurch so vielen Labyrinthen, Wechselfällen, Seelen- und Körperleiden gnädiglich entzogen wurden. War die ihnen drohende Gefahr auch noch so groß, dann erschien der Herr mit helfender Hand.

Jeder Mensch ist ein egyptischer Joseph. Leben wir wie dieser in Unschuld und Rechtschaffenheit, so mögen uns immer neidische Brüder verkaufen und die Käufer in ein unbekanntes Land uns führen; Gott bleibt doch unser Vater, unser Führer, Hirt und Versorger, unsere feste Burg in allen Widerwärtigkeiten und Gefahren dieses Lebens.

Der arme Heide nennt dieß *fatum*, wenn er sagt:

„Per varios casus, per tot discrimina rerum ducimur in latium."

Der Christ nennt es göttliche Providenz mit dem viel erhabeneren Motto: — Jesu Worte — „Kein Haar fällt von eurem Haupte, ohne

Vorwissen eures himmlischen Vaters" (**Ludit in humanis divina providentia rebus**).

2) Du beginnest den theologischen Cursus und setzest ihn im Kloster oder im Seminar längere Zeit hindurch fort, und zwar unter der Obhut und Leitung geistlicher Oberen in Gesellschaft mehrer Mitschüler. Laß mich dir den Rath eines frommen Priesters nebst dem meinigen vorlegen, damit dieser dir ein Leitstern auf allen deinen Wegen sei. Besonders seien dir jene Proben schätzbar, die ich dir hie und da aus den **Constitutionen** des **in fama sanctitatis** verstorbenen (in Bingen auf der Epistelseite des Altares der h. Jungfrau begrabenen) Bartholomäus Holzhauser *) **ad reformandam clericorum saecularium vitam**, einstreue.

Wenn du mir versprichst, diese Rathschläge nur einmal in jedem Monate zu durchlesen und alle Tage deiner Studienzeit zu befolgen, so verspreche ich dir dagegen ein zufriedenes, höchstseliges Leben, und, was die Hauptsache ist, die sicherste Erreichung deines vorgesteckten Zieles, eines in Gott seligen Todes.

3) Wenn du deinem früheren Vorhaben, die Universität zu beziehen, um **Jura** zu hören, entsagt hast, nun aber doch auf derselben Theologie studieren zu wollen erklärtest, so würde ich eher zugeben, daß du Taglöhner würdest, als die Zahl derer vermehren, die in freventlichem Ungehorsam gegen die h. Kirche groß gezogen werden. **) Dem Himmel danke doch recht aufrichtig mit gerührtem Herzen, daß so vielen Gefahren deiner körperlichen und geistigen Gesundheit einen Schlagbaum selbst du dir vorzuziehen den Muth gehabt hast. Kein Wort will ich sagen von so manchen Lehren und Grundsätzen und dem herrschenden Tone, welche in kaltem Egoismus, in starrem Indifferentismus und im hoffärtig cynischem Protestantismus streichelnd und schmeichelnd an dem altkatholischen Bilde so lange putzen, fegen und waschen, bis es ganz verwischt einer nackten Leinwand gleicht — will dir nur zu Gemüthe führen, daß — mit Uebergehung in

---

*) 1829 fand ich auf diesem Grabe das Bild im Priester-Ornate mit dem Kelche in rothen Sandstein ausgemeiselt. Nach wenig Jahren hatte eine Verschönerungs-Commission unter so vielen auch diesen Grabstein weggefegt. Ueber derartigen **Vandalismus** haben wir viel zu klagen.

M. d M.

**) Es kann hiebei keine solche Universität gemeint sein, wo unter bischöflicher guter Aufsicht die Alumnen in Convicten abgesondert studieren.

M. d. M.

anderen Fächern — die Bildung der Theologen an Universitäten der heutigen Tage schnurstracks gegen das heilige Concil von Trient ist. *) Will dich nur auf das Betragen, auf die An- und Aufzüge vieler Universitäts-Theologen hinweisen, und du wirst dann unschwer von den Früchten auf den Baum schließen! — von einer solchen Vorbereitung auf die künftige Lebensweise schließen können, so wie auf die entgegengesetzten Folgen einer solchen schönen Verbildung. Wenn nicht mit ganzem Vorsatze, so lassen sich die Neulinge doch durch das Beispiel der Altakademiker zu dem schändlichen Grundsatze verleiten: „Jetzt ist noch die Zeit der Freiheit! Brüder, laßt uns das Veilchen pflücken und aus dem Becher der Lust schlürfen, nach drei Jahren kommt dann für immer die Zeit der Entbehrung. Im Schwarzrocke hört alles Vergnügen auf, darum, Brüder, laßt uns noch jubeln, essen, trinken, springen, tanzen, lieben! In habitu nigro nulla voluptas." Man schämt sich sogar nicht zu sagen: „Alle theologischen Seminare erziehen nur Heuchler. **) Ihre bigottischen Andächteleien seien nur Ausgeburten finsterer Asceten und noch Reliquien abergläubischer Möncherei, darum erzeugten sie nur Kopfhänger. Die Jugend müsse vertoben, müsse tollen. Akademische Freiheiten, seien sie auch noch so sehr mit Fehlern untermischt, erzögen allein den freien Menschen, und die selbst begangenen Schwachheiten trügen im geistlichen Stande dazu bei, menschlich und nachsichtig zu lehren und zu handeln. Erst müsse man die Welt kennen lernen, würde man dann noch geistlich, so bewiese es sich, daß man zu diesem Stande Beruf habe" u. s. w.

Zu tief indignirt bin ich schon geworden, während ich diese dem crassesten Epicuräismus erborgten Maximen hier niederschrieb. Auch du wirst es, wirst es vielleicht noch mehr werden, denn du selbst wirst, wenn auch nicht Alles, doch Einiges schon von Manchem haben äußern gehört, von Manchem als Maxime haben ausführen sehen.

Lieber Sohn! so viel traue ich deiner edlen Gesinnung zu, daß

---

*) Frage: Können auch Universitäten, deren theologische Facultät vom Apostolischen Stuhle das Privilegium Doctores S. Theologiae promovendi nicht aufweisen können, dennoch an Jemanden solchen Titel Doctor verleihen? Müssen sich Jene, die solchen Titel angenommen haben, nicht schämen? Ist nicht der Gebrauch eines solchen fraudulös erhaltenen Titels ein Ungehorsam gegen den Apostolischen Stuhl? Die Antwort ist nicht schwer!

**) Wohl ist es wahr geworden, daß mancher Heuchler aus der Universität sich in den Priesterrock schmuggelte, deren es jetzt, Gottlob! mutatis temporibus immer wenigere gibt.

du zur Widerlegung dieser wahrhaft unsinnigen und aus der Schule Satans geschöpften Irrlehren wenig Gegengründe nöthig haben wirst! Spricht nicht schon das Sprichwort: „Ignoti nulla cupido“ und die gesunde Vernunft dagegen? Sagt nicht Flaccus: „Naturam expellas furca, tamen usque recurret?“ Sagt aber dagegen nicht Gottes Wort bei Syrach: „Adolescens viam non relinquet, quam secutus est in adolescentia sua?“ Fangen diese Jünglingsjahre, wo der Verstand zur Entwickelung seiner Reife gediehen, erst mit dem 20. Jahre an? Wird sich wohl Jemand krank machen, um die Gesundheit desto besser anpreisen zu können? Wer wird sich wohl mit Gewalt den Fuß brechen, um später desto nachdrücklicher vor der Gefahr des Fußbrechens warnen zu können? Darf ein Vater mit einer Duellnarbe im Gesicht seine Kinder gegen das Duell warnen? Willst du aber wohl mit einer Duellnarbe im Gesicht die Kanzel zu betreten wagen, um desto kräftiger gegen die tolle Ehrsucht, gegen die heidnische Rachsucht, gegen den gefahrvollen Bruder- oder Selbstmord zu predigen? Sollte dir wirklich auch nur als Vernunftwesen erlaubt sein, die Laster der Trunkenheit und Wollust — sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus zu treiben, um dich von deren Schädlichkeit und Schändlichkeit zu überzeugen, um nun durch Zerrüttung des Geistes und des Körpers endlich überzeugt, wie ein brüllender Löwe dagegen zu toben? Wer wird doch so thöricht sein, Gift zu essen, um die Wirkung des Gegengiftes an sich und Andern erproben zu können? Welche schreckliche Verirrung? Verbietet denn nicht auch die heidnische Moral das Begehen solcher Laster als Seele und Leib tödtend? Kann und ist wohl ein solches viehisches Leben auch nur eine entfernte Vorbereitung für weltliche Stände, um wie viel weniger für den geistlichen Stand? Schweigt doch, ihr verblendeten Thoren, ihr blinden Führer der Blinden, mit eurer abgedroschenen Erwiderung: „So wie wir die Pforte des Seminars eröffnen, schließen wir die Thüre unseres jetzigen Wandels.“ Glaubt ihr das alte Wort des Flaccus: Naturam furca expella etc. Lügen zu strafen? Nein, wahrlich, ihr strafet es nicht der Lügen. Die Acten — noch mehr die Früchte — der Universitäten — schau', lieber Sohn, nur etwas um dich her — beweisen dieses!

Die Equi und Porci und Muli der Universität bleiben dieselben, auch im Schwarzrocke, nur nicht mehr in denselben rohen Ausbrüchen, sondern unter der Maske der Gleisnerei und Scheinheiligkeit. Wenn wir nun überdieß die Würde und Heiligkeit des Priesterstandes, die Vorbereitung des Gottmenschen selbst zu seinem Predigtamte, das Gebet und die Einsamkeit der Apostel zur Einweihung in ihr Lehramt,

die Briefe eines h. Paulus an seinen Timotheus und Titus und das Leben aller ihrer wahren Nachfolger in's Auge fassen, so müssen wir über eine solche Vorbereitung auf den Universitäten den Stab brechen und Gott danken, wenn wir diesen Gefahren entgehen. Danke daher, lieber Sohn, daß der Herr die heiligen Opfer und Gebete und Fürbitten gnädig erhört hat, welche zu seines heiligen Namens Ehre von unsern Freunden bei Gott im Himmel und hier auf Erden dargebracht worden sind, auf daß du mit heiler Haut, mit graden Gliedern und einer unverderbten Seele die Schwelle des Heiligthumes betrittst und gerettet bist vor der Scylla und Charibdis der Universitäten unserer entarteten Zeit.

4) Ganz anders, lieber Sohn, lauten die auf das Evangelium gebauten und der menschlichen Schwachheit entgegenstrebenden Constitutionen, die man den Aspiranten einzuprägen sucht. Höre nur die §§ II bis VIII als eine Stimme vom Himmel und präge sie deiner Seele doch recht tief ein!

§ II. Nosse debent mundum, carnem et Diabolum esse tres animae nostrae capitales hostes, qui viam ad coelum tanquam latrunculi obsidentes suis hostilitatibus efficiunt, ut tota hominis vita sit militia super terram, ad quam viriliter accingi oportet. In hunc finem sibi omnes practica principia ac media faciliora ex sacra meditatione comparabunt, quibus concupiscentiae motus aliaeque tentationes eludi et muscarum adinstar possint ac debeant repelli. Huic rei maximopere deservient piorum autorum libri, quos pater spiritualis cuivis captui atque profectui idoneos judicaverit.

§ III. Sibimet ipsis frequenter inculcent humani generis vilitatem, vanitatem, fragilitatem et nihilum, ut ex hujusmodi cognitione et experientia quotidiana agnitionem sui ipsius paulatim consequentur. Item tam beneficia creationis, redemptionis et sanctificationis dona, quam personarum, qui iisdem abutantur; sicut et quatuor novissima perpetuo ob oculos parant, ut sic vel ad amorem Dei gratique animi effectum vel ad justum timorem Domini serio interpellentur, super quae tanquam firma cristianae vitae fundamenta solidarum virtutum aedificium extrui oportet.

§ IV. Virtutum theologicarum, fidei, spei caritatis et cardinalium, prudentiae, temperantiae, fortitudinis et justitiae genuinam naturam practice addiscant. Adhaec in vera humilitate, patientia, abnegationis sui ipsius jugiter se exerceant, omnesque suas actiones in vera discretione serio conentur, maxime vero, quodnam in quavis

Betender die Formen nicht nach Gutdünken gewechselt werden können. *) Auch verhehle ich nicht, daß ältere, besonders lateinische Andachts-Uebungen**) größtentheils geschmackvollere Seelenspeisen sind, als mehre der Neugebackenen, welche in einer blumenreichen Sprache höchstens die Einbildungskraft ansprechen, das Herz aber kalt und leer lassen. (Wer selbst nicht beten kann, läßt besser die Hände vom Schreiben eines Gebetbuches weg. Wir haben so viele kern- und saftlose Gebetbücher, die anekeln und kaum verdienen, Maculatur zu werden. Exempla sunt odiosa!)

Meine es daher in deinen täglichen Gebeten mit Gott gut; heuchle nicht. Bete nicht bloß mit den Lippen, damit dich der Vorwurf bei Matth. 15. 18 nicht treffe. Halte überhaupt das Gebet nach Jesu Lehre und Beispiel für das Hauptmittel, um Erleuchtung vom Vater der Lichter zu erflehen. Können wir ohne Gottes Gnadenbeistand nicht einmal einen guten Gedanken denken, so können wir also noch viel weniger eine gute Handlung setzen, und eben diese Gnade will erfleht sein. Bei solchen Andachtsübungen hüte dich vor Schwelgen in süßen Gefühlen. — Halte an um die Gabe der Thränen, mit der der h. Ephräm so sehr begnadigt war. Solltest du dich zuweilen ganz trocken, ohne Gefühl, z. B. bei der h. Communion, fühlen, wenn du anders dich dazu gehörig vorbereitet hast, so laß dich nicht von ihr zurückschrecken. Der h. Theresia, Franz von Sales u. d. m. geschah dieß oft. Ich wiederhole es dir, meine es gut und redlich mit Gott und seinem eingebornen Sohne Jesus Christus; dann meinst du es gut mit dir, mit deinem Berufe und mit der ganzen Welt. Gottes Schalk ist aller Welt Schalk. Lies von Zeit zu Zeit die Strafrede Jesu bei Matth. 15, welche Jesus den Pharisäern hielt, damit deine Religion und die Uebungen derselben aus dem Innersten deines Herzens geboren, sich nach Außen entfalten und dadurch wie in dir, so auch in Andern, die Flamme der Gottes- und Nächstenliebe entzündet werde u. d. m.

8) Spezielle Ehrfurcht und Ehre gebührt deinem Superior und Achtung allen denen, die dir dein Bischof zu Vorgesetzten gegeben.

---

*) Als das alte Seminar in Cöln unter der Leitung von den hochseligen Förster, Mohren und Bowinkel stand — qui erant rari nantes in gurgite vasto — da waren die Gebete der Segensmesse der Art, daß die Gläubigen alle daran Antheil nahmen.

**) Was für eine Tiefe und liebliche Schönheit liegt nicht in einem Merlohorstius, in einem Rakatenus, einem Blosius, Bernardus, Augustin, Granada u. d. m.

Einmal wegen ihrer Stellung zu dir, einmal wegen ihrer priesterlichen Würde. Diese Ehre muß sich nicht nur durch aufrichtige äußere Hochachtung, sondern auch durch herzlichen und pünktlichen Gehorsam äußern. Nur in dem Falle, wo deine Professoren eine schlechte oder eine vom apostolischen Stuhle verdammte Lehre vortragen, darfst du sie nicht hören. Beobachte daher, was der § 26 erwähnter Constitution sagt, nämlich: „Contra correctionem superiorum non murmurent et si quid injuste sibi pati videantur, patienti taciturnitate sufferant et in meliorem partem accipiendo cogitent, se de praesenti non intelligere correctionis mensuram. Inprimis autem caveant ne de suis superioribus male loquantur, ne illos dijudicent, irrideant, aut illorum dicta, facta, correptiones, disceptiones etc. sinistre interpretentur, multo minus talia suis sociis aut — quod pejus foret — extraneis evulgent." Das Vaterhaus und das Erziehungshaus ist die Vorbereitungsschule, diese Tugend sich frühzeitig einzuüben.

9) Ehre, Achtung, Zutrauen, Gehorsam bist du allen übrigen Professoren schuldig, wie auch Alles, was der vorige § befiehlt. Im Allgemeinen hüte dich, diese deine Oberen mit vielen Besuchen zu beschweren; denn sie haben der Arbeit zu viele, der Ruhestunden zu wenige. Ein bescheidenes Entferntbleiben zeugt von Achtung gegen sie. Lerne eine allgemeine Besuchs-Einladung von einer besonderen unterscheiden. Frage in einem solchen Falle um die Stunde, die ihnen am liebsten ist und befolge dann diese schöne Regel der constitutiones: coram superioribus et majoribus se ultro non facile ad loquendum ingerant, ad interrogata vero paucis modeste et graviter respondeant. Es zeugt von Bescheidenheit, den Besuch nicht in die Länge zu ziehen. Die Aufforderung, länger zu bleiben, klingt immer besser, als das abbrechende Wort: adieu. — Nicht einmal mit Lectionsfragen sollst du deinen Lehrer in seinem Zimmer plagen, laß dir dieselben von deinen älteren Coalumnen beantworten, oder notire sie, bis mehre Zweifel sich häufen, um auf einmal mehre Auflösungen zu erhalten und öfteren Zudringlichkeiten auszuweichen.

Am wenigsten erscheine vor deinen Obern als Kläger. Der § 6 der Constitutionen wird deine Klagen, der § 17 und 18 deine Anklagen aufheben. Hüte dich vor Stolz, siehe auf dich und tadle an Andern nicht, was du nicht kennst und nicht einsiehst. Am allerwenigsten laß dich als Abgeordneter deiner Convictoren gebrauchen, um in ihrem Namen entweder über Bedürfnisse oder Personen Klage zu führen.*)

*) Religion und Sitte gebieten, sich fern von der Genußsucht zu halten,

Laß diese vermeintliche zutrauliche Ehre dich nicht kitzeln, sonst wird dich das Mißtrauen und der Name eines Aufwieglers treffen. Ueberhaupt seien Angebereien und Schwätzereien deine Todfeinde bis zum letzten Tage deines Lebens. Laß dich um keinen Preis und unter keiner Bedingung von keinem Menschen gewinnen, der Spion deiner Mitbrüder zu werden; du triebest das schändlichste aller Diebeshandwerke, und Verachtung, Feindschaft, Entgegenbeaufsichtigung, wohl gar noch Rache wäre deine Lohn.

Selbst wenn dich das Loos treffen sollte, Aufseher oder Präfect (Senior) werden zu sollen, so bitte, unterstützt durch alle möglichen Gründe, um Dispensation; denn auch die größte Nachsicht und die freundlichste Behandlung eines solchen Präfecten ist immer mit einem übeln Miasma begleitet. Mußt du aber Präfect aus reinem Gehorsam werden, so bleibe dir gleich und zeige durch nichts, als wolltest du über deines Gleichen dich etwa erheben. Es würde dieß Stolz und Dummheit verrathen.

10) Des h. Augustins goldener Worte gedenke stets. Er sagt so kurz, so bündig und schön:

„Serva ordinem et — ordo — te servet“

und ich sage dir, die Tages- und Wochen-Ordnung ist die conditio sine qua non jeder Communität. Von deren genauen Befolgung hängt das übereinstimmende und friedliche Leben ab, und die glückliche Erreichung des Zwecks der Anstalt. Wenn sie nicht gedruckt jedem Zögling in die Hand gegeben wird, so schreibe sie ab, um nicht den kleinsten Punkt davon zu übersehen. Sollten ihre Vorschriften in's kleinste Detail gehen, so ist sie nur dadurch desto zweckmäßiger, eine so große und verschiedenartige Menge Jünglinge in Ordnung zu halten. Gibt es hie und da Beispiele, welche sich nicht genau an alle Vorschriften halten, so ahme sie nicht nach; denn wenn dir's auch nicht gerügt wird, so bleibt die genaue Befolgung aller Regeln immer tadellos und ist zugleich eine schöne Angewöhnung für die künftige Lebensordnung.

11) Deine Hauptstudien sind Dogmatik, Moral, Exegese, Pastoral-

---

Erziehung muß dieß in der Praxis durchführen. Wer aber als Kind schon das gute Essen und Trinken liebt, keine Anstalt ihm es gut genug macht, der ist schon auf schlimmem Wege und verschwendet, wenn er geistlich wird, für Leckerbissen Summen, die den Armen gehören; im Bürgerstande befördert solche Lebensweise den Ruin mancher Familie.

M.

theologie, jus canonum, Historia ecclesiastica und Liturgie. Befolge bei jedem Gegenstande die wichtige Doppelregel, keinem derselben einen besonderen Vorzug zu gestatten, keinen auf Unkosten des anderen zu studieren, sondern dich von Allem gründlich zu unterrichten. In Beziehung auf die Gründlichkeit arbeite dem oberflächlichen und halben Wissen entgegen. Jeder Hauptsatz muß in allen seinen Theilen verstanden werden, und sonnenklar vor deinen Augen schweben. Erst dann ist er des Aufbewahrens im Gedächtnisse werth und wird um so fester demselben eingeprägt haften, je gründlicher der Verstand ihn erfaßt hat. Ne jures in verba magistri. Auch der gelehrteste Professor muß seinen aufgestellten Satz mit unumstößlichen Gründen beweisen, und diese Gründe sind es allein, denen du nachforschen und aus denen du die Wahrheit folgern sollst. Wie es jetzt steht, so meint man, es sei genug, wenn man drei Jahre das Universitätsleben mitgemacht habe, im Seminarium ein Jahr zu bedürfen, und dann will man das Jahr so durchfliegen, um an's Brod zu kommen. In diesem Einen Jahre soll und will man den ungeistlichen Sinn der Universität tilgen, wähnt die Natur bezwingen zu lernen oder scheint ihr nur einen Zaum anlegen zu wollen, bis man aus diesem Kerker, diesem Zwinger erlöst worden. Ach! ihr, die ihr auf diese Art zu Mercenariis euch bildet, könnet ihr euch versprechen, einst zu den Schafen gesellet zu werden? Ihr, die ihr auf der Universität Bocksgeruch und Natur angenommen?

Hast du aber das Glück, drei Jahre in einem Seminar zu wohnen, so scheinen diese dennoch kurz in Anbetracht so wichtiger und heiliger Wissenschaften, die du zu erlernen hast. Du wirst demnach keine Zeit finden, profane belletristische Werke nebenher zu lesen. Nicht einmal ist es jetzt gut, andere als die dir vorgeschriebenen Bücher zu durchgehen, weil jene nicht nur gewöhnlich entweder das Nämliche mit anderen Worten lehren, oder unter einen erkünstelten Honig Bitterstoff mischen, der dir für Leib und Seele verderblich ist und wird, sondern auch die kostbare Zeit, von dessen Momenten du dem strengen Richter Rechenschaft geben mußt, verschlingen. Auch hast du, lieber Sohn, deine übrigen Stunden der Wissenschaft der Sprachen zu widmen und hiebei wähle zunächst jene religiösen und kirchlichen Bücher, z. B. vor allem das neue Testament und dann jene Werke, welche zur Kirchengeschichte einen Beitrag liefern. — Dann erst will ich dir jene profanen *) Sammlungen anrathen, welche gereinigt sind, in classischer

*) Unsere Gymnasiallehrer verstehen gewiß den Juvenal nicht in dem Maxima debetur puero reverentia. Sie verstehen vielleicht unter reverentia — Compli-

Sprache deine Sprachkenntniß erweitern und verschönern, und wenigstens mittelbar deiner Gesammtbildung mithelfen.

12) Das unmittelbare Studium erfordert für jeden Gegenstand eine unzertrennliche Trippelallianz, die dich zu jeder Lection begleiten muß, nämlich: die **Praeparatio ad lectionem,**
Attentio in lectione,
Repetitio post lectionem.

Eine einzige Sprosse übersprungen, ist halsbrechend für den Gewinn der Wahrheit. Wer sich nicht zur kommenden Lection vorbereitet, wird die zweifelhaften, undeutlichen Stellen des Buches übersehen, und deren Erklärung nicht so leicht verstehen, wie derjenige, der sich vorher dieselben bemerkt und sich Mühe gegeben hat, ihren Sinn zu erforschen;

---

mente schneiden. — Daß noch Keiner sich darüber in einem Programm in longum et latum ausgequetscht hat, daran ist gewiß nichts anderes Schuld, wie — Gedankenlosigkeit! — Man hätte in diesem Geschreibsel es mit den Jesuiten aufnehmen, ihnen klar vordemonstriren sollen, daß ihre Meinung, als hätte Juvenal hier sagen wollen, daß des Knaben Aug' und Ohren in Keuschheit erhalten, alles, was sein Gemüth beflecken könne, von ihm sorgfältig entfernt gehalten werden müßte, baarer Unsinn sei und der Natur widerstreite, und keck behaupten „noli nulla cupido“ Die Jesuiten sind ja im Erziehungsfache gegen unsre Philologen winzige schwarze Männlein! Heute versteht man dieß besser. Man ertappte die Jesuiten, daß sie in früherer Zeit die autores classici verstümmelt hatten und die schönsten Stellen, woran sich so manches den Schulbänken entwachsene Bürschchen ergötzte, entweder ausgemerzt und andere mönchische Verse eingeschoben, oder gar den Sinn durchaus verletzt hatten. Man ereiferte sich und frug, wer den Jesuiten das Recht gegeben, einen solchen classischen Raub zu begehen, da doch diese classischen Autoren ein heiliges, unverletzbares Gesammterbe aller Nationen seien; und, welche Fürsorge! in Leipzig fand sich ein Taugenichts, der diesen Fehler der Jesuiten wieder gut machte und jene Autoren in der Urschrift getreu auflegte. Da säumten nun unsere geschickten Erzieher (!!) keinen Augenblick, diese nach den Originalwerken edirten Classiker in den Gymnasien einzuführen, et factum est ita, daß die scurrilsten Stellen öffentlich übersetzt und erklärt wurden — hatte einer der Lehrer noch ein bischen Scham übrig, so geschah es auch, daß er, wenn er an eine solche Stelle kam, sie überschlug — die Knaben aber zu Hause sich daran ergötzten. Sehe jeder nach, ob er nicht bis heute bei Gymnasiasten diese Autoren solcher Correction findet. Und doch sind die Knaben heut zu Tage engelrein?!? ...... Es beweisen dieß so viele Sittsamkeits- und Keuschheitsbeispiele, oder viele Entlassungen, so viele Bestrafungen. Kann man aber das Axiom qualis rex talis grex über den Haufen werfen? Als der Kanzler Baco lebte, hielt man auf den Jesuitenschulen strenge auf Sitten und Wissen, daher sagte er, ohne jede Distinction: „Consule scholas Jesuitarum, nihil enim his melius!“ Hat zu unsrer Zeit ein gründlich mit unsren Schulen bekannter rechtlicher Mann je etwas der Art von unseren Gymnasien ausgesagt?

begierig wird dieser am Munde des Lehrers hangen, horchen, wie grade diese ihm dunkle Stelle erklärt wird. Unmöglich ist es, ohne diese spezielle Präparation die ganze Lection mit vollem Nutzen anzuhören. Von der Aufmerksamkeit während den Vorlesungen brauche ich dir nichts zu sagen, nur rathe ich dir, über die wichtigsten Punkte der Erklärungen während der Lection schriftliche Notamina zu machen; weil den Tag hindurch mehre verschiedenartige Lectionen miteinander abwechseln. Du siehst nun wohl selbst ein, daß ohne derlei Punktationen manche Erklärung wieder verfliegt oder vergessen wird. Ich nenne diese Notamina Punktationen, um sie von dem Nachschreiben natürlicher Erklärungen zu unterscheiden. Wenn mir letzteres sogar schädlich dünkt, so sind Erstere für Verstehen und Behalten sehr wohlthätig. Daß die Repetitio eben so unentbehrlich sei, ist keinem Zweifel unterworfen. Hier gibt der Geist sich Rechenschaft, in wie fern er den Sinn der Lectionen aufgefaßt und begriffen habe. Die richtigen und hellen Begriffe werden dann dem übrigen Schatze des Gedächtnisses beigesellt, die Dubiösen bis zur nächsten oder gelegentlichen Erläuterung bemerkt und so wird das Studium auf die bestmöglichste Weise befördert. Um die Präparation nicht außer Acht zu lassen, mußt du die Manuscripte, nach welchen gelesen wird, vor dem Anfange der Lection abschreiben, was um so nöthiger ist, als bei dergleichen Vorlesungen Ein Sinn, und zwar der Hauptsinn, das Auge, mangelt.

13) Bei öffentlichen Disputir-Uebungen beobachte die Regula 60ma der Constitutionen, sie heißt: „Concertationes scholasticae absque clamore nimio, qui veritatem dubii solummodo confundit sic instituantur, ut argumentans tarde et ordinate sua proponat, defendens vero patienter argumentum audiens ad formam respondeat. In se invicem non invehantur neque fervore nimio vel ira exardescant; multo minus unus alterum confundere, sed rei propositae veritatem eruere conentur et ubi illius evidentia vel probabilitas constiterit, non violenter argumentum ex stimulo superbiae intellectualis torquere praesumant, sed veritati vel probabilitati prudenter acquiescant.“ Laß dich nie durch Befangenheit für deine Meinung aus dem Geleise der Ruhe und der Sicherheit hinaustreiben. Sobald dein Gesicht sich röthet, dein Auge glüht und deine Stimme in Geschrei ausartet, so verstärkt sich die Leidenschaft, welche deinen Geist verblendet, daß er das Wahre vom Falschen nicht mehr unterscheiden kann.

14) Oft gibt es auch unter deinen Mitschülern disputatorische Privatunterhaltungen. Geschehen diese bloß exercitii gratia oder vielleicht nur, um in einer kleinlichen scholastischen Frage Feuer anzuzünden,

so mische dich nicht ein und horche schweigend zu. Handelt es sich aber um die Erforschung eines zweifelhaften wichtigen Satzes, so sei deine Behauptung ruhig und sanft. Befolge dabei die kleine, aber für die Conversation allgemein wichtige Regel, daß man nie den aufgestellten Satz schlechtweg läugnen oder verwerfen solle. Jede auch noch so irrige Thesis hat einen Seitenpunkt, den man distinguendo zugeben kann. Und eben durch das Zugeben eines Seitenpunktes wird sich der Gegner leichter von dem Irrthum der übrigen Satztheile überzeugen lassen. Ein barsches, grobes Entgegnen: „Der ganze Satz ist falsch,“ verletzt zu sehr die Eigenliebe der Vernunft des Andern, welche stets voraussetzt, die Wahrheit auf ihrer Seite zu haben.

15) Für deinen Umgang mit deinen Coalumnen gelte die göttliche Lehre Jesu: „Seid klug wie die Schlangen und einfältig wie die Tauben“ (Matth. 10, 16) als erster Grundsatz.

Seine Anwendung vernimm in folgenden, meiner Erfahrung entnommenen Vorschriften. Wenn du die Schlangenklugheit mit der Truglosigkeit der Taube vereinigen willst, so sei stille, verschwiegen und zurückgezogen. Es ist ohnehin nach Jacobus 3, 5. 12 ein Schritt zur Vollkommenheit, wenn man seine Zunge zu mäßigen weiß, und das Sprichwort: „Junior audi“ paßt gar schön für einen studirenden Jüngling; du kommst dadurch viel weniger in die Gefahr der Verlegenheit und Unklugheit. Schreibt doch selbst der h. Thomas von Kempen: „Selten hat es mich gereuet, geschwiegen, oft aber wohl, geredet zu haben.“ Salomon sagt Prov. 10, 19: „In multi loquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est“ Ein Mensch, der nichts verbergen kann, gleicht einem offenen Briefe, in jeder Hinsicht gefährlich in unbekannten Umgebungen. Ein natürlich ernstes, stilles Betragen zieht Achtung nach sich, der stets geschwätzige Mund aber Verachtung. Jede vernünftige, unverfängliche Frage deiner Coalumnen verlangt zwar immer eine freundliche, redliche Antwort, sie sei aber kurz und abgebrochen.

16) Du stehst zwar an deinem Platze allein, und es scheint sogar natürliches Bedürfniß an Einen oder den Andern, der uns freundlich entgegen kommt und den wir unserm Kopf und Herzen ähnlich halten, uns anzuschließen, und ihm unser Vertrauen und unsere Freundschaft zu schenken. Gerade aber hierin möchte ich dir einen Gegenrath ertheilen. Für's Erste fehlt dir die Zeit, deinen dir sich annähernden Mitbruder gehörig kennen zu lernen. Bloße Aeußerung von Zuneigung, vergoldet mit schönen Worten, sind doch nur Aushängeschilder, die noch lange nicht von dem Inneren des Herzens zeugen, — für's

Zweite ist eine solche Vertraulichkeit zu dem Einen eine Hintansetzung aller Uebrigen und kann aus höheren Rücksichten von deinen Superioren nicht gern gesehen oder muß gar getadelt werden. Für's Dritte könnte ein solcher vertraulicher Umgang dich sehr leicht vom Studium abziehen, und wenn auch nicht zum Liebkosen, doch zu unnützen und zeitraubenden Unterhaltungen anziehen. Kein Wort zu sagen, ob nicht später unter der Decke eines Lammes ein Wolf sich zeigen könnte. Deshalb präge ich dir, mein lieber Sohn, die goldene Mahnung jenes unvergleichlichen, unvergeßlichen, unersetzbaren Präses Förster des Seminariums von Cöln, welche er seinen Alumnen einschärfte, ein:

Cuivis amicus — nemini — familiaris!

Präge sie recht tief in deine Seele ein. Sie wurde von einem Förster gegeben, und schon dieses reicht zu seinem Lobe hin. Sei daher bescheiden und gefällig, ziehe Keinen dem Andern vor. Bleibe ohne specielle Attraction Allen eben gut, dann werden Alle auch dir gut sein und bleiben.

17) Hältst du dich, mein lieber Sohn! stille und zurückgezogen und für Vertraulichkeit unzugänglich, so wirst du dich eben so weit von Lieblosigkeit entfernen, die Fehler und Schwachheiten deiner Coalumnen zu rügen, andern zu entdecken, als deinen Oberen anzuzeigen. Nur mit Einem Auge ist es dir erlaubt, die Fehler des Andern anzublicken und mit dem Anderen auf dich selbst zu sehen, ob du nicht die nämlichen, oder gar wohl noch größere an dir findest. Nur zu gewiß ist es, daß jeder Mensch den Splitter im Auge seines Nächsten sieht und tadelt, seinen Balken im eigenen Auge aber übersieht (Matth. 7, 3. 5). Eben so wenig mische dich in fremde Händel. Laß dich nicht zur Schlichtung derselben gebrauchen; denn mißlingt dir die Sache, so hast du deine Rolle als Advocat schlecht gespielt und hast zugleich alle Verantwortlichkeit auf dir. Gelingt sie, so hast du die besiegte Partei gegen dich. Betrage dich in diesen Beziehungen, als seiest du allein im Hause. So wenig du dich selbst verurtheilst oder verklagst, eben so wenig sollst du es von Andern thun, ausgenommen, wenn du einem großen Schaden, einer großen Sünde, oder einem Unglücke durch Eröffnung der Wahrheit vor deinen Superioren vorbeugen kannst. — Dann ist reden sogar Gewissenssache.

18) Wie soll ich mich aber verhalten, frägst du, wenn ich beleidigt werde? Gradezu läugne ich zwar nicht die Möglichkeit, doch die Wahrscheinlichkeit, daß du beleidigt wirst. Wie ist sie aber wahrscheinlich, wenn du den ersten beleidigenden Angriff vermeidest. Jede Beleidigung hat eine vorhergehende Ursache zum Grunde. „Cessante

causa cessat et effectus.“ Zwar braucht Stolz, Eifersucht, Dummheit und Bosheit eben nicht vieler Beweggründe zu offensiven Ausbrüchen; wenn du aber diesen bellenden Hunden still vorbeigehend ausweichest, so hören sie von selbst zu bellen auf. Schnell hingeworfene, unbedachtsam ausgesprochene Worte laß in der Luft verhallen, sie dürfen dir nie ein saures Wörtchen auspressen, denn die Liebe nimmt Beleidigungen nicht hoch auf (Corinth. 1, 3). Die leichteste Kunst, den Beleidiger zu beschämen und zu entfernen, ist, dessen Beleidigungen nicht achten. Sein verfehlter Zweck und dein christliches Ausweichen wird seine Abneigung gegen dich verdrängen und er wird seine stille Achtung dir nicht versagen.

19) Sei kein gläserner Mensch. Wenn du weder Spaß noch Ernst verstehst, wenn dich jeder unwillkürliche Stoß betrübt, wenn dich jedes ungefällige Wort ergreift, wenn sich die Andern nach dir richten und bequemen sollen, dann bist du Glas, zerbrechlich wie dieses, leicht verletzlich und verletzend. Sei vielmehr ein Diamant, bleibe dir stets gleich und laß dich durch Kleinigkeiten niemals aus deinem Gleichmuthe bringen.

20) Sei nicht launenhaft. Bei unbefriedigten Wünschen und bei unausweichbaren Unbequemlichkeiten schleicht sich gern die üble Laune ein. Auch eine größere, aus verschiedenartigen Individuen bestehende Gesellschaft trägt dazu bei. Ein finsteres Gesicht, ein kaltes Wort des Mitbruders zieht einen Nebel über unsere Heiterkeit, unsere Stirne zieht sich in Falten, unser Gesicht verzerret sich, und so werden wir mürrisch und verdrießlich, ohne zu wissen warum. Hat dann dieser Plagegeist unsere gute Laune vertrieben, so bemeistert sich die üble Laune unseres ganzen Wesens so sehr, daß uns jede Mücke böse und jedes schwarze Wölkchen traurig macht. Anfangs zwar beherrscht die üble Laune unser Temperament, schnell aller geht sie in Fleisch und Blut über, veschcucht auf immer den frohen Muth und zieht uns die Abneigung aller Menschen zu.

21) Sei kein Sonderling. Einige Menschen wollen sich aus Caprice, Eitelkeit oder Egoismus auszeichnen; wenn die Mehrheit sich ergötzt, studiert der Sonderling. Befolgen Andere die Tagesordnung, so macht er sich etwas anderes zu thun; was Anderen gefällt, mißfällt, ihm; was Andere tadeln, lobt er. Alle seine Sitten und Manieren sind von denen der Uebrigen verschieden. Gelächter, Spott und Ekel sind die Wirkungen, die ein solches Betragen nach sich zieht. Man überläßt den Sonderling seinen Grillen, und zwar mit verdienter Verachtung. Damit will ich aber gar nicht sagen, daß hie und da eine

Ausnahme von der allgemeinen Regel den Sonderling bezeichne. Zu Zeiten kann der Fall eintreten, daß die Recreationsstunde für einen andern Zweck geopfert werden muß; nur soll es der Ausnahmen nicht zu viele geben, daß die Regel nicht darunter leide.

22) Sei höflich. Wenn bäurische Grobheit bei den Burschen unserer Hochschulen unter ihre ersten Gesetze gehört, so daß sie es für ein Verbrechen halten, sogar vor angesehenen Männern den Hut abzunehmen, so freue ich mich, daß du unter Jünglinge dich schaaren wirst, deren Höflichkeit ein Standeseigenthum genannt werden kann.

Ohne spartanische Complimente nachzuahmen, ohne einen falschen Schein zu geben, ohne den geringsten Vortheil zu suchen, ist die ungekünstelte Höflichkeit ein natürlicher Zauber, der die Herzen anzuziehen und sich beliebt zu machen weiß. Sie ist ein wesentlicher Bestandtheil einer guten Lebensart, und wirkt sogar mit einer vis repulsiva, um die meisten Gesellschaftsbeleidigungen und leidenschaftliche Ausbrüche fern zu halten; doch überschreite nie die Schranken der Natürlichkeit. Gekünstelt, gesucht und übertrieben macht sie lächerlich und argwöhnisch. Eine solche Höflichkeit hält man für Heuchelei und Verstellung, um dem Egoismus ein Geschenk zu erschleichen.

23) Sei wahrhaft fromm und erbaue Andere. Im Dienste, am Altare benimm dich so, daß du lebendig verkündigest, daß du wahrhaft an die wirkliche Gegenwart Gottes glaubest. Befolge und übe mit heiliger Scheu die so sehr weise befohlenen, als auch tief mystischen Sinn bekundenden, unvergleichlich schönen Ritus bei Ausspendung der h. Sacramente und Sacramentalien ganz genau und pünktlich, weder zu geschwinde, noch zu langsam, ehrerbietig, anständig und demüthig. Es erbaut nichts so sehr die Gläubigen, als das geist- und würdevolle Benehmen, was man am Priester wahrnimmt. Als Diener des Altares, und wenn du auch nur Acolythus bist, gedenke der Worte der h. Schrift: Sancti estote quoniam ego sanctus sum. Gedenke der inhaltsschweren Verwerfung, maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter (negligenter). Lerne deine Ceremonien durch und durch kennen, du wirst sie lieben. Ihre Rückäußerung auf dich wird nicht ausbleiben; du wirst vor jenem herzbrechenden Stumpfsinn, vor jenem unbegreiflichen, nie zu entschuldigenden Frevlern, vor jenem Handwerkssinne, den wir oft am h. Altare im Dienste wahrnehmen, behütet sein, du wirst nicht mitten in der verzehrenden Flamme Eis bleiben, dich werden die Worte Jesu: „quia neque calidus neque frigidus es, incipiam te evomere ex ore meo," nicht treffen.

sei nicht zu gemächlich oder zu hölzern, es anzubauen. Es ist dir Pflicht, und strenge Rechenschaft harret deiner, ob du mit deinen Talenten, so wie Gott wollte, gewuchert hast.

27) Hüte sorgfältig deine Zunge. Meide unnützes Geschwätz. Des Priesters Lippen sind die Hüter der Gerechtigkeit. Was im Munde des Laien Scherze sind (so sagt ein frommer Mann), sind im Munde des Priesters Blasphemien. Frequentire keine Gelage, Gastmähler, Tauf- und Hochzeitsfeste, außer wo es die Noth, die Schicklichkeit, oder ein wichtiger Zweck die Erreichung von Gottes Ehre gilt. Dann aber benimm dich mit Würde, die fern von Stolz und Prahlerei oder Gleißnerei ist, damit du jede unziemliche Miene sogar entfernt zu halten vermagst. Dein Gespräch drehe sich nur um das, was dir am Herzen liegen muß. Tritt der Letzte ein, und verlasse sie der Erste. — Dein eigener Tisch sei spärlich, keine ausgesuchte, keine den Gaumen kitzelnde Speisen, keine delicate theure Weine, sondern eine gesunde Kost und einen leichten Wein; das bedarfst du, diese genieße, dabei halte dich, damit Gott dir nicht zuruft: „Deus eorum venter est. Grade das, was du am liebsten issest, esse am seltensten, und was du nicht gerne issest, am öftersten. Einmal bist du dir's schuldig, um dein Fleisch zu kreuzigen, deinen Geist unter die Botmäßigkeit des Körpers zu bringen und zu halten; das andere Mal bist du dieß aus Gerechtigkeit gegen die Armen schuldig, denn — und das vergiß ja nicht — Alles, was dir deine einstige Stelle einbringt, gibt dir die Kirche als ein Almosen, was du nach einem frugalen Leben erübrigest, gehört nicht dir, sondern den Armen deiner Stelle. Wenn du so haushältst, dieser nie vergissest, so wirst du gewiß einst die gesegneten Worte von Jesu hören: quia super panca fuesti fidelis etc.

Hüte dich vor dem Nepotismus. Deinen Verwandten gehört nur dann etwas, wenn sie arm sind. Ihr bequemes Leben, Aufwand, Putz, Verschwendung zu unterhalten von dem Ertrage deiner Pfründe, wäre Diebstahl und Raub an deinen Armen. — Im Testamente von dem, was diese Erträge abgeworfen, Legate machen, Legate geben, deren späterer Mißbrauch leicht vorausgesehen werden kann, heißt dich selbst verdammen. Nur über dein Patrimonialvermögen kannst du testiren. *)

*) Schreiber dieses kannte einen Priester — einen Engel — derselbe hielt genau Buch über Empfang und Ausgabe seiner Stelle. Ende eines jeden Jahres nahm er, was er übrig hatte, zu sich und trug es zu den verschämten Hausarmen, und der erste Tag im neuen Jahre fand in seiner Casse 0 — !?

Solltest du in die Lage gerathen, eine Haushaltung anfangen zu müssen, so wird dich mein Bedauern erreichen und dir folgen. Laß dir dein Essen durch einen frommen, bejahrten Knecht holen, selbst wenn du mehr bezahlen müßtest, oder gehe in die Kost bei einem Geistlichen. Lieber Sohn! ich bitte dich, folge mir. Unglaublich viel trägt eben der Umstand, daß kein weibliches Wesen in deinem Hause ist, zur Ehre deines Standes, zur Würde deiner Functionen und zur Erreichung des vollen Vertrauens in deiner Gemeine bei. Hast du sonst eine Köchin, so wirst du der Verläumdung nicht entgehen. Gehst du mit ihr menschlich um, so wird sie dieß als Schwäche deuten, und dich listig und schlau zu beherrschen suchen. Beherrscht dich aber Geiz und Habsucht, und sie rechnet dir wahr oder erlogen vor, wie viel Pfennige sie diese Woche erspart habe, so wirst du sie vortrefflich finden, wirst sie für dein Interesse unentbehrlich finden, und so wird sie mit ihrer List und deiner Hilfe dich unterjocht haben, ehe du es ahndest. Sie erhebt nun den Kopf und du wirst durch ihr Benehmen und ihre Ausbrüche bei Freund und Feind dich compromitiren. Du fällst dem Tadel, der Verachtung anheim, das dir geschenkte Vertrauen mindert sich und um deine Wirkungen auf die Seelen ist es geschehen. Du fällst zwischen Scilla und Charybdis. Sieh um dich herum und du wirst das Gesagte noch lange nicht erschöpft finden!

Dein Schlafzimmer, lieber Sohn! trage die sinnvolle, gewichtige Ueberschrift, welche Merlohorstius, ehemaliger Pastor im Pesch (in *Pasculo* B. M. V.) im Dome zu Cöln — ein Mann, der viel Anstauner, aber wenig Nachahmer hat — im Jahre 1600 darüber schrieb: „Mulcires fores sunto.“ Du kennst diesen frommen Merlo. Er machte sich sein Bett selbst. Ein Strohsack war sein Lager. Ein solches Bett empfehle ich dir, es ist leicht gemacht. Du wirst einen gesunderen Körper, gestärktere Seelenkräfte dabei erreichen, und wirst mit einem guten Gewissen besser darauf ruhen, als der Weichling auf seinen weichen Pfühlen.

Abstine! Sustine! ich rufe dir dieses noch einmal zu. Vermochten die Spartaner — als Heiden — sich abzuhärten, indem sie die Nothwendigkeit erkannten, daß der Geist den Körper beherrschen müsse, ein weichlicher, in Wollust und in Verzärtelung sich mästender Körper aber so wenig Beschwerden ertragen, als er Anstrengungen des Geistes zu wissenschaftlichen Dingen ausführen könne, so geziemt sich dieß für dich und jeden um so mehr. Sieh unsere entartete, in allerlei Genüssen schwelgende Generation an, und wenn du Augen hast, zu sehen und Ohren hast zu hören, so höre, sieh und lerne! Vermochten

Spartaner als Heiden solche Wahrheiten zu begreifen und solche sich zu Nutze zu machen; was soll der Christ, der Priester thun!

Deine Kleidung muß stets reinlich — nicht ausgesucht sein. Sie soll deiner priesterlichen Würde, in welcher — beherzige dieß wohl — deine ganze Menschenwürde untergehen, ersterben muß — geziemend sein. Wirst du Weltpriester, so empfehle ich dir die Soutane. Möchte ich dich nie ohne solche sehen. Es ist eine große Thorheit und zeugt von Unverstande, wenn man die Soutane auf dem Lande unzweckmäßig findet. Die früheren Ordensgeistlichen hätten dann auch auf dem Lande ihre Kleider ablegen müssen. Lege die Soutane nie ab, sie schützet dich und du schützest sie. Man sagt zwar, das Kleid mache nicht den Mann. Bei'm Priester aber macht das Kleid den Priester sicherlich.

Die Soutane schützt dich vor unnöthigem Verkehr mit der Außenwelt. Sie gebietet Achtung und Ehrfurcht in derselben und nicht selten verstummen bei deren Anblicke die rohen Ausbrüche der Leidenschaft, vorausgesetzt, daß dein Inneres mit dem Aeußeren in geistigem Verbande steht.

Lichthell schwebe der Wahlspruch des h. Ignatius:

„Ad majorem Dei gloriam"

dir vor Augen. Diese Ehre Gottes in Allem zu erstreben, ist deine Pflicht, es muß deine angenehmste Sorge sein. Von ihm müssen alle deine priesterlichen Handlungen belebt und durchdrungen sein, er muß dein höchster Zweck sein. Durchforsche die h. Schriften! Sieh, wie von Anfang her Gott ein auf seine Ehre eifersüchtiger Gott ist. Sich aussprechend im ersten der zehn Gebote, strafte er das Mißtrauen des Moises bei'm Felsenbrunnen, mit verweigertem Eingang in das gelobte Land. — Den Levit Oza mit jähem Tode, weil dieser die Arche des Bundes zu berühren wagte. — Den Heli wegen zu großer, ihm durch den Propheten vorgeworfener Nachsicht mit seinen ungerathenen Söhnen bei'm heiligen Dienste mit jähem Tode. Core Dathan und Abiron, weil sie sich des h. Rauchfasses bemächtigt hatten. Den König Achaz, weil er sich das Rauchwerk anzuzünden erkühnte. Einem jeden Menschen, also auch dir gilt Jesu Zuruf: Nemo praesumat sibi honorem nisi vocatus ut Aaron.

Endlich biete ich dir noch einige practische Regeln, die theils das Gesagte begründen, theils auch Anderes besagen und von dem seligen Bartholomäus Holzhauser nicht nur dir, sondern allen Aspiranten zum geistlichen Stande gesagt sind, nämlich:

Ab omni specie mendacii abstinere, veritatem vero, quae inter praecipua bene moratae juventutis ornamenta numeratur, tanquam

pupillam oculi in omnibus verbis et actionibus suis custodine studeant. Non adulentur. Non fingant pietatem. Neminem decipiendo verbis circumveniant et in rerum auditarum narratione ab omni falsa amplificatione abstineant, ut, sicut loquitur os ita in veritate cor sentiat. Sermone utantur modesto. Non sapientiae sublimitatem affectent. Non falsae humilitatis objectionem, sed in omnibus curent simplicitatem, sinceritatemque christianam servare, quibus proximus aedificetur, non offendetur. Semetipsos prae aliis non extollant neque interius in suis rebus sibi vane complaceant, multo minus se ipsos aut sua laudare et per joctantiam magnificare praesumant, cogitare enim serio debent omne bonum esse desuper a patre luminum. Tam vultu tristitiam, occulorumque austeritatem, quam levitatem in se ipsis omnes sic corrigant, ut suavitas cum gravitate, modestia vero cum magnanimitate in cujus vis vultu certare videatur; in hoc ipso tamen omnem simulationem et hypocrisin excludentes. Exclusa omni levitate in incessu gravitatem semper cum modestia conjungant, incedendo non currant, in vestibus muditiem amont, sordes oderint, et in omnibus verbis actionibusque suis gestus membrorum ac totius corporis compositionem talem exhibeant, quae omnem hominem possit ac debeat aedificare.

Wenn du nun, mein lieber Sohn! gewissenhaft und reiflich und redlich vor Gott und mit Gott erwogen hast, was zu deinem Heile dient, was dieser engelgleiche Stand erfordert, so wirst du mit Beirathung und Anleitung deines Beichtvaters deinen Entschluß fassen.

Wirst du demnach den geistlichen Stand wählen, so lege die Hand fest an den Pflug und schaue fürder nicht zurück auf die Fleischtöpfe Egyptens. Du wirst mit Gottes Gnade seine Beschwernisse überwinden lernen und ein Priester juxta ordinem Melchisedech — dem Herrn ein angenehmes Opfer — werden.

Dir haben nun die vorstehenden Mahnungen die vielen Leiden (acerba) und Mitleiden (compassiones), die Armuth und die Entbehrungen des geistlichen Standes vor Augen geführt, damit du nicht blind, ohne Kenntniß dieses sublimen Standes, ihn antreten mögest. Nie habe ich dir dazu gerathen und würde nie dich zu zwingen mich erkühnen. In wenigen Worten will ich dir nun etwas über das Vortreffliche, Schöne, Erhabene desselben an's Herz legen.

Du weihest dich durch eine völlig freie Hingabe deiner Seele und Leibes Gott deinem Herrn. Du heiligest dich ihm zwischen Himmel und Erde, zwischen der beleidigten Gottheit und der sündigen Menschheit stehest du in der Mitte. Du streckest deine Arme aus, um die beleidigte Gottheit mit dem Beleidiger zu versöhnen, und dem Gefallenen

die alten Rechte der Kindschaft Gottes und der Hoffnung auf seine Erbschaft wieder zu erflehen. Dir werden die Schlüssel des Himmelreiches übergeben. Du wirst Ausspender der Geheimnisse Gottes. Ein Vorrang, der sogar den Engeln versagt wurde, wird dir verliehen; denn Gott wird dir, seinem Geschöpfe, jedesmal unterthan, da er sich an die geheimnißvollen Worte bindet, sobald du sie in der Consecration aussprichst. Die Himmel zerreißen — Gott ist da! Deinen Händen gibt er sich Preis, um Wohnung bei dir zu nehmen und sich durch dich Anderen zu geben. Den Sterbenden schließest du den Himmel auf und führest die Gefangenen aus dem Kerker zur Anschauung des Ewigen in Ewigkeit.

Du wirst nach dem Apostel Allen Alles, hast die Mittel in deiner Gewalt, mit Gottes Gnade deinen Lauf zu vollenden, deinen Kampf gut zu kämpen, wofür dir der gerechte Richter am Tage der Vergeltung die Krone der Gerechtigkeit ertheilen wird, und du, unter die Zahl Derer, die dem Lamme ewiglich folgen, aufgenommen, singen wirst das ewige Halleluja!

Lieber Sohn! wie wird dann unser Wiedersehen sein, wenn Gottes unendliche Barmherzigkeit uns einst in seinem Reiche aufgenommen haben wird?

Wie nun gute, fromme Kinder ihre Eltern selbst nach dem Tode noch ehren, daß sie das Testament, was deren liebende Fürsorge errichtet, befolgen, so halte du es denn auch mit diesen, aus meiner innersten Ueberzeugung und aus guten Schriften ausgehobenen Lehren. Ich beschwöre dich bei Allem, was im Himmel und auf Erden dir lieb ist, gehe bei deiner Prüfung redlich zu Werke, und bedenke, daß du einen unwiderruflichen Schritt thaist, wenn du geistlich wirst.

Gottes allerbarmende Gnade, des eingeborenen Sohnes Liebe und der Beistand des h. Geistes leite deine Wahl, und lasse uns an deren Ausfall Gottes heiligsten Willen erkennen. Die mächtige Fürbitte der ohne Sünde empfangenen h. Jungfrau — der Gnadenspenderin, der immer Mehrerin des Reiches Jesu; der Fürbitten des h. Josephs, deiner und aller unserer hh. Patronen wollen dich in dieser Wahl unterstützen und sie nach dem heiligsten Willen Gottes zum gesegneten Ziele führen.

Ehre, Preis, Anbetung, Lob und Dank sei Gott dem Vater, dem Sohne und dem heiligen Geiste; Lob sei der Himmelskönigin und Jubel sei des Himmels Hierarchie von Ewigkeit zu Ewigkeit. Amen.

M. D. M.

INDEX QUAESTIONUM.

Pag.

Protestatio 3
Dedicatio 5
Confessio 6
Proëmium 7
Allocutio ad sacerdotes 9
Praxis applicandi fructum Ss. missae sacrificii. 16
Note über die pflichtmäßige application 17
De rubricis generalibus. 19
Tractatus I abbreviatus 19

§ *I. De rubricarum origine* 19

Q. I. Etymon rubricarum unde? 19
Rubricae generales complectuntur octo 19
Worte von Sailer über den Gottesdienst. 19

„ II. Daturne discrimen Rubricas inter et Rubricas? 19
Rubricae praeceptivae et directivae 20
Omissio rubricarum quae res gravis 21
— — — — levis. 21

„ III. Sed an Rubricae veri nominis directivae assignari possunt? . 21

„ IV. Rubricae unde excerptae et ubi contentae? 21

„ V. Ritus, Caeremoniae circa quos et quas versantur Rubricae suntne unum et idem? 22

„ VI. Rituum et Caeremoniarum quis scopus 22

„ VII. Quid intelligitur per Ecclesiae caeremonias? 23

„ VIII. Penes quem jus instituendi ceremonias residet? 23

„ IX. An earum usus laudabilis et utilis? 23
Sailer über die Ceremonie 24
Ceremoniarum veneratio. 25
— Missae mystica significatio 25
Mohren narratio de Joanne Avila 26

§ *II. De praerequisitis ad Missae sacrificium, ac praeprimis de loco in quo celebranda Missa* 28

*

Pag.

Q. I. Mos indeterminatum conveniendi inlocum, ad celebranda Missarum solemnia, aliaque mysteria estne antiquus in Ecclesia? 28
„ II. Queis nominibus templa primis ecclesiae saeculis fuere compellata? 29
„ III. Quae antiquiorum ecclesiarum formae, quis situs, quae partes 30
§ *III. De Altari* 31
Q. I. Usus altarium estne vetustus in Ecclesia? 31
Sion über Kirchen. 31
„ II. Quae a catholicis data fuere altaribus nomina? . . . 32
„ III. E qua materia fabricata fuere primae aetatis? . . . 32
„ IV. An una eademque primis ecclesiae saeculis fuit altarium structura 33
„ V. An et quomodo altare sive fixum sive portatile suam amittere potest consecrationem? 34
„ VI. Quot in singulis ecclesiis altaria habuit antiquitas? . . 34
„ VII. Estne licitum vel illicitum altaria extruere inque iis sacra peragere, ubi non sunt reconditae sanctorum reliquiae? . 34
§ *IV. De iis, queis altare instrui debet, ornamentis* 35
Q. I. Quae requisita sunt altaris ornamenta? 35
„ II. Quando mos ille coepit missam celebrandi praesente cruce . 36
„ III. An crux et tunc super altare collocanda, quando in altari constructa est statua crucifixi? 37
„ IV. An exposito ss. Sacramento crux in altari collocanda est . 37
„ V. Quando et quare ad Missae sacrificium adhiberi coeperunt lumina? 38
„ VI. Liber Missalis estne ad celebrandum absolute necessarius? . 39
„ VII. Missale plenarium quando lucem primo aspexit? . . . 40
„ VIII. Quo igitur celebrans Missali utetur? 40
„ IX. Sed quid, si in itinere constitutus sacerdos nec proprium inveniat? 40
„ X. Quot et quibus linteis altare cooperiri debet? . . . 40
„ XI. Pallium altaris a rubrica praescriptum quid? . . . 41
§ *V. De Vasis sacris ac primo quidem de Calice*. 41
Q. I. Unde repetenda est calicis origo? 41
„ II. E qua materia in primis ecclesiae temporibus confecti fuere calices? 42
„ III. Quam materiam pro calicis confectione moderna praescribit ecclesiae disciplina? 44
„ IV. An et quando calix suam potest amittere consecrationem? . 45
„ V. Habebatne antiquitas alios calices praeter eos, qui sacrificio inserviebant? 45
„ VI. Quid venit nomine calami, pugillaris, cannae fistulae, virgulae et scyphonis? 46
„ VII. Cochlear parvum cur calici adjungitur? 46
„ VIII. Pyxis illa ad servandum s. Eucharistiae sacramentum destinata an et alia habet nomina? 46

Pag.

Q. IX. An ciborium ab episcopo consecrari debet? 47

§ IV *De vestimentis calicis et reliquis sacris vasis* 47

Q. I. Patenae nomen unde? 47

„ II. Ad quam aetatem referendus est patenae usus in ecclesia? . 47

„ III. E qua materia constabat olim patena, et e qua nunc constare debet? 47

„ IV. An soli tantum sacrificio patenae olim destinatae erant? . 48

„ V. Vestimenta calicis quae? 48

„ VI. Quis usus purificatorii? 48

„ VII. Usus purificatorii estne vetus in Ecclesia? 48

„ VIII. E qua materia confici et an benedici debet? 48

„ IX. An et graeci purificatorio utuntur? 49

„ X. Corporale unde sic dictum? 49

„ XI. E qua materia corporale constare debet? 49

„ XII. An corporale eandem semper habuit extensionem? . . . 49

„ XIII. Cur corporali a veteribus inditum fuit nomen: palla corporalis? 49

„ XIV. An utraque palla major et minor benedici debet? . . . 50

„ XV. Velum quare sic nuncupatum? 50

„ XVI. Velum cujus materia esse debet? 50

„ XVII. Bursa quem usum habet? 50

„ XVIII. Quae alia supersunt vasa, queis ecclesia aliquando usa est vel adhuc utitur? 51

„ XIX. Quid venit nomine ampullarum? 51

„ XX. Quid colatorium? 51

„ XXI. Quid aquamanile? 51

„ XXII. Quo nomine insignitur thus ad adolendum et quo aliud ad thus continendum? 51

„ XXIII. Vas ad oblationes cur sic dictum? 52

„ XXIV. Habentne graeci alia quaedam instrumenta latinis non adsueta? 52

§ VII. *De vestibus sacerdotalibus earumque coloribus* 52

Q. I. An peculiares pro sacrificio missae vestes semper usurpavit ecclesia? 53

„ II. An vestes sacrificio destinatae peculiari olim custodiae tradebantur? 54

„ III. Quae prima est vestis sacerdotalis? 54

„ IV. Quae diversa ejus nomina? 55

„ V. Usus humeralis estne vetustus? 55

„ VI. Quaenam est altera vestis sacerdotalis? 56

„ VII. Fuitne Alba quovis tempore usui tantum sacro propria? . 57

„ VIII. An alba eidem semper accommodata fuit formae? . . . 57

„ IX. Quae tertia est vestis sacra? 58

„ X. E qua materia cingulum confici debet? 58

„ XI. Quae vestis sacra quarta? 59

„ XII. Quo igitur tempore sacris fuit vestibus annumeratus manipulus? 60

„ XIII. An forma manipuli semper eadem fuit? 60

Pag.

Q. XIV. E qua materia manipulus constare debet? 61
„ XV. An manipulus a prima sua origine proprium fuit Subdiaconi indumentum? 61
„ XVI. Quae quinta est vestis sacra? 61
„ XVII. Fuitne stola quondam vestis profana? 61
„ XVIII. Quando stola ad dignitatem vestis sacrae fuit elevata? . 62
„ XIX. Stola quibus Ecclesiae Ministris propria? 63
„ XX. An Episcopi et Presbyteri stolam eodem modo gestant? . 63
„ XXI. An Ministri etiam extra sacrum ministerium stola utuntur? . 64
„ XXII. Quae est sexta vestis sacra? 64
„ XXIII. An haec olim Laicis consueta vestis erat? 64
„ XXIV. A quo tempore planeta ad usum sacrum assumpta est? . 65
„ XXV. An ejusdem semper formae fuit? 65
„ XXVI. Qui sunt colores vestibus sacris proprii? 66
„ XXVII. Haeccine colorum diversitas primis modo saeculis cognita fuit? 67
Quid de illa praxi cantandi exequias adolescentium ac puellarum in colore albo? 71
„ XXVIII. An in vestibus sacerdotalibus quatuor simul inveniri possunt colores? 71
„ XXIX. An sacerdos celebrans in aliena ecclesia, in qua diversum a suo celebratur officium, tenetur officio et colori illius ecclesiae conformem celebrare missam? 71
„ XXX. An vestes sacerdotales omnes oportet esse benedictas? . 74
„ XXXI. Quomodo vestes sacrae suam amittant benedictionem? . 75
„ XXXII. An aliquando licet celebrare sine sacris vestibus? . . 75

§ *VIII. De vestis Pontificum et Ministrorum* 77
Q. I. Quae sunt vestes episcopis propriae? 77
„ II. Sandalia et Caligae quae vestes sunt? 77
„ III. Crux pectoralis unde dicta? 77
„ IV. Quae dalmatica et tunicella episcopis propria? 78
„ V. Chyrotheca quid? 79
„ VI. Cur annulum Episcopi assumunt? 79
„ VII. Mitra, quale ornamentum? 80
„ VIII. Quid venit nomine Baculi episcopalis? 82
Reliquae vestes Episcopi. 82
Amictus. 82
Alba 83
Cingulum 83
Stola 83
Planeta 84
Manipulus 84
„ IX. Quare pallium est Archiepiscopis proprium? 84
„ X. Quae vestes Diaconis propriae? 86
„ XI. Quae sunt specialia subdiaconorum vestimenta? . . . 87

Pag.
Q. XII. Cappa, quae vestis est? 87
„ XIII. Biretum quid? 88
Sacrificii Expositio 89
§ *IX. De Nominibus, queis Missae sacrificium insigniri consuevit* . . 90
Q. I. Missae Etymon unde? 90
„ II. Queis aliis Missa nominibus insignitur? 93
§ *X. De variis Missae generibus*. 95
Q. I. Quod dantur diversa Missarum genera? 95
„ II. Quod dantur Liturgiae ex parte auctorum et nationum diversae? 96
„ III. Quae generatim principaliores erant primis ecclesiae saeculis Liturgiae partes? 96
„ IV. Quae ergo sunt liturgiae praecipuae sive orientalis sive occidentalis ecclesiae? 98
„ V. Annon et liturgia, quae S. Petri dicitur, praedictis liturgiis annumerari meretur? 98
„ VI. Sed an idem judicium de ea, quae S. Jacobi dicitur, formandum est? 98
„ VII. Liturgiae Sanctorum Basilii et Chrysostomi suntne genuini foetus? 99
„ VIII. Qua liturgia Hispani quondam utebantur, et cur dicta Mozarabica? 100
„ IX. An Gallia pariter olim propriam sibi a romana distinctam habuit liturgiam? 101
„ X. Liturgia Ambrosiana: an S. Ambrosio indubitate adscribenda? 103
„ XI. Liturgia Romana, cujus aetatis et quem habuit parentem? 103
„ XII. An liturgia illa primigentia, quam Romanam ecclesiam per traditionem a. B. Petro habere dictum est, adhuc extat? 104
„ XIII Liber Sacramentorum aut Sacramentarium cur sic appellatur? 105
„ XIV. Sacramentarium Leoninum, estne foetus autoris, cujus nomen praefert? 105
„ XV. An Gelasianum Sacramentarium Gelasio primo jure merito adscribitur? 106
„ XVI. Sacramentarium Gregorianum tandem cui suam debet existentiam? 106
§ *XI. De Missis, quae in ritibus et caeremoniis accidentalibus variant* . 108
Q. I. Quot sunt Missae in ritibus et caeremoniis accidentalibus variantes? 108
„ II. Quae Missa dicitur publica? 110
„ III. — — nuncupatur privata? 111
„ IV. An ecclesia probavit has Missas solitarias? 111
„ V. An ergo nunquam sine ministro celebrare licet? . . . 112
„ VI. An Protestantes Missas privatas tanquam ecclesiasticae disciplinae veteri adversas jure merito carpunt? . . 112
„ VII. Quae appellantur Missae de tempore? 114
„ VIII. Quae Missis de Sanctis nuncupantur? 114

Pag.

Q. IX. Missa Praesanctificatorum, unde dicta? 114
„ X. Quae Missa Catechumenorum, et quae Fidelium? . . 116
§ XII. *De Missis votivis* 116
Q. I. Quae Missa dicitur votiva, et an cognita primis ecclesiae saeculis? 116
„ II. Quotuplex Missa votiva? 117
„ III. Queis diebus sive festis indulgentur Missae solemnes votivae et queis interdicuntur? 118
„ IV. Queis diebus vel festis Missae votivae privatae prohibentur? 119
„ V. An ad arbitrium sacerdotis diebus non exceptis legere licet Missas votivas privatas? 120
„ VI. Possuntne celebrari Missae votivae de tempore, et quibuscunque mysteriis per annum? 120
„ VII. An et de quibus sanctis et beatis dici possunt Missae votivae? 121
„ VIII. Quid si sanctus, de quo celebranda Missa votiva, habeat Missam propriam, et quid si non habet? . . . 121
„ IX. An hymnus angelicus dicitur in Missis votivis? . . . 122
„ X. Quot in Missis votivis dici debent, vel possunt orationes? 123
„ XI. An symbolum in Missa votiva dici potest, vel debet? . 125
„ XII. Quae regulae pro Praefationibus in Missis votivis servandae? 125
„ XIII. Quedsi celebretur Missa votiva infra octavam habentes communicantes proprium? 126
Quis sensus mysticus octavae? 126
„ XIV. An in fine Missae votivae semper dicitur Evangelium s. Joannis? 126
§ XIII. *De Missis pro Defunctis* 127
Q. I. Oregio Missarum pro Defunctis unde repetenda? . . 127
„ II. Quot Missae pro Defunctis in Missali assignantur? . . 128
„ III. Queis diebus celebrare non licet Missam solemnum exequalem? 128
„ IV. Quandonam in die anniversaria Defunctorum cantari potest Missa de requiem? 130
„ V. Quando legere vel cantare licet Missam in ordine quartam, dictam quotidianam? 132
„ IV. Queis sensus rubricae, qua ponitur sub finem Missae quartae pro Defunctis: Epistolae et Evangelia etc.? . . . 132
„ VII. Quot in Missis Defunctorum dici debent aut possunt orationes? 132
„ VIII. An in omnibus Missis Defunctorum dici debet prosa: Dies Irae? 134
„ IX. An Missae Defunctorum celebrari possunt in ecclesia vel altari vel quo expositum est ss. sacramentum? . . . 134
„ X. Sacerdos habens officium duplex et celebrans in ecclesia, ubi habetur officium semiduplicis, vel ritus inferioris: potestne celebrare Missam de requiem? 134

Pag.

Q. XI. Sed quis si sacerdos habens officium semiduplex celebrat in ecclesia, ubi fit officium de festo duplici, aut aequivalens, potestne celebrare de Requiem? . . . 135
„ XII. In quibus Missae pro Defunctis ab aliis se distinguunt? . 135

§ *XIV. De lingua et voce, qua uti in Missa oportet* 136
Q. I. Qua lingua in Missa usi sunt Apostoli? 136
„ II. An Protestantes ecclesiam lingua nunc populo ignota in divinis utentem Mysteriis, merito carpunt? . . . 136
„ III. Qua voce in Missa uti oportet? 138
„ IV. An protestantes contra Praxin ecclesiae utendi voce secreta, praecipue in canone, fundate excipiunt? . . . 138
„ V. Quaenam in Missa privata sunt clara voce exprimenda? . 139
„ VI. Quaenam voce paululum elata, seu mediocri pronuntianda sunt? 140

§ *XV. De rubricis generalibus, quae concernunt crucis signationes, inclinationes, genuflectiones, junctionem, extensionem manuum, atque incessum* 141
Q. I. Quotuplicem rubricae crucesignationem praescribunt? . 141
„ II. Quae praxis crucis parvae, et quae magnae? . . . 142
„ III. Quae methodus servanda, quando sacerdos alia a se distincta cruce signat? 143
„ IV. Quae et quot a rubricis requiruntur inclinationes? . . 144
„ V. Pro genuflectionibus quae regulae servandae? . . . 145
„ VI. Quomodo manus jungendae et quomodo extendendae? . 147
Quot fiant in Missa oculorum elevationes? . . . 148
„ VII. Qualiter rubricis conformari debet incessus? . . . 148

§ *XVI. De praeparatione ad Missam* 149
Q. I. Quotuplex Missae praemittenda praeparatio? . . . 149
„ II. Quibus perficitur praeparatio remota? 149
„ III. Proxima praeparatio sacerdotis quae postulat? . . . 151

§ *XVII. De Ingressu sacerdotis ad Altare* 158
Q. I. An ingressum sacerdotis ad Altare magna olim praecedebat et concomitabatur solemnitas? 158
„ II. Quae a sacerdote ante egressum e secretario observanda sunt? 161
„ III. Quem rubrica sacerdoti incessum praescribit? . . . 162
„ IV. Quam sacerdos altare majus transiens exhibere reverentiam debet?. 162
„ V. Quid si sacerdos transeat altare, ubi ab alio sacerdote Missa celebratur? 163
„ VI. Quam reverentiam praestabit sacerdos transiens populi communionem? 164
„ VII. Quae observabit sacerdos adveniens ante altare, in quo celebrabit? 164
„ VIII. Quae sacerdotem post adventum ad altare agere oportet? 164

Pag.

§ XVIII. *De principio Missae et confessione facienda* 165

Q. I. Quos ritus et quas caeremonias sacerdoti praescribit rubrica a Missae initio ad introitum usque? 165

„ II. Ritus Missam a signo crucis inchoandi estne antiquus et sacrificio praeprimis congruus? 172

„ III. Cur versus: Introibo . . . . Antiphona nuncupatur? . . 173

„ IV. An psalmus Judica adposite a sacerdote dicitur? . . 164

„ V. A quo tempore psalmus 42 in Missa dici debet? . . 174

„ VI. Psalmus Judica diciturne in omni Missa? 175

„ VII. Quandonam confessio Missae accessit? 176

„ VIII. Salutatio populi: Dominus vobiscum, unde desumpta est? . 178

„ IX. Quare sacerdos ad altare veniens illud osculatur? . . 179

„ X. Estne licita fidelium sepultura sub altari, in quo recondi debent sanctorum reliquiae? 179

§ XIX. *De Introitu, Kyrie eleyson et Gloria in excelsis* . . . 180

Q. I. Queis ritibus et caeremoniis perficitur pars Missae ab Introitu ad Gloria in excelsis inclusive? 180

„ II. Quare rubrica praescribens, ut sacerdos post orationem: oramus te Domine: accedat ad cornu altaris sinistrum, addit, i. e. Epistolae? 185

„ III. Introitus unde nomen sumpsit? 185

„ IV. Voces graecae Kyrie eleyson, quomodo latine redduntur? . 187

„ V. Cur et quando ecclesia latina graecas hasce voces ad Missam assumpsit? 187

„ VI. Quid per tropos intelligitur, queis in quibusdem libris Kyrie interpolatur? 189

„ VII. Gloria in excelsis cur hymnus dicitur? 189

„ VIII. Quisnam hunc hymnum concinnavit? 189

„ IX. Quibus in Missis hunc hymnum dici, vel omitti hodiernus jubet ecclesiasticus ritus? 190

„ X. Quis sensus verborum hymni: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam? 190

„ XI. Interpolationes hymno angelico quondam adjectas, an probavit Ecclesia? 191

§ XX. *De Oratione* 192

Q. I. Quaenam Tit. V. de oratione statuit rubrica? . . . 192

„ II. Quare sacerdos dicturus Dominus vobiscum praevie altare osculatur? 194

„ III. An graeci eadem populum salutandi formula utuntur? . 195

„ IV. An diversa quoque salutationis formula utuntur Episcopi? 195
Quare oramus ordinarie versus orientem? 195

„ V. Quare audito populi responso et cum spiritu tuo: sacerdos dicit oremus? 196

„ VI. Quid denotat certis diebus, vel a sacerdote, vel a diacono dictum: flectamus genua? 196

			Pag.
Q.	VII.	Oratio cur pariter dicitur collecta?	197
„	VIII.	Quem autorem collectae habent?	197
„	IX.	Cur ad patrem ferme omnes diriguntur collectae? . .	198
„	X.	Cur collectae per Christum concluduntur?. . . .	199
„	XI.	Cur ad conclusionem collectarum populus respondet: amen?	200
„	XII.	Quot collectas in Missa ritus habuit antiquus? . . .	200
„	XIII.	— — — praescribit ritus hodiernus? . .	201
„	XIV.	Quaenam in oratione „a cunctis" speciatim notanda? .	203
„	XV.	Oratio ad libitum cur sic appellatum?	203
„	XVI.	An et quando in Missa pro uno, vel pluribus Defunctis collecta addi potest?	204
„	XVII.	Quid si Missa cantetur vel legatur coram exposito Ss. sacramento?	204
„	XVIII.	Oratio ab ordinario aliquando praescripta, diciturne in omni Missa?	205
„	XIX.	An eandem semper collectae conclusionem habent? . .	205
„	XX.	Cur manibus brachiisque expansis collectae recitantur? .	205
„	XXI.	Quid venit sub nomine Laudum, quae post collectam in Romana olim ecclesia et aliis quibusdam particularibus recitabantur?	206
§ XXI.		*De Epistola, Graduali, Alleluja, Tractu et Sequentia* . . .	208
Q.	I.	Quaenam ab Epistola ad Evangelium usque observanda sacerdoti praescribit rubrica?	208
„	II.	Lectio scripturae post collectam, cur Epistola et olim Apostolus dicta?	208
„	III.	Ritus legendi Epistolam in Missa, estne antiquus? . .	208
„	IV.	Litterae communicatoriae sive irenicae olim pariter lectae quae erant?	210
„	V.	Series et ordo Epistolarum singulis diebus quem autorem habuit?	210
„	VI.	In qua parte ecclesiae olim recitabatur Epistola et a quo?	211
„	VII.	Graduale unde sic appellatur et quis ejus autor? . .	212
„	VIII.	An Graduale in omni dicitur Missa?	213
„	IX.	Vocem Alleluja a quo accepit Ecclesia?	214
„	X.	An in omni Missa per annum dicitur Alleluja? . . .	215
„	XI.	Tractus in Missa quare sic appellatur, et in quibus habetur Missis?.	216
„	XII.	Pneuma post Alleluja quid?	216
„	XIII.	Quid venit sub nomine Prosae sive Sequentiae? . .	217
„	XIV.	Prosae sive Sequentiae quos habent autores? . . .	219
§ XXII.		*De Evangelio et Symbolo*	219
Q.	I.	Quaenam post Graduale vel sequentiam, vel tractum usque ad symbolum inclusive praescribit rubrica?	219
„	II.	Cur a cornu altaris sinistro ad dextrum transferatur liber Missalis et cur oblique ponitur?	223

***

Pag.

Q. III. Quem scopum habent preces a sacerdote in medio altaris ante Evangelium recitandae? 223
„ IV. A quo tempore Evangelium in Missa legi est coeptum? . 224
„ V. Quibus olim Evangelium legendi munus fuit demandatum? 225
„ VI. Cur sacerdos et Diaconus primo initium Evangelii et dein se ipsos in fronte, ad os et in pectore cruce signant? 226
„ VII. Cur fideles Evangelii lectionem stantes excipiunt? . . 226
„ VIII. Cur olim versus meridiem, nunc versus septentrionem Diaconus Evangelium annuntiat? 227
„ IX. Finitio Evangelio, cur populus dicit: Laus tibi Christe? . 227
„ X. Cur Celebrans et Diaconus Evangelium lectum deosculantur? 227
„ XI. Mos finito Evangelio habendi concionem ad populum estne antiquus? 228
„ XII. Etymon symboli unde? 229
„ XIII. Quot dantur in ecclesia symbola? 230
„ XIV. Quando et cur symbolum Constantinopolitanum in Missa dici coepit? 231
„ XV. Cur sacerdos ad verba: et incarnatus est, genuflectit et in fine se cruce signat? 233
„ XVI. Symbolum diciturne in omni Missa? 233
„ XVII. Quisnam strictim patronus primarius dicitur loci? . . 234
„ XVIII. In quo se distinguit titulus a patrono ecclesiae? . . 235
„ XIX. Quaenam inter titulum seu patronum loci et titulum seu patronum solius ecclesiae statuenda differentia? . . 235
„ XX. Quae tantem differentia statuenda inter titulum, vel patronum loci, et titulum, seu patronum solius ecclesiae, ratione symboli? 238
„ XXI. Sed quid, si patronus solius ecclesiae sit v. g. Angelus? . 238
„ XXII. Si infra octavam tituli vel patroni solius ecclesiae in casu quaestionis praecedentis Missa celebretur de alio sancto e. g. Martyre, estne addendum symbolum? . . . 239
„ XXIII. An extranei celebrantes in ecclesia, ubi fit octava patroni, vel tituli, symbolum dicent? 239

§ *XXIII. De Offertorio et Secretis* 239

Q. I. Quae sunt Rubricae placita pro offertorio et secretis? . 239
„ II. Quaenam pars Missae offertorium appellatur? . . . 247
„ III. Unde haec Missae pars nomen offertorii assumpsit? . . 248
„ IV. Quinam olim offerre et quae res offerri poterant? . . 249
„ V. Quem ecclesia ritum sub oblationibus servabat? . . 250
„ VI. An Azymo, vel fermentato ecclesia pane utebatur in sacrificio? 251
„ VII. Orationes, quas sub caeremoniis offertorii fundit sacerdos, cujus aetatis sunt? 252
„ VIII. Quo sensu sacerdos sub oblatione panis dicit: Hanc immaculatam hostiam? 253

Pag.

Q. IX. Cur aqua praevie benedicta vino miscetur? 253
„ X. Cur sacerdos utens singulari in panis oblatione, plurali utitur in oblatione vini: offerimus? 255
„ XI. Ad quam in Trinitate personam post orationem: In Spiritu alia dirigitur: veni sanctificator? 256
„ XII. Lotio manuum cur adhibetur et an pars psalmi 25. Judica me Deus, sub ea adposite recitatur? 257
„ XIII Cur in Missis Defunctorum doxologia post psalmum Lavabo omittitur et quis sensus verborum offertorii in iisdem Missis: Libera animas . . . . de poenis inferni? . . 258
„ XIV. An in oratione: Suscipe s. Trinitas verba: in honore B. Mariae V. etc. non superfluunt, quia paulo post denuo dicit, ut illis proficiat ad honorem? 259
„ XV. Quid postulat sacerdos dicens: Orate fratres? . . . 260
„ XVI. Secretae unde sic appellatae? 261

§ XXIV. *De praefatione et Trisagio* 262

Q. I. Quaenam e rubrica sub praefatione et Trisagio a sacerdote observanda sunt? 262
„ II. Praefatio unde sic appellatur? 265
„ III. A quibus verbis initium sumit praefatio? 266
„ IV. Unde suam praefationes originem habent? 266
„ V. An idem semper et ubique fuit praefationum numerus? . 271
„ VI. Quot praefationes Ritus retinuit hodiernus? 271
„ VII. Quae pro praefationum usu serviunt regulae? 273
„ VIII. Trisagion quid et quo istud didicit Ecclesia? 274
„ IX. A quo tempore Trisagion Missae insertum fuerit? . . 275
„ X. Quid vox hebraica Osanna significat? 275
„ XI. Cur sacerdos sub verbis: Benedictus qui venit . . . . formet crucis signum? 275
„ XII. An Trisagion aliud in sua habent liturgia Graeci? . . 276

§ XXV. *De canone Missae usque ad consecrationem* 276

Q. I. Quaenam praecipit rubrica ab initio canonis usque ad consecrationem? 276
Canon der h. Messe buchstäblich übersetzt von Dr. Mohren. 281
Andenken für die Lebendigen 281
Zwischen der Handlung 282
Andenken für die Verstorbenen 283
„ II. Etymon Canonis unde et quae alia ejus nomina? . . 284
„ III. Quem Canon autorem habuit? 284
„ IV. An tres paragraphi initium Canonis. Te igitur, Memento et Communicantes unam ac plures conficiunt orationes?. 287
„ V. Pro quibus et quid in prima parte primae orationis: Te igitur petit sacerdos, et cur tres adhibet cruce signationes sub verbis: Haec dona etc.? 287
„ VI. Pro quibus et quid postulat sacerdos in secunda parte: Memento Dom.? 290

Pag.

Q. VII. Quis horum verborum sensus, pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt? 291
„ VIII. Cur haec primae orationis pars: Memento Domine in quibusdam Missalibus inscribitur: Oratio super Diptycha? . 292
„ IX. Verba communicantes et memoriam venerantes quem sensum reddunt? 292
„ X. Quae postulat sacerdos in secunda canonis oratione: hanc igitur oblationem? 295
„ XI. Quo sensu sacerdos petit se et fideles ab aeterna damnatione liberari et in electorum grege numerari? 295
„ XII. Cur sacerdos durante hac oratione: Hanc igitur .... manus super oblata extensas tenet? 296
„ XIII. Quem sensum referunt verba tertiae orationis: Quam oblationem?. 296

§ XXVI. De canone Missae a consecratione usque ad orationem dominicam 300

Q. I. Quaenam statuere pergit rubrica a consecratione usque ad orationem dominicam? 300
„ II. Quem autorem et quem sensum verba habent: qui pridie? 308
„ III. Quomodo sacerdos proferet verba consecrationis utriusque speciei, et quis illorum sensus orthodoxus? 309
„ IV. An Graeci eadem, qua Latini forma utuntur in consecratione utriusque speciei? 311
„ V. A quo tempore et qua occasione coepit elevatio utriusque speciei immediate post consecrationem? 312
„ VI. An praxis sub elevatione s. specierum orandi in silentio vel an alis cantandi praeferenda est? 313
„ VII. Cur quarta canonis oratio incipit, unde et memores et quae porro continet? 313
„ VIII. Quid petit sacerdos in secunda parte quartae orationis: supra quae? 314
„ IX. Verba illa: s. sacrificium, immaculatam hostiam, an ad corpus et sanguinem Christi, vel ad sacrificium Melchisedechi referuntur? 315
„ X. Quaenam petere pergit sacerdos dicens: supplices te rogamus?. 315
„ XI. Pro quibus in quinta canonis oratione: Memento etiam Domine orat sacerdos? 316
„ XII. Quid postulat sacerdos in sexta canonis oratione: Nobis quoque peccatoribus? 318
„ XIII. Quomodo exponi debent haec verba: per quem haec omnia Domine? 320

§ XXVII. De oratione Dominica et aliis usque ad communionem . . 324

Q. I. Quae sunt ulteriores rubricae ordinationes ab oratione dominica usque ad communionem? 324

Pag.

Q. II. A quo tempore et quo autore oratio Dominica liturgiae fuit inserta? 328
„ III. An liturgia Apostolica constabat sola oratione dominica, consecratione et sumptione? 329
„ IV. Formula: Oremus, praeceptis salutaribus . . . cur orationi dominicae praemittitur? 329
„ V. Quomodo summarie exponitur oratio Dominica? . . 330
„ VI. Oratio: Libera nos quaesumus, cur ab antiquis rituum expositoribus embolismus appellatur? 331
„ VII. Ritus frangendi hostiam, a quo institutus? . . . 331
„ VIII. Quae genuina est expositio, orationis: haec commixtio et consecratio? 333
„ IX. Quid venit nomine benedictionis episcopalis, quae olim dabatur ante salutationem: pax Domini etc.? . . . 334
„ X. Oratio: Agnus Dei, quando locum in liturgia invenit? . 335
„ XI. Tres orationes communionem praecedentes, quem autorem habent? 337
„ XII. Osculum pacis, quod post primam orationem in Missa datur unde suam traxit originem? 337

§ XXVIII. De Communione sacerdotis. 338

Q. I. Quos ritus, quasque caeremonias rubrica praescribit communioni sacerdotis? 338
„ II. Praecatiunculae sacerdotis sumptionem corporis et sanguinis praecedentes et consequentes unde desumptae sunt? . 344
„ III. An idem olim, qui nunc in purificatione calicis et digitorum ablutione servabatur ritus? 345
„ IV. Communio, quam vestito calice legit sacerdos ad cornu epistolae, unde hoc habet nomen? 346
Daturne vera obligatio necessitasque pro sacerdote s. communionem in Missae sacrificio sumendi? . . . 347

§ XXIX. De Communione populi 348

Q. I. Quae pro communione populi intra Missam observanda praescribit rubrica? 348
„ II. Quae fuit diversa diversis temporibus ecclesiae disciplina circa frequentem, vel minus frequentem usum populi communione? 349
„ III. Quem ritum in distributione eucharistiae antiqua servabat disciplina? 351
„ IV. Quis inter communicantes quondam ordo vigebat? . . 354
„ V. Quos ritus et quas caeremonias pro communione populi hodierna praescribit disciplina? 354
„ VI. An sub una, vel utraque specie olim communicarunt fideles? 356
„ VII. An etiam pueris olim sub una tantum specie, sacra fuit ministrata eucharistia? . , . . . , . . 358
„ VIII. Quae olim ecclesiastica et quae laica dicebatur communio? 359

****

Pag.

Q. IX. Eulogiae unde nomen habent? 360
„ X. Etymon Agaparum unde? 360
„ XI. Quoties s. species sive in pyxide sive in Remonstrantia renovari oportet? 361
„ XII. Quoties quando et quomodo pyxis est purificanda? . . 362
„ XIII. Quando renovanda est hostia Remonstrantiae? . . . 363
„ XIV. An communio in Missae sacrificio pro populo necessaria? . 363

§ *XXX. De orationibus post communionem, et reliquis usque ad finem Missae* 365
Q. I. Quid de orationibus post communionem et reliquis usque ad finem Missae statuit rubrica? 365
„ II. Oratio communionem sequens, cur postcommunio et ab antiquis oratio ad complendum appellata? . . . 368
„ III. Oratio super populum unde nomen sumpsit? . . . 369
„ IV. Dimissio populi: Ite Missa est, estne antiqua et quem litteralem reddit sensum? 370
„ V. An dimissio: Ite Missa est, in omni annuntiatur Missa? . 370
„ VI. Quae postulat sacerdos oratione: Placeat tibi s. Trinitas? . 371
„ VII. Ritus benedicendi populo in fine Missae, estne antiquus? . 371
„ VIII. A quo tempore initium evangelii s. Joannis ad liturgiam assumptum; et an in omni legitur Missa? . . . 373
„ IX. Quae succincta dari posset exegesis initii evangelii s. Joannis? 374

§ *XXXI. De tempore Missae impendendo et de gratiarum actione post Missam* 376
Q. I. Quantum temporis Missae celebrandae impendendum? . 376
„ II. An et quae post Missam a sacerdote praestanda est gratiarum actio? 379
a. Unde tanta quondam in celebrando celeritas? . . 381
b. Quas vero sinistras ejusmodi tepiditas producit sequelas? 382
De ceremoniarum notitia exactaque eorum observantia a diaconis requisitis 382

§ *XXXII. De Missa coram exposito s. sacramento celebranda* . . 384
Q. I. Licitne celebrare Missam in altari, in quo expositum est sanctissimum sacramentum? 384
„ II. Quae regulae tradi solent pro specialibus in Missa coram s. sacramento observandis ceremoniis? 385
„ III. Regulae traditae, quomodo practice applicandae? . . 385
„ IV. Quid si sacerdos celebraturus sit in altari, ante cujus gradus actu distribuitur s. communio? 388

§ *XXXIII. De quibusdam defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, ac de remediis, quae adhiberi debent* . . . 389
Q. I. Quos defectus in celebratione Missae occurrentes recenset, et praecaveri vel emendari jubet rubrica? . . . 389
„ II. Si sacerdos vel ante, vel post oblationem, vel post consecrationem, vel post sumptionem hostiae, vel simul s.

Pag.

sanguinis substantialem quemdam in pane advertat defectum, quomodo hunc emendabit? 390

Q. III. Quid, si in casu praecedentis quaestionis sacerdos dubitet, num defectus sit substantialis? 390

„ IV. Si hostia consecrata evanescat, nec reperiri possit, quomodo sacerdos defectum supplebit si consecrata dispareat? vel vento aut miraculo? 391

„ V. Si sacerdos ante sumptionem audiat, hostiam consecratam veneno esse infectam, quid aget? 392

„ VI. Si sacerdos hostiam evomet consecratam, quomodo consuletur reverentiae sacramenti? 392

„ VII. Si hostia consecrata, vel ejus particula extra corporale decidat in mappam seu linteum, vel in terram, quid postulat reverentia s. sacramento debita? 392

„ VIII. Si sacerdos post consecrationem corporis, sed ante consecrationem sanguinis advertat, aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice, quid aget? 392

„ IX. Si sacerdos post consecrationem calicis advertat, non vinum, sed aquam calice fuisse infusam? 393

„ X. Sed quid, si sacerdos post sumptionem corporis, vel etiam aquae invalide consecratae defectum substantialem advertat? 393

„ XI. Si vel panis, vel vinum haberi nequeat, poteritne inchoari, vel inchoatam prosequi? 393

„ XII. Si sacerdos post prolata consecrationis verba utramque materiam ineptam deprehendat, quid aget? 394

„ XIII. Si hostiae minores, quas consecrandi intentionem ante Missam formaverat sacerdos, ipso non advertente exponantur et maneant extra corporale, suntne consecratae? . . . 394

„ XIV. Si post consecrationem advertat sacerdos, se sub consecratione duas manibus tenuisse hostias sibi cohaerentes, num ambae censentur consecratae? 395

„ XV. Si sacerdos post ablutionem quasdam adhuc inveniat reliquias consecratas, poteritne easdem insumere? 395

„ XVI. Sed quid, si post ablutionem sacerdos hostiam integram consecratam inveniat? 395

„ XVII. Si sacerdos ante, vel post consecrationem graviter infirmetur, vel animi patiatur deliquium, vel etiam moriatur, quid consilii? 396

„ XVIII. Si musca, aranea, vel simile quid in calicem decidat, quid aget celebrans? 397

„ XIX. Quid si sacra hostia vel ante, vel post fractionem fortuito in sacrum sanguinem decidat? 398

„ XX. Si hyemali tempore species sacri sanguinis congelentur, quid ante eorundem sumptionem aget sacerdos? 398

Pag.

Q. XXI. Si una vel plures guttulae sacri sanguinis in terram, seu tabulam, vel lapidem, vel linteum altaris, vel in corporale, vel in vestes sacerdotis, vel in substratum pedibus pannum, vel tapetum ceciderint, quomodo in his casibus consulit rubrica reverentiae sacramenti? . . . 399

De ritibus et caeremoniis Missae solemnis uno cum differentia praecipue Coloniensi Archidioecesi propriis. Tractatus II. practicus.

Titulus primus.

De officiis quatuor acolythorum ante et intra Missam solemnem, nempe duorum ceroferariorum et thuriferarii et navicularii. . . . 401

§ I. De officiis acolythorum ante Missam solemnem 401
„ II. De officio acolythorum a principio Missae ad offertorium usque. 404
„ III. De officio acolythorum ab offertorio ad finem usque Missae . 407
„ IV. De officiis acolythorum, quae in Missa solemni pro defunctis speciatim vel praestanda, vel omittenda. 411

Titulus secundus.

De officio subdiaconi ante et intra Missam solemnem 412

§ I. De communibus quibusdam vel similibus subdiaconi et diaconi actionibus in Missa solemni 412
„ II. De officio subdiaconi ante Missam solemnem 413
„ III. — — ab egresse e sacrario ad hymnum usque angelicum 414
„ IV. De officio subdiaconi ab hymno angelico ad offertorium usque . 418
„ V. — — ab offertorio usque ad consecrationem . 423
„ VI. — — a consecratione ad communionem usque . 425
„ VII. — — a communione ad finem usque Missae . 427
„ VIII. — — in Missa solemni coram ss. sacramento patenter exposito 431
„ IX. De officio subdiaconi in Missa solemni pro defunctis. . . 432

Titulus tertius.

De officio diaconi ante et intra Missam solemnem. 434

§ I. De officio diaconi ante Missam solemnem 434
„ II. — — ab egressu e sacrario ad hymnum usque angelicum 436
„ III. — — ab hymno angelico ad usque offertorium. . 438
„ IV. — — ab offertorio ad usque consecrationem . . 444
„ V. — — a consecratione ad usque communionem . . 448
„ VI. — — a communione ad finem usque Missae . . 450
„ VII. — — in Missa solemni coram ss. sacramento patenter exposito 453
„ VIII. De officio diaconi in Missa solemni pro defunctis . . . 454

Pag.

Titulus quartus.

De officio sacerdotis ante et intra Missam solemnem 456
§ I. De officio sacerdotis ante Missam solemnem 456
» II. — — ab egressu e sacrario ad hymnum usque angelicum 458
» III. De officio sacerdotis ab hymno angelico ad offertorium usque . 462
» IV. — — ab offertorio ad consecrationem usque . 466
» V. — — a consecratione ad finem usque Missae . 471
» VI. — — in Missa solemni coram ss. sacramento patenter exposito 473
» VII. De officio sacerdotis in Missa solemni pro defunctis . . . 477

Titulus quintus.

De officio presbyteri assistentis ante et intra Missam solemnem . . 478
§ I. De officio presbyteri assistentis generatim. 478
» II. — — — ante Missam et ab egressu e sacrario ad usque offertorium 479
» III. De officio presbyteri assistentis ab offertorio ad finem usque Missae 481
Compendium practicum vitae sacerdotalis. (Juxta Merlo Horstium.) 485
Monitiones Cleri ex Concilio Provinciali mediolanensi quarto. 489
Appendix. De ceremoniis 508
§ *I*. 508
Q. I. Quid sibi velint sacramentalia? 508
» II. Quot ejusmodi sacramentalia numerantur? 508
» III. Qualem producunt effectum? 508
§ *II. De benedictionibus et ceremoniis Ecclesiae in specie* . . . 509
Q. I. Rectene Ecclesia certas quasdam res benedicit?. . . 509
» II. Quis scopus benedictionum et rituum in administratione sacramentorum? 509
» III. Qua intentione rebus benedictis utendum?. . . . 509
» IV. Quae sunt potiores in specie benedictiones et ceremoniae? 509
» V. Quotuplex benedictio aquae quisve ejusdem scopus? . . 509
» VI. Ad quid benedictio salis et cereorum? 510
» VII. Cur speciatim benedicuntur cerei? 510
» VIII. Quare etiam plena luce accenduntur in ecclesiis? . . 510
» IX. Quo fine cineres, rami palmarum benedicuntur? . . 510
» X. Quem scopum habent vinum et campanae benedictae? . 511
» XI. Quo tendit olei — altaris — Ecclesiae — ac imaginum benedictio? 511
» XII. Quae benedictionis utilitas in puerpera et prole? . . 512
» XIII. Quid de processionibus et supplicationibus dicendum? . 512
» XIV. Cur processionibus praeferuntur Crux et vexilla? . . 512
» XV. Habentne et piae confraternitates quidquam utilitatis? . 513

Pag.

Q. XVI. Saltem illorum symbola v. g. scapularia, Rosarium etc. ad salutem nil conferunt? 513
„ XVII. Ad quid tam pretiosus, quin et prodigus in Ecclesia ornatus? 513
„ XVIII. Quae doctrina de usu thuris? . . , . . . 513
„ XIX. Num usus quoque cantus et musices in ecclesia tolerandus? 513
Nota desuper pulcherrima. 514
„ XX. Quae mens Ecclesiae de abusibus, qui irrepere solent? . 515
„ XXI. Qua cautela singulari Papa s. ritus conservare et abusus eliminare nititur? 516
„ XXII. Foretne Ecclesiae magis reipsa proficuum si ritus et ceremoniae penitus abrogarentur? 516
„ XXIII. Eritne Ecclesiae culpa ad scribenda si quis zizania superseminat? 516
„ XXIV. An in Missa super sponsam et sponsum nuptiendos privari liceat benedictionibus in ea Missa super eas praescriptas et an omitti licitum sit? 516
„ XXV. Licetne tabacum sumere ante vel in Missa? . . . 517
„ XXVI. Licetne sacerdotibus in ecclesia inque faciundis ss. misteriis caput tegere? 517
Q. I. Licetne si pro acatholico Missa petatur eam legere i. e. ad acatholicum applicare? 517
„ II. Quoad indulgentias quid notandum? . . . 517
Quaestiones sex decisae p. s. R. C. . . . 518
— duas iterum decisae 518
„ XXVII. Missae debentne ubicunque legi si caetera requisita praesto sunt? 519
Ueber Grabreden 519
Q. I. Quid est Missa praesente funere? 519
„ II. Quid de illis dicendum, qui Missam applicant pro eo, qui postea demum stipendium est collaturus? . 520
„ III. Qui dicendum de iis Malayis, qui omni cum industria conantur in Ecclesiasticis officiis Latinam ecclesiae linguam penitus abrogare et loco illius germana uti ultro? 520
„ IV. Quoties sacerdos simplex celebrare debet? . . 521
„ V. Cur tres Missae dicuntur in festo Nativitatis? . . 521
„ VI. Quid notandum pro Ministro in Missa privata? . 521
Monitoria pro ordinario 522
De Servandis in statu Clericali. Monitum primum . . . 525
— secundum . . . 526
De servandis a sacerdotibus. Monitum tertium 527
De ratione sanctificandi statum. Monitum quartum . . . 528
Expositio canonis abbreviata secundum G. Biel 529
Sacri Canonis Expositio. Odonis episcopi Cameracensis . . . 560

Pag.

Sacrosancti canonis Missae etc. Paraphrastica Explicatio Michaëlis Episc. syndoniensis ac suffraganei Moguntini 577
Tytinillus. 606
Civitas Coloniensis honor 606
Sigillum civitatis 607
Declaratio s. Rit. c. super novam calicis et patenae decaurationem . 607
Tabellae directivae pro Missa 608a
Diversitas inter Romanum et Coloniensem ritum. 609
Der Rath eines Vaters an seinen Sohn, als dieser den geistlichen Stand antreten zu wollen erklärte. 611

O. A. M. D. G.

INDEX GENERALIS

sub denominationibus generalibus inveniuntur v. g. altare, omnia quae de hoc praesto sunt.

A.

Abata, pag. 31.
Abner, 58.
Ab aeterna damnatione sensus, 295.
Ablutio manuum significat, 446.
— digitorum — 345.
Abusus, 515.
Accendite, 159.
Accendat, 371.
Acerra, 52.
Actio, 284.
Adhoratio quaerendi decorem Domus Dei, 36.
Admonitio, 1, 206, 301, 400, 439.
Adunare sensus, 287.
Adcita — Adyta, 31.
Affectus quas postulat misticas significatio, 25.
Agapae, 360.
Agenda, 93, 273.
Agnus Dei signif., 335.
Altare, 31, 32, 32, 32, 32, 33, 33, 34, 34, 34, 34, 34, 35, 36.
Alba sacerdotis, 56, 56, 56, 57, 57, 57.
— Episcopi, 83, 83.
Alleluja, 90, 214, 214, 214, 215, 215, 215.
Amen, 200, 247, 327.
Ambon, 31.
Ambolagium, 55.
Anabolarium, 55.
Amiculum, 55.
Amictus, 54, 54, 55, 55, 81, 82, 156.
Episcopi, 82.
Ampullae, 57.
Amulae, 51.
Antiphonarium, Antiphonale, 22.
Annulus, 79, 79, Episcopi, 79, 80.
Anaphora, 95.
Antiphona, 173.
Angelus patronus, 238.
Andenken der Lebenden, 281.
— — Verstorbenen, 283.
Antipendium, 284.

Applicatio Missae primaria — 16, secundaria, 16.
Apostolus, 208.
Apostolea, 29.
Aqua manile 51, Aqua manus 51.
Aqua praevie benedict. miscetur vino, 253.
Aqua benedicta significat, 255.
— ac benedictionis omissio anathematizata, 255.
Ara, 32.
— unigenia, 34.
Asteriscus, 52.
Aufer a nobis signif., 175.

B.

Baculus pastoralis, 82, 82.
Balteum, 58.
Basilica, 29.
Benedictionis Exposito, 89, 372.
— potestas, 280.
— in fine missae, 371.
— episcopalis, 89.
Benedicis, 299.
Benedicite omnia opera, 368.
Benedicamus domino, 370.
Benedictus, 246, 264, 265, 265, 271, 275, 448.
Bemate, 54.
Biel s. l. Expositio, 284.
Binterim über den Ornat d. Kirchen, 36.
Biretum, 88.
Bona mira verba, 25.
Brun, le, contra decurtationem praefat. 273.
Bursa, 50.
Byssus, 68.
Benedictionum scopus, 509.
Benedictiones potiores, 509.
— altaris, 511.
— aquae, 509.
— campanarum, 511.
— cereorum, 510.
— cinerum, 510.
— Ecclesiae, 511.
— Imaginum, 511.
Benedictiones Imaginum cum indulgentiis, 511.
Benedictiones olei, 511.
— palmarum, 510.
— puerperae et prolis, 511.
— salis, 510.
— vini, 511.

C.

Calix, 41, 43, 43, 43, 44, 45, 45, 45, 46, 48, 48, 48, 48, 49, 50, 280, 445.
Caligae, 77.
Calceamenta, 76.
Camboca, 82.
Cambuta, 82.
Camisia, camisius, camisile, 56.
Oanna fistula, 46.
Candelae albi, flavi coloris, 39.
Candelabra c. cereis accensis, 35.
Canonis verba, 276, 277, 277, 278, 281, 284, 284—286.
Cantus, 513.
Cappa, 88.
Cappis, 87.
Caput tegere in Missa, 517.
Capuita, 82.
Carbonum in thuribulo signif., 406.
Casubula, 66.
Causa verb. Init. Evang. s. Joan. 440.
Casula, 64, 64, 65, 157.
Caeremoniae, 22, 23, 23, 23, 23, 23, 23, 25, 25, 25, 25, 279, 338.
Ceroferarii, 406.
Celebrans, 168, 473.
Celebrare quoties in die, 521.
Celeritas in celebratione, 381.
Cerei accensi, 510.
Chorus, 31.
Chyrotheca, 79, 79.
Cingulum, 58, 58, 58, 59, 83, 83, 156.
Ciborium, 46, 47.
Cochlear, 46, 52.
Cola, colum, 51, 51.
Colatorium, 51.
Collare, 76.

Collectae, 93, 197, 198, 198, 198, 199, 200, 200, 201, 202, 204, 205, 205.
Coloniensis Ecclesiae Laus et firmamentum, 606.
Color, 35, 66, 67, 67, 68, 69, 70, 71.
Comam alere, 76.
Communicantes, 278, 279, 279, 281, 293, 354.
Commemoratio, 417.
Communio, 93, 342, 346, 348, 354, 359, 359, 388.
Compendium practicum vitae sacerdotalis, 483.
Conatus germanam Latinae substituendi, 520.
Concessio Greg. XVI. in praefat. B. concept. immaculatae Virginis, 264.
Concio, 225.
Confessio, 32, 176.
Confiteor, 170.
Confraternitates, 513.
Consecratio, 34, 301, 302, 304, 311, 471.
Consistentes, 31.
Contestatio, 265.
Concilii colon Decret., 273.
Coram Exposito, 384, 385.
Corona gloriae, 81.
Cornu altaris dextrum — sinistrum, 185.
Corporale, 49, 50.
Creas, 299.
Crux, 35, 36, 37, 66, 77, 78, 141, 142, 289, 290, 297, 305, 314, 321, 326.
Crepidae, 76.
Cur Kyrie, 187.
Credo, 222.
Creatorem coeli et terrae, 232.
Cum quibus et nostras, 243.

D.

Das was die fromme Gemeine empört, 459.
Dalmatica, 76, 78, 87, 436.
Deambulatoria forma, 30.
De Benedictionibus Ecclesiae 509.
Dedicatio, 5.
Defectus, 9, 389.
De caeremoniis, 382.
Declaratio s. R. c. super deaurationem novam calicis et patenae, 607.
Decreta conc. colon., 473.
— s. R. c. super assistentiam in pluviali, 484.
Decreta conc. vasensis, 275.
Deo gratias, 212, 299, 366.
Deo nostro, 264.
De servandis in statu clericali, 525.
— a sacerdotibus, 527.
De Missa coram exposito, 384.
De officiis acolythorum, 401.
— celebrantis, 456, 458, 462, 466, 471, 473, 477.
De officiis Diaconi, 434, 436, 438, 444, 448, 450, 453, 455.
De officiis Subdiaconi, 412, 414, 418, 423, 425, 427, 431, 432.
De officiis presbyteri assistentis, 479.
De ratione sanctificandi statum, 528.
Derogatio rituum an utilis, 516.
De rubricis generalibus, 19.
Diaconus, 403, 407, 439, 441, 443, 467.
Dies Irae, 134.
Dies post mortem, 127.
— festi, 108.
Dicerion, 52.
Dilexi, 258.
Dimissio populi, 370.
Disciplina arcani, 96.
Discon, 47.
Discrimen ritus inter et caeremonias, 22.
Dignus Dei minister, 377.
Dignum et justum est, 264.
Dirigatur, 48, 469.
Distributio s. commun, 351.
Dominus vobiscum, 177, 180, 183, 195, 221, 239, 248.
Domine sancte, 265.
— non sum dignus, 344.
Dominus sit in corde, 221.
Dom, 29.
Dominica, 29.
Dominicum, 93.
Domus Dei, Domus orationis, 29.

Dromica forma, 30.
Dypnon, 95.
Dypticha, 293.

E.

Ecclesia, 30.
Elevatio, 148, 185, 312, 313, 322.
Encalpion, 78.
Enim, 301.
Entscheidung d. s. c. R., 17.
Epymanitum, 59.
Epynition, 274.
Epytrachelion, 63.
Episcopus, 76, 77, 195, 278.
Epistola, 24, 208, 209, 210.
Ephod, 54, 55.
Errans, 66.
Error clericorum, 460.
Et incarnatus est, 233.
Etymon rubricarum, 19.
Eucteria, 29.
Evangelium, 126, 222, 223, 224, 225, 226, 227, 228, 373.
Expositio canonis juxta Biel, 529.
— — odonem Episc. comerac., 560.
Expositio canonis Michael syndon., 577.
— ss. sacramenti, 473.
Exegesis Evangelii s. Joannis, 374.
Exequiae adoles centium, 71.

F.

Facere sacrum, 93.
Fanon, 59.
Fahnen, 59.
Facies, 211.
Fideles, 356.
Fidelium sepultura, 179.
Filioque, 232.
Flabella, 52.
Flectamus genua, 183, 196, 197.
Fractio hostiae, 325, 331.
Frequens circa populi commun. disciplina, 349.

G.

Grabreden, über, 519.
Gebete, drei vor der Wandlung, 277.
Gemelliones, 51.
Genuflectio, 144, 145, 146, 463.
Gloria in Excelsis, 182, 187, 189, 234, 463.
Gloria patri, 169, 175, 245.
— tibi Domine, 220, 441.
Gotteslampe, 39.
Graduale, 212, 213,
Gratiarum actio, 364, 379.
Gratias agimus tibi, 189.
Gremium Ecclesiae, 31.
Gruft, 180.

H.

Habemus ad Dominum, 263.
Hauptfeste, 110.
Haec omnia, 299.
— commixtio, 325, 333.
— quoties cunque, 298.
Hanc igitur, 253, 279, 295.
Hermesianismus, 372.
Hyacinthus, 68.
Hic purget digitos,' 300.
Hierurgia, 94.
Hosanna, 243.
Hostiae pro sacrificio, 303.
Hostiae et calicis elevatio, 302.
Hostia nudata, 445.
Homousion, 99.
Humerale, 54, 55.
Hymnus angelicus, 122, 184, 189.

I.

Jesu nomen, s, 193.
Iliton, 44.
Immissio particulae, 326.
Indulgéntias quoad quid notandum declaratio s. R. c., 517.
Infula, 81.
Inlatio, 265.
Inoblatione 4 notda, 241.
In praefat. jungenda et disjungenda, 268. 269.

Intentio, 152, 153.
Incensatio, 459, 462, 466, 469.
Insensum super oblata, 468.
Inclinationes, 140, 144, 145, 172.
Incessus, 148.
Infra actionem,
Ingressus, 158, 159, 161, 162.
Initium Evangel. s. Joannis, 367.
Indices et pollices, 301.
In spiritu humilitatis, 244, 246.
Istorum, 259.
Introitus, 181, 185.
Introibo, 169, 173.
In somno pacis, 318.
Ipsis Domine, 318.
Ite Missa est, 366.
Jube Domine, 220.
— Domne, 220.
Jubilatio, 218.
Judica me deus, 167, 174.
Junctio manuum, 185.
Justini p. verba, 297.
Invisibilium, 232.

K.

Kirchen, 20.
Kreuzzeichen nach Benedict. XIV., 142, 251.
Kyriaca, 29.
Kyrie eleison, 182, 187, 405,

L.

Labida, 52.
Laici, 43.
Lancea, 52.
Latria, 95.
Laudum, 206.
Laus tibi Christe, 220, 227.
Lavabo, 245, 246.
Leontii Eppi narratio, 229.
Levate, 196, 197, 183.
Liber missalis, 40, 105, 106, 186, 223, 402.
Libri caeremoniales, 22.
— rituales, 22.
Libera, 258.
Libera nos a malo, 327.
— Domine, 328.
Licht, ewiges, 39.
Linea, 56.
Lingua Ecclesiae, 136, 136.
Lintea altaris, 40.
Litaniae, 186.
Litterae, 210.
Liturgia, 91, 94, 95, 96, 97, 98, 100, 101, 103, 104, 167, 329, 458.
Locus celebrandi, 28.
Lotio manuum, 257.
Lumina, 38.

M.

Manipulus, 59, 60, 61, 81, 84, 156, 157.
Manula, 59.
Mantele, 51, 59.
Manutergium, 51.
Manuum Extensio, 147, 148.
— junctio, 147, 148.
Mappula, 59.
Mariae nomen s., 193.
Martyria, 30.
Martyrium, 32.
Memoria, 30, 32.
Memento, 278, 288, 290, 316, 360.
Mensa s., 32.
Missah, 90.
Missa pro acatholico numne licita, 517.
— in privata quid pro ministro, 521.
Missa, 25, 95, 96, 102, 108, 110, 111, 112, 114, 115, 116, 119, 120, 121, 126, 128, 132, 133, 134, 135, 164, 166, 172, 204, 258, 377, 463.
Missa an in omni loco, 519.
— praesente funere, 519.
— super sponsum et sponsam, 516.
Missae applicatio, quae illicita, 520.
— definitio, 90, 95, 168.
Missam facere, 112.
— audiendi, 91.
— tenere, 91.
Missarum genera, 95.
— p. Def. origo, 127.
— solemnia, 91.

Missale plenarium, 40.
— Romanum, 22.
— gratianopolitanum, 259.
— cur oblique p., 219.
Missio Diaconi, 465.
Ministri duo, 415.
Mystischer Grund des Chorrocks, 63.
— — der Stola, 63.
Mitra, 80, 81.
Mohren narratio, 26.
Mess., 90.
Multicrucium, 66.
Methodus in cruce signationibus, 143.
Munda cor meum, 220.
Monitiones cleri ex conc. prov. Mediol. IV., 489.
Monitoria pro ordinandis, 522.
Musices, 513.
Mysterion, 95.
Mysterium fidei, 310.
Mystagogia, 95.

N.

Natalis calicis, 42.
Nativitatis festo cur tres Missae, 521.
Nartex, 36.
Navicula, 52.
Navis, 30.
Neuma, 16.
Niebuhr, 76.
Nominatio Jesu, 464.
Nobis quoque p., 299, 307, 318.

O.

Obladen, 250.
Oblatio, 94, 250.
Offerimus, 245, 255, 256.
Offertorium, 239, 247, 248.
Offerre quinam, 249.
Offleten, 250.
Officia acolythorum, 401, 404, 407.
Omissio in manuscript. pastoris Scheiffgen, 304.
Onophorion, 85.
Oratoria, 29.
Orarium, 61, 62.
Oratio ad libitum, 263.
Oratio, 123, 132, 192, 193, 196, 196, 201, 203, 205, 241, 252, 287, 292, 324, 328, 329, 365.
Orate fratres, 246, 247, 252, 260, 261.
Ordo Romanus, 22.
Oremus, 196, 247, 366, 368, 369, 471.
Ornatus Ecclesiae, 513.
Orientem versus, 195, 196.
Osanna, 90, 271, 275.
Osculum altaris, 172, 179, 184, 185, 186, 192, 194, 248, 337, 472.
Osculum libri, 422, 465.
Obligatio sacerdotis, 347.

P.

Pabst, der hält nie eine feierliche Seelen-Messe, 136.
Pacificare, 287.
Palla corporalis, 49, 56.
Pallium, 35, 40, 41, 84, 85, 86.
Panem vitae, 299.
— fermentatus, 251, 252.
Pascha, 90.
Pastophorium, 54.
Patena, 45, 47, 48.
Pax, 177, 326, 338.
Pavimentum, 34.
Pectoris tunsio, 319.
Pedum, 82.
Penula, 64.
Peplum, 50.
Pera, 50.
Per quem, 299, 320.
Per omnia, 243, 247, 263,
— christum D. n., 246.
Phaenolium, 64.
Pheolinum, 64.
Pileus, 76.
Pitros, 20.
Pixis sacra, 46, 362.
Placeat, 367, 472.
Planeta, 64, 65, 84.
Pleni sunt, 243, 270.
Pneuma, 216.

Podas, Poderis, 56.
Pontifex, 278, 367.
Porticus, 30.
Polystaurion, 64.
Praxis applicandi, 16.
Praecatiunculae, 344.
Praeceptis, 327, 329.
Praecepitationis in Missa causa et remedia, 264.
Praefatio, 125, 262, 263, 265, 266, 268, 269, 271, 272.
Praeparatio ad Missam, 149, 169, 151, 154.
Praeparatio ad commun. 320, 327.
Praestas, 299.
Precum scopus, 223.
Presbyterium, 31.
Primaevus hymnus, 264.
Probstes Worte, 15.
Processus, 162.
Processiones, supplicationes, 512.
Pronos, 291.
Proemium, 15.
Prolatio verb. in consecratione, 360, 369.
Prophetea, 29.
Proseucteria, 29.
Pro se suisque etc., 291.
Prosa, 216, 219.
Prosphora, 94.
Protestatio, 3.
Protestantes super linguam, 136.
— super vocem secretam in canone, 138.
Psalm, 42, 135, 174, 257.
Pulpitum pulvinus, 36.
Purificatio calicis, 345.
Pueri Ministrantes, 401.
Pueris olim ministrata Eucharistia, 358.

Q.

Quam oblationem, 296, 297.
Quinque cruces post consecrat., 305.
Qui pridie, 295, 298, 300, 367.
Qui tibi offerimus, 291.

R.

Rath, der, eines Vaters an den Sohn, qua aspirant, 611.
Redime me, 258.
Regere, 287.
Reginae sine labe conceptae Encomium Greg. XVI. P. M., 264.
Regula, 284.
Resolutio Greg. XVI. quoad Missalia Dioecoesium, 128.
Resolutio S. R. C. super albae etc. materiam, 158
Resolutiones S, R. C. super patronos, 235.
Requiescant in pace, 366.
Ripidia, 52.
Ritus Latinus, Graecus, 22.
Rituum regula — scopus, 22.
Rochetta, 58.
Rosarium, 513.
Rubricae, 19, 20, 21, 132.

S.

Sabaoth, 90.
Sabathum, 122.
Sacerdos q. obsvdm., 40, 57, 71, 162, 163. 164, 456, 468.
Sanctus, 243, 264, 265, 270.
Sanctificas, 299.
Sacramentalia, 508.
Sacramentarium, 22, 105, 106.
Sacrarium, sacristia sanctuarium, 54.
Sacrificare, 93.
Sanctum sanctorum, sacrarium, 31.
Sancti in communicantes, 294, 295.
Sacrificium, 89, 290.
Sacri panni, 36.
S. sacrificium immaculatum, 314, 315.
Sandalia, 77.
Salutatio populi, 178, 463.
Scapularia, 513,
Scaevophylation, 54.
Scyphon, 46.
Sex numero vestes sacerd., 158.
Sexies incensantur oblata, 474.
Secretae, 261, 278, 284, 447.

Servitutis nostrae, 250.
Segnung, 372.
Sixti et Soteri Decreta, 47.
Sigillum magnum civitatis coloniensis, 607.
Signum crucis, 220.
Signa ext. maestitiae, 478.
Sunt erat, 245.
Sindon, 49, 59.
Spongia, 49.
Stare ad Evang. 441.
Statio, 30, 31.
Statim expnere, 347.
Suscipe s. Trinitas, 243, 244, 246, 259, 260.
Suscipiat, 247.
Sursum corda, 243, 263, 268.
Subdiaconus, 87, 403, 467.
Supra quae, 299, 314.
Supplices rogamus, 315, 316.
Spiritui in lavabo, 245.
Substratorium, 41.
Sudarium, 50, 59.
Suggestum, 31.
Suffitorium, 57.
Symbolum, 125, 229, 230, 231, 232, 233, 234, 235, 239.
Schellen und Glocken, 302.

T.

Tabacum sumere, 471, 517.
Tabulae directivae pro Missa s. Rit. Rom. 608a.
Tabulae directivae pro Missa s. Rit. Colon. 609.
Tabaris, 56, 155.
Telsyon, 95.
Te igitur, 287.
Telete, 93.
Temporis Missae quantum, 376.
Tepiditas cur, 382.
Tiara, 81.
Titulus Ecclesiae, 29, 238, 255.
Thymiamaterium, 51.
Thurribulum, 51, 402.
Thuriferarius, 406, 407, 459.
Thuris usus, 513.
Tonsura, 53.
Tibiagae, 291.
Tremunt potestates, 243.
Tres crucis in te igitur, 287.
— — pax Dom., 326.
— — orat Dom. praeced., 337.
— linguae in Missa, 274.
Tricerion, 52.
Triplex dicitur, 474.
Trisagion, 262, 264, 271, 274, 275, 276.
Tropus, 189.
Triumphalis hymnus, 264.
Tunicella, 78.
Turris, 46.
Tyntinillus, 606.

U.

Ursache der Samstagsfeier in H. B s. l. c. Virginis, 122.
Ut meum, 246, 247.
Ut nobis corpus, 297.
Unde et memores, 298, 300. 313.

V.

Vatermörder, 76.
Vas ad thus, 51.
— — oblationes, 51.
Velato capite, 88.
Velum, 50.
Veni sanctificator, 244, 245, 246, 256.
Vere dignum et justum, 269.
Verborum consecrationis sensus orthodoxus, 309.
Verborum post consecrat. Explanatio, 366
Verula, 82.
Vestes doemsticae, 53.
— sacrae, 53, 75.
Vestiarium, 54.
Vestibulum, 30.
Virga pastoralis, 82.
Virgula, 46.
Voce Ecclesiae, 138, 139, 140, 141.
Victorialis hymnus, 264.
Vinum altaris, 252.

Vinum mensae, 252.
Vini cum aqua mixtio, 253.

Z.

Zeitlicher Würden wahrer Werth, 384.
Zwischen der Handlung, 282.
Zizania super seminata, 516.
Zona, 58.

Corrigenda et addenda.

NB. Abbreviatura primo l. significat „loco" secunda l. lege.

Pag. — lin.
8 l. prout leve l. leve.
13 — 21 l. pag. 180 l. pag. 189.
19 — 14 verba Rubrica generalis et ponantur post Quaest. II.
20 — 9 l. VII. con. 12 l. sess. XXII. de obs. et evit. in celebr. Miss.
in asterisco: l. can. 33 l. can. 13.
21 — 22 l. 22 et l. sunt.
27 — 7 l. quem l. quam.
28 — 6 l. locum l. in locum.
29 — 4 l. consecrationis l. consecrationes.
20 l. illuscere l. illuxere.
30 — 6 l. cingebantur l. erigebatur.
31 — 2 l. poenitentium l. poenitentium II. Classis.
32 — 36 l. debachatos l. debachatas.
36 l. obducta l. obducto.
33 — 32 l. litio l. Lytho.
34 — 25 l. constituit l. constituit. *Quinto* cum frangitur seu minuitur in quatuor cornibus — demum per sacrilegam humani sanguinis vel seminis in iis effusionem.
28 l. N. 17 l. N. 6.
30 l. ecclesia l. ecclesiis.
32 l. lib. 6 l. lib. 7.
35 — 3 l. hic l. hoc.
9 l. Cornotensis l. Carnotensis.
21 l. einige l. ewige.
36 — 36 l. Lintea mira l. Linteamina.
37 — 20 l. pemittit l. permittit V. Ep. Benedicti XIV. R. Rado. E. D. Ecol.
38 — 6 l. quale l. quare.
39 — 26 l. Missam l. Missa.
41 — 31 l. est ub l. est ab.
42 — 3 l. vititi l. vetiti.
26 l. Triburgensi l. Triburiensi.

Pag. — lin.
42 — 34 l. Triburgense l. Triburiense.
37 l. vitantque l. vetantque.
43 — 24 l. cap. 45 l. cap. 54.
44 — 5 l. cap. 34 l. cap. 38.
12 l. binas l. binas et calices ministeriales libras 50 pensantes, ac.
37 l. illata l. illita.
45 — 20 l. consecrationem l. consecrationem, idem dicendum de patena.
46 — 20 l. sordium l. sordidum.
24 l. sanctificetur l. sanctificetur, mutatis tamen mutandis in ipsa benedictione.
47 — 11 l. ostensorii l. ostensorii, nisi excipiatur haec benedictio.
32 l. maceria l. materia.
34 l. fecit l. fuit.
49 — 5 l. erit l. erit; ut distinguatur a manutergio. Hae in porte anguli extrema illud in medietate cruce pingi oportet.
16 l. verbum *de* ante *consueto* deleatur.
17 l. pretiosiori l. pretiosior.
23 l. Diaconum l. Diaconorum.
38 l. oportet l. oportet, et quidem circumquaque s. R. c. Januar 22da 1791.
51 — 26 l. manet l. manat.
29 l. mantile l. mantile dictum.
52 — 3 l. Tertulliano l. Tertullianus.
20 l. Vanonibus l. Fanonibus.
22 l. vanone = vanon l. fanone, fanon.
37 l. aipidia l. ripidia.
53 — 36 l. eccles ae l. ecclesiae.
55 — 39 l. Merati l. Gavanti.
56 — 7 et 8 l. Podenis l. Poderis.
56 — 14 l. ndutus l. indutus.
31 l. bapsmo l. baptismo.
57 — 22 l. prudita l. praedita.
58 — 2 l. monicosque l. manicasque.
13 l. monicis l. manicis.
59 — 13 l. podenis l. poderis.
21 l. Epimanitum l. Epimanition.
24 l. Graci l. Graeci.
60 — 23 l. a saeculo esse primo. Le Brun et Ventus l. a saeculo esse 10mo. Le Brun et Vertus.
30 l. fanen l. Fahnen.
63 — 31 l. praecipiat l. recipiat.
32 l. baltei portant l. baltei strictam portant,
66 — 23 l. quo l. qua.
67 — 13 l. aequiparatur l. aequiparetur.
23 l. Virginum ac l. Virginum non Martyrum.
24 l. Martyrum — visedem l. Martyrmm et non virginum — visedem.

Pag. — lin.
69 — 5 l. tum ab l. tum ob.
71 — 1 l. Dominicae de Passione l. Dominicae passionis.
32 l. rubrica l. rubricae.
72 — 21 l. numero l. numerum.
73 — 3 l. obligavit l. obligabit.
13 l. et l. est.
16 l. non l. nam.
74 — 14 l. prohibetur l. prohibetur. Dies festivus patroni loci excipiendus, ubi celebrans de eodem legere potest M. votivo cum gloria sine Credo.
75 — 10 l. adsunt l. desint.
14 l. quae l. qua.
26 l. habeant l. amittant vero benedictionem per humani sanguinis aut seminis effusionem desuper.
78 — 2 l. Encalpion l. Encolpion (idem licea 14).
32 l. testamentum l. testamentorum.
79 — 17 l. hanc l. hunc.
81 — 31 l. vitae l. vittae.
82 — 12 l. Verula l. Ferula.
13 l. Cambuta l. Cambuca.
14 l. stolam l. stola.
84 — 32 l. cingulum l. circulum.
33 l. vaseas l. fascias.
85 — 3 l. demittuntur l. dimittuntur.
21 l. Marco l. Marcus.
87 — 12 l. collanbus l. collaribus.
24 l. praetensa l. protensa.
26 l. posteriori l. posteriore.
89 — 2 l. leprosas l. leprosos
11 l. hac l. hoc.
14 l. unt l. sunt.
19 l. Dispensandi l. Dispensandi pertinet ad paginam anteriorem post Verbum „juberetur".
30 l. invenire l. convenire.
90 — 35 l. Vigebant l. fiebant.
92 — 18 l. sive l. sine.
39 l. vere l. vero.
93 — 6 adeo l. ad eo.
44 l. proprium et l. proprium est.
96 — 26 occidentales l. occidentales aliae.
98 — 19 l. in hac l. isthaec.
99 — 30 l. fateri l. fateri, et si illa placeat opinio, quae quidem hanc Liturgiam s. Jacobo adjudicat sed non pauca posterioribus saeculis e commun ecclesiarum usu eidem fuisse addita et tali modo interpolatam ita Baron. Bellarm. Bona.

Pag. – lin.

101 — 1 l. Dici l. Diu.

15 l. sanctus l. Venerabilis.

102 — 36 l. subjectis s. l. subjectis legitur s.

103 — 5 l. tempora in quibus abavi n. P. gall. eccl. quam Rom. l. tempora abavi nostri Pipini gall. eccles. aliter quam Romana.

15 l. pag 475 l. pag. 175.

104 — 13 l. occidentalibus l. accidentalibus.

27 l. sanctorum l. sacramentorum.

34 l. Pontificem l. Pontificem saeculo V.

35 l. Romanum l. Romanum saeculo VI.

38 l. Leoniano l. Leonino (floruit saec. VI.)

105 — 22 l. illimitatae l. illimitate.

26 l. clarissimus l. clarissimi.

107 — 6 l. testetur l. testatur.

26 l. parus l. parisiis.

108 — 33 l. aliquos l. aliquas.

109 — 23 l. ipse l. ipsae.

112 — 1 l. Leone l. Leone III.

18 l. ubi l. sibique.

117 — 23 l. Pontificis l. Pontificis ejusque anniversaria memoria.

118 — 3 l. peraguntur etc. l. peraguntur s. R. c. Dur. gener. de 28. Feb. 1818 proqua sanctitas sua Pius VII. 3tia Martii E. a declaravit, Missam pro sponso et sponsam esse votivam privatam; proindeque semper celebrandam sine gloria et credo cum tribus orationibus.

1. scilicet ejusdem Miss. vot. propr., quae habentur in fine missalis,

2da et 3tia diei currentis (ut in Rob. gen. hıl VII. de commem. et de orat. Tit. IX. no. 14. Bened. Domino, in fine ult. Evang. s. Joan.)

17 l. privilegiatis l. privilegiatis I. et IIdae classis.

119 — 23 l. Missa l. Missa pro sponso et sponsa uti patet ex Decr. quod servari mandavit s. R. c. 20. Db. 1783. In celebratione nuptiarum quae fit extra diem dominicam, vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrit Dupl. Imae vel IIdae classis, etiamsi fiat officium et missa de festo duplici per annum, sive majori sive minori dicendam esse Missam pro sponsis in fine Missalis post alias votivas specialiter praescriptam. In diebus vero Dominicis aliisque diebus festis de praecepto ac Duplicibus I. et IIdae classis dicendam esse Missam de festo cum Commemoratione Missae pro sponso et sponsa. Excipitur 2 Missa.

24 l. Diebus l. Diebus post primam.

28 l. Quadragesima l. Quadragesimae.

36 l. legere nativam l. legere de octava sed more votivo.

in scholion N. 3. *adde* N. 3. ast. Merati R. 1 T. IV. § 4 probat sine gloria praedictam Missam legendam esse allegans Decret s. R. c. de 2. Dbris 1684.

Pag. — lin.

120 — 9 l. Pentecostes l. Pentecostes. Ita Agenda coloniensis de anno 1720 T. d. precibus 40 horarum § 8 pag. 417.

123 — 20 l. an et tunc l. an nec tunc.

21 l. Dominica l. Dominicae.

25 l. non l. vel.

30 l. conclusione *** l. conclusione ***, nisi coram Exposito ss. sacramento hujus collecta addatur prout addi debet; tunc etiam in coloniensi Archidioecesi duae conclusiones forent formandae.

124 — 2 l. Dominica l. Dominica privilegiata.

10 l. conclusione l. conclusione haec unio tandem locum obtinet in Missa quae celebratur in reconciliationem Ecclesiae.

22 l. in consecratione l. in anniversaria die consecrationis.

125 — 7 l. officii l. officii secundum ritum Romanum, non vero coloniensem, ubi in Missa votiva de s. Petro secunda oratio est de festo simplicii 3tia Deus Qui salutis vel Concede, item votiv de s. Paulo si simplicii, tunc est, Deus qui, vel Concede 3tia ad libitum.

127 — 3 l. excipit l. excipit denique sub finem M. votivae ad »Ite« vel »Benedicamus« tempore paschali non additur vel canitur Alleluja.

129 — 7 l. haud pridie l. aut pridie.

13 l. sanctum l. sanctum et eo Decr. s. R. c. de 11ma Aug. 1736. — In secundo triduo Maj. hebdom. non possunt celebrari Exequiae defunctorum sed officium et preces recitentur privatim.

130 — 1 l. secundae l. secunda.

16 l. Missam l. Missa.

22 l. fundatae l. fundatae ex depositione testatorum saltem mediata.

37 l. fundatis l. fundatae.

131 — 17 l. 1741 l. 1741 neque durante expositione ss. sacramenti ob publicam causam (Cavalieri).

30 l. obitus l. obitus hae die impedita cantari tantum possunt in festo semiduplici, assumendo quidem Missam anniversarii, sed non collectam ejusdem Missae sed aliam extra ordinem pro Defuncto vel Defuncta etc.

133 — 1 l. 1764 l. 1663.

37 l. resugemus l. resurgemus.

134 — 37 l. Talu num 780 l. Talu num 780, quod Decret per aliud de 29. Jan. 1752 ita reformatum fuit, ut omnibus presbyteris quodvis officium Duplex etiam 1mae class. recitantibus licentia fiat celebrandi in exequiis Missam de Requiem in ecclesia, in qua talis Missa ratione officii semiduplicis est licita.

138 — 21 l. quaecunque bona l. quaecunque demum bona.

141 — 27 l. crucis l. cruce.

143 — 30 l. applicat l. applicat; nisi aliter notetur.

145 — 20 l. surget l. surgitur.

146 — 16 l. corporis mentis l. corporisque mentis.

148 — 13 l. ecclesiae l. exclusive.

Pag. — lin.
149 — 18 l. sess. 23. l. sess. 13.
21 l. graves committi l. graves non committi.
150 — 15 l. inclinatio l. inquinatio.
152 — 10 l. orationi l. orationi; intentio nunc formanda consecrandi aeque ac applicandi fructum sacrificii invenitur Pag. 16.
29 l. selegit l. selegerit. Greg. XIII. concessit indulgentias L annorum devote recitantibus »Ego volo celebrare et gaudium cum pace« etc.
153 — 21 l. horpyae l. harpyae.
154 — 27 l. pro Missa l. prae Missa.
38 l. ad Haebraeos l. et Hebraeis.
155 — 25 l un vono 900 l. unde anno 900.
156 — 20 l. monicam l. manicam.
158 — 3 l. sexario l. sexenario.
161 — 5 l. propogari l. propagari.
18 l. nequiunt l. nequeunt.
21 l. delinquens l. delinquit.
163 — 3 l. sacramentum uno l. sacramentum inclusum uno.
13 l. 1647 l. 1746.
164 — 9 l. deter minatur l. terminetur.
167 — 13 l. quia tu fortitudo l. quia est fortitudo.
19 l. repraesentanda l. repraesentata.
168 — 11 l. sonant a magno l. sonant magno.
29 l. Patriarchia l. Patriarcha.
170 — 36 l. Dominici, l. Dominici, fransisci etc.
171 — 4 l. manentibus l. manibus.
172 — 31 l. estque l. estne.
173 — 5 l. Trinitate l. Trini.
175 — 3 l. coelestium l. coelestinum.
19 l. solum l. solus.
176 — 4 l. qua psalmum l. quae psalmum.
10 l quandonam l. quandonam et quare.
23 l. tameu bene l. tamen bina.
35 l. tondimus l. tundimus.
177 — 7 l. Hedicensi l. Edicensi.
179 — 4 l. Bouget l. Pouget.
183 — 10 l. autem ea l. autem eam.
186 — 21 l. in passione l. de passione.
187 — 6 l. gentibus l. gentilibus.
188 — 19 l. Graecis l. Graecia.
189 — 24 l. metriae l. metrice.
191 — 25 l. sanctificas . . . . gubernas l. sanctificans, ... gubernans . . . . l. coronus . . . . l. coronans.
199 — 38 l. ad Rom. V. l. ad Epheseos cap. II.
200 — 17 l. ita fiat l. ita sit, fiat.
36 l. Luoviensis l. Luxoviensis.

Pag. — lin.
201 — 9 l. Tiscannensis l. fiscanensis.
203 — 30 l. 17. Aug. l 2da Ubris. 1684.
204 — 15 l. recitato l. praecitato.
207 — 9 l. Dexotus l. Devotus.
208 — 35 l. veteri l. veteris.
211 — 20 l. secunda l. secundo.
34 l. rddit l. reddit.
38 l. ordinaretur l. ordinatur.
214 — 19 l. dedisse l. didicisse.
215 — 6 l. aute Pascha l ante Pascha non.
216 — 2 l. Paschale l. Paschali.
217 — 7 l. natulae l. notulae (item lege in seq.)
220 — 9 l. ubique l. ibique.
223 — 1 l. Cabosila l. Cabasilas.
224 — 11 l. Jube Domine l. Jube Domne.
13 l. Jube Domine l. Jube Domne.
227 — 3 l. fuudendum l. effundendum.
23 l. Christe ** l. Christe ** sacerdos autem interim dicet: per evangelica dicta . . . . venialia nempe per contritionem.
228 — 7 l. 1122 l. 1121 Num. 28.
26 l. dum ipsa l. tum ipsa.
33 l. necessitas mihi l. necessitas enim mihi.
229 — 1 l. attescere l attexere.
230 — 4 l. oeconomica l. oecumenica.
234 — 3 l. s. R. c. l. s. R. c. 8. aprilis 1628.
236 — 14 l. sociis l. sociabus.
38 l Julii 1740 l. Junii 1740.
238 — 30 l. ecclesiae sive sitis l. ecclesiae sitis.
239 — 2 l. debetur l. debetur, in Missa tamen de die infra octavam, non item de festo occurrente cui symbolum indebitum.
240 — 7 l. Demachanes l: Demochares.
245 — 14 l. corporalis posteriore ut usque l. corporalis posteriore usque.
247 — 32 l. praefert l. profert.
251 — 13 l. concludit § 10 l. concludit § 18.
253 — 10 l. venerit l. venerint.
38 l. aqua l. aquam.
254 — 12 l. plebs et l. plebs ei.
255 — 25 l. guttulae l. guttulas.
256 — 4 l. tuo l. tuae.
261 — 3 l. secreto l. secretas.
262 — 35 l. stante medio l. stante in medio.
265 — 29 l. in haec verba l. in his verbis.
266 — 25 l. sacramentalia l. sacramentaria.
39 l. auctor l. caute.
271 — 24 l. praefationes l. nationes.
272 — 11 l. spuriam a multis l. spuriam esse multis.
274 — 3 l. Clemens XI. l. Clemens XIII.
275 — 14 l. posse l. posset.
20 l. turba l. turbae.
286 — 2 l. credimus ad l. credimus quod.
29 l. et in sortem electorum l. et in electuorum tuorum jubeas grege.
33 l. sanctorum l. sanctarum.
287 — 8 l. ambabus l. ambagibus.
29 l. Deus pacificare l. Deus dignetur pacificare.
288 — 16 l. ipse enim l. ipsi enim.

Pag. — lin.
289 — 7 l. nominare l. nominare, tandem et Missae circumstantes.
290 — 30 l. intendit l. intendit, dein secundario prose et aliis ad suam voluntatem quorum.
292 — 8 l. nomina l. nomina quorum sunt oblationes eduenda ut.
19 l. excipimur l. excerpemus.
293 — 7 l. accedant l. accedebant.
294 — 33 l. Chrysologi l. Chrysogoni.
295 — 4 l. confessoris l. confessorum.
25 l. oratio l. oblatio.
296 — 40 l., benedicamus l. benedicamur.
300 — 13 l. präfert l. profert.
30 l. Manu l. manu non.
303 — 16 l. caeriteria l. criteria.
21 l. constitit l. constitit. Archiepiscopus noster Johannes liber baro de Geissel ad omnes Decanos pastores et rectores hujus urbis litteras encyelicas misit, in quibus severrime mandavit, ut sibi indicentur venditores et hostiarum fabricatores, ne aliae hostiae quam ex tritico puro conficerentur et in s. sacrificio adhiberentur.
40 l. calicem l. calicem super altare elevatum et.
304 — 16 l. altare l. corporale.
23 l. antequam l. antequam genu.
305 — 20 l. sinistra l. sinistrae.
308 — 3 l. genuflexus l. erectus.
7 l. alterius l. anterius.
19 l. pollicem l. medium digitum.
309 — 33 l. extollerat l. extulerat.
38 l. frangi l frangit.
310 — 7 l. praesentiam l. praesentiam realem.
311 — 10 l. additur quod l. additur et.
313 — 4 l. fiebat l. Vigebat.
314 — 39 l. acceptam l. acceptamque.
315 — 35 l. jubeat l. jubeat non.
316 — 22 l. ipsemet l. ipsummet.
317 — 22 l. decrevit l. decrevit; postilla verba in somno pacis.
318 — 18 l. viginti l. vigente.
319 — 14 l. sanctos et l. sanctos e.
30 l. ante l. ante illum.
32 l. 7. febr. l. 1. febr.
320 — 15 l. specilegii l. spicilegii.
321 — 32 l. repraesentent l. repraesentant.
33 l. alios l. alias.
322 — 21 l. 839 l. 869.
35 l. legitur calix vive l. tegitur calix, vide.
324 — 21 l. dein cum dextra l. dein e dextra.
23 l. tenens ante l. tenens ut ante.
29 l. elevatam l. elevata.
326 — 14 l. confessio l. confessionem.
327 — 6 l. quod cum l. quodet.
9 l. positis l. positis oculisque in sacramentum.
13 l. Tom. 10 l. Tom. 1 post II hit. 10 Num. 16.
330 — 29 l. quotidianum l. quotidianum et vitae hujus necessaria.
35 l. affectu l. affectu et contracta nobis debita dimitte.
331 — 14 l. rationibus l. tentationibus.
29 l. qua requiescet l. qua mox requiescet.
332 — 9 l. anno 1159 l. anno 1059.
26 l. dimittebatur l. immittebatur.

Pag. — lin.
333 — 17 l. saeculum XII. l. saeculum XI.
30 l. consuevisse l. consuevisset.
336 — 35 l. pag. 58 l. 589.
337 — 33 l. verior l. vereor.
338 — 24 l. Dei, Ritu l. Dei, illud 1756 ritum Romanum adoptavit.
340 — 7 l. Dein l. dein simul.
9 l. calice l. calice versus cornu Epistolae.
15 l. calicis l. calicis retro locum hostiae repositi.
16 l. parte l. parte pollicis et.
24 l. calicem l. calicem, vas vero, in quo reposuit hostias, locat in tabernaculo, praevia genuflectione claudens.
343 — 24 l. offecerunt l. affecerunt.
343 — 28 l. omnimodo l. omnimoda.
345 — 7 l. non invenire l. non invenere.
27 l. byssinam l. pisscinam.
31 l. summo l. summum.
346 — 16 l. byssinam l. pisscinam.
349 — 3 l. Jesu l. Jesu, saepius interim pollicem et indicem super ciborio refricabit et perlustrabit num iisdem fors adhaereant particulae.
10 l. orcurrenda l. occurrenda.
17 l. quos l. quas.
351 — 30 l. fabricant): contra l. (fabricant) O manus.
32 l. epist. 138 l. epist. 289.
36 l. catechesis l. catechesis 5.
351 — 37 l. manuum velis l. manuum volis.
352 — 20 l. Cyprius l. Cyprianus.
39 l. ipso l. ipsum.
353 — 6 l. appellatur l. propellatur.
17 l. ambiendum l. ambigendum.
355 — 29 l. proprio l. proprie.
357 — 37 l. non erat sumendum l. non erat ad sumendum.
358 — 7 l. humectam l. humectant.
36 l. servabis l. servavit.
359 — 10 l. adducatur l. abducantur.
360 — 2 l. sanctificamus l. sanctificamur.
366 — 30 l. Dum erigens l. Tum erigens.
370 — 31 l. cap. 37 l. cap. 57.
371 — 17 l. demissione l. dimissione.
373 — 11 l. Salegernstadiense l. Salegunstadiense.
374 — 31 l. ut hac l. ut hac Judaei.
375 — 15 l. creaturam l. creatorem.
376 — 3 l. facta est l. facta est. Joh. C. I. V. 7.
12 l. juvavit l. juvabit.
19 l. sepositis judiciis l. sepositis praejudiciis.
33 l. differatur l. deferatur.
377 — 3 l. designabilem l. designavit.
378 — 5 l. vestrarum l. vestrarum. Malachias Cap. 2. V. 2, 3.
9 l. pertrahuntur l. protrahuntur.
34 l. peragantur. Igitur l. peragantur. Cum igitur.
379 — 26 l. canonico l. canonicum.
380 — 3 l. sanguinem cibum l. sanguinem in cibum.
13 l. in fine l. in finem.
30 l. exercitus l. exercitii.
381 — 20 l. effice l. elice.
32 l. sacrificii quantocius l. sacrificii infinitis quantocius.
37 l. ultima l. ultimam.

Pag. — lin.
382 — 35 l. requisitae l. requisita.
384 — 34 l. consuetudo l. consuetudinem.
385 — 11 l. ejusdem l. utriusque.
387 — 20 l. complectit l. complectitur.
390 — 27 l. prosequitur l. prosequatur.
394 — 26 l. utram l. utramque.
34 l. donec eandem si possit, compleverit l. donec, dum licite potest eandem compleverit.
396 — 39 l. constat hostiam l. constat solam hostiam.
397 — 1 l. consecrata l. consecratam.
401 — 27 l. sordidi stercore pleni l. sordidas stercore plenas.
402 — 27 l. thurificatio l. thurificationem
403 — 2 l. utrum l. utrumque.
404 — 37 l. annulo majori l. annulum majorem.
405 — 9 l. a sinistris diaconi l. a dextris diaconi.
406 — 22 l. diaconi sinistram l. diaconi dextram.
24 l. diaconi sinistram l. diaconi dextram.
408 — 46 l. utroque l. utraque.
410 — 7 l. eaque l. eamque.
8 l. demittit l. dimittit.
413 — 12 l. sacerdoti l. sacerdote
416 — 17 l. dixit l. dixerit.
19 l. dicit l. dixerit.
417 — 1 l. praecedunt l. recedunt.
419 — 6 l. sedeant l. sedeat.
10 l. extensas l. extensas infra casulam.
27 l. revertuntur junctis l. revertuntur ministri junctis.
420 — 26 l. supra infimum l. supra supremum.
27 l. positum l. positam.
32 l. offert secundo librum l. offert librum.
421 — 29 l. eversae l. inversae.
422 — 12 l. sinistrum l. sinistram.
14 l. Jesu Christi l. Jesum Christum.
423 — 11 l. manum l. manu.
26 l. tandem e pollice l. tandem pollice.
32 l. hausta l. haustam.
424 — 8 l. positam . . . sustentantem l. posita . . . sustentante.
425 — 16 l. inclinatus l. inclinato.
426 — 9 l. foret l. formet.
428 — 31 l. expensae l. extensae.
429 — 25 l. quod si solus subdiaconus l. quod si subdiaconus.
430 — 2 l. calice . . . pergit l. calici . . . peragit.
27 l. finito claudit l. finito respondet: Deo gratias et claudit.
431 — 16 l. infra l. extra.
22 l. altaris ad l. altaris ea.
433 — 7 l. evangelio diaconus aptat l. evangelio sub diaconus respondet: Laus tibi Christe aptat.
37 l. oblationem . . . et l. oblationem . . . genuflectit et.
38 l. infimum l. supremum.
434 — 17 l. et de eodem l. et eodem.
435 — 6 l. cingulum l. cingulum, manipulum.
7 l. collegatam l. colligatam.
438 — 17 l. subdiaconus l. diaconus.
440 — 40 l. ex Marco: Principium Jesu Christi l. ex Marco: Initium Evangelii Jesu Christi.
442 — 14 l. pluae l. plua.

Pag. — lin.
442 — 16 l. materiae l. materia.
17 l. sinistris l. dextris.
442 — 29 l. continuat l. continuant.
445 — 27 l. incensationem et l. incensationem e.
31 l. inclinatione cum l. inclinatione eum.
447 — 21 conversae l. inversae.
449 — 1 l. elevatum l. elevatam.
451 — 31 l. utroque l. utraque.
452 — 21 l. spiritu sancto l. spiritu tuo.
454 — 28 l. celebranti et dextra l. celebranti dextra.
456 — 34 l. dilucedant l. dilucidant.
457 — 28 l. subsequenter l. subsequente.
458 — 36 l. altare l. altari.
459 — 15 l. desuper l. super.
42 l. Phychologiae l. Pschychologiae.
460 — 26 l. reliquia exposita l. reliquiis expositis.
467 — 17 l. spargit l. spargit uti ab.
34 l. dicit: „Iste" l. dicit: „Istud".
468 — 19 l. crucis et altaris l. crucis reliquiarum et altaris.
471 — 16 l. strophialo l. strophiolo.
19 l. presentibus l. praesentibus.
31 l. incolatae l. incolatu.
473 — 7 l. moveamur l. moneamur.
474 — 24 l. palmorum l. palmarum.
479 — 1 l. presbyterium l. presbyterum.
480 — 15 l. vel hac missa l. vel hac omissa.
481 — 21 l. verseculo l. versiculo.
485 — 11 l. divitentur l. devitentur.
492 — 31 l. discrepetis l. discerpetis.
509 — 2 l. quoadam l. quosdam.
511 — 34 l. quivus l. quivis.
512 — 31 l. non crucem l. nos crucem.
33 l. victorium quam per montem l. victoriam quam per mortem.
34 l. retulet de diabolo monte et l. retulit de diabolo morte et.
35 l. fortiones l. fortiores.
514 — 19 l. quod l. quoad.
518 — 3 l. lorgiter l. largiter.
39 l. Ginnasi suret l. Ginnasi secret.
519 — 25 l. concil. aequis granense l. concil. Aquis granense.
520 — 14 l. moniturum l. moriturum.
25 l. praecepit l. praecepit Explanationem.
521 — 7 l. eosqui l. eos, qui in.
13 l. tris l. tres.
14 l. adpatente l. adparente.
15 l. primae l. prima.
523 — 10 l. ludiora l. Ludicra.
524 — 4 l. n versum l. inversum.
524 — 5 l. similiones l. similiores.
527 — 11 l. oblegationem l. obligationem.
22 l. sutator l. sectator.
25 l. cupidos l. cupidus.
30 l. esset l. esses.
533 — 35 l. adunire l. adunare.
534 — 5 l. erum l. eorum.
7 l. universali l. universalis.
535 — 7 l. apostolicam l. apostolicam.

Pag. — lin.
536 — 25 l. redemptionae l. redemptione.
539 — 24 l. omnibos l. omnibus.
545 — 31 l. expientium l. excipientium.
547 — 27 l. Secten l. Satten.
551 — 6 l. cilatione l. dilatione.
558 — 3 l. vivi l. viri.
7 l. decotionem l. devotionem.
23 l. scelvrum l. scelerum.
24 l. peccata l. peccato.
28 l. respodet l. respondet.
559 — 8 l. probitiabile l. propitiabile.
565 — 5 l. immortarlis l. immortalis.
569 — 17 l. sunguinis l. sanguinis.
581 — 12 l. qui eos, cum natura infirmi, et confirmasti l. Qui eos, cum natura infirmi, excepta B. s. Labe concepta Maria Virgine, et confirmasti.
606 — 11 l. nominanco l. nominando.
609 — 28 l. prora l. propria.
626 — 24 l. decrit l. deerit.
631 — 19 l. nur l. mir.
38 l. a pationi l. a potiori.
635 — 1 l. custodine l. custodire.
10 l. joctantiam l. jactantiam.
17 l. muditiem amont l. munditiem amant.

Benevolum Lectorem si alia invenirentur menda, corrigenda petimus.

O. A. M. D. G.